FASCICULUS MYRRHAE SIVE MEDITATIONES PRAEDICABILES DE...

Adrian : van Wyck, Nicola Valentano Lisini




VITT. EMANUELE
42
1 F
7
FONDO EBORENSE

MEDITATIONES PRÆDICABILES DE UNIVERSA PASSIONE DOMINICA.

Ad simpliciter usum P. Fr. Nicolai Lisini a Valentano M.O. 1848.

FASCICULUS MYRRHÆ

SIVE

MEDITATIONES PRÆDICABILES DE UNIVERSA PASSIONE DOMINICA,

IN

Usum eorum præsertim Sacerdotum, qui de eâ ad plebem dicturi sunt.

AUCTORE

ADMODUM REVERENDO ET AMPLISSIMO DOMINO,

D. ADRIANO van WYCK,

Archi-Presb. Delfl. Proto-Notario Apostolico, quondam Venerabilis Conventûs S. CÆCILIÆ Rectore, nunc ejusdem Archi-Episcopali Commissario.

COLONIÆ,

Apud SERVATIUM NOETHEN Bibliopolam, an der hoher Schmidt.

Superiorum permissu & Approbatione.

Anno M.DCC. XVII.

S. PAULUS, 1. Cor. 3. 23.

Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.

S. LEO Serm. 2. de passione Domini.

Quid inter omnia opera Domini, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ, & oblectat & superat, sicut Passio Salvatoris?

S. BERNARDUS Serm. super Cantic.


Quid tàm efficax, ad curanda conscientiæ vulnera..., quàm frequens ac sedula Christi vulnerum meditatio?



OBLATIO OPERIS,

Facta JESU Christo, Filio Dei, amanti nos, & pro nobis patienti.

Offero tibi, O amans JESV, hunc Fasciculum Myrrhæ, qui, cùm nihil aliud sit, quàm Passio tua, tibi etiam debetur. Offero & tibi qualemcunque laborem, quo illum & conscripsi & colligavi. Atque lâturum me laboris quidem mei & pretium & fructum arbitror, ignem si eo amoris nonnihil suscitem, quo ardere nos erga te oportet. Fateor, plura tu fecisti nobis, quæ amorem illum meritò acuunt, & accendunt. Creasti nos ad imaginem & similitudinem tuam: nobis & beatitudinem æternam condidisti, & animam indidisti immortalem, adeòque & æternæ beatitudinis capacem: instruxisti nos, & præclarioribus naturæ dotibus, & cælestium gratiarum muneribus, atque nos beneficiis, iisque innumeris, cumulasti. Sanè silex sit necesse, nihilque in se habeat humani, quem ista, ad amandum te, minùs commovent. Sed quidquid de cæteris sit, movet ante omnia hominem, ad te amandum, Passio tua, quâ tu præcipuè, tuum erga nos amorem, summum maxi-



PRÆLOQUIUM
AD
PIUM PASSIONIS AUDITOREM.

PAssio Domini, si de rebus sermo sit, quæ hominibus Christianis & proponuntur fructuosiùs, & ab eis expenduntur utiliùs, principem facilè obtinet locum. Et quidem nihil æquè, ac ea, ad commovendum hominum animos, sanctisque eos affectibus imbuendum, conducit. Solent alii, quibus conscientia peccatis irretita languet, moveri mortis, judicii, ac inferni metu, eóque à malefactis contineri, & ad mentem hinc inde meliorem revocari; piæ verò animæ, quæ charitate magis, quàm timore ducuntur, Passionis Dominicæ memoriâ in amorem Dei, ac majorem vitæ profectum adduci solent: quin & frequens ac sedula Passionis Dominicæ recordatio, saxea non raro impiorum, & in sua diu impietate obstinatorum corda emollivit, ut verè rectéque dicat S. Bernardus Feriâ 4tâ majoris hebdomadæ: *Adest Passio Domini, usque modò terram movens, petras scindens, monumenta aperiens &c.*

S. Paulus, magnus & judæorum magister, & præco gentium, exclamat 1. Cor. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem*

dem scandalum, gentibus autem stultitiam. Dicit: *Nos*, quasi ipse, aliique viri Apostolici, præ aliis præcones sint Dominicæ Passionis. Addit: *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Quasi dicat, à prædicatione illa minimè desistendum esse, quidquid ex ea, vel Judæi scandali, vel gentes stultitiæ prætendant. Et certè Passio Dominica, Apostolicâ prædicatione digna est, cùm ratione personæ patientis, quæ Deus immortalis est in corpore mortali, tùm ratione fructûs, ex ea emergentis, qui est Redemptio generis humani, ex quâ, veluti ex fonte suo, & peccatorum remissio, & nostra justificatio, & omnis meriti, bonique omnis, & ipsius adeò salutis ratio dimanat. Et quis est, qui exinde se obstrictum non censeat, & ut Deo gratias agat, & ut in laudem ejus prorumpat, si beneficia ex Passione Domini in nos dimanantia perpendat leviter, aut vel ea recogitet? Verum est, nemo ad gratias hìc; vel ad laudes sufficit (ea nempe beneficiorum illorum & magnitudo est, & multitudo) attamen Deo, optimè sanè ergà nos affecto, satisfacit, qui, quod potest, facit.

S. Petrus, qui perinde ac S. Paulus, Christum prædicavit crucifixum, fideles, quibus eum prædicavit, unà admonet, ut exemplis Christi crucifixi, velut relictis ab eo vestigiis, insistant, solâ Passionis recordatione minimè contenti, *Christus*, (inquit 1. Petr. 2.) *Passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Errant, qui satis esse volunt, solâ Christum cru-

te. Matth. 27. *Terra mota est.* Saxa & lapides turbata sunt. Ibidẽ: *petræ scissæ sunt.* Turbata monumenta. Ibidẽ. *& momumenta aperta sunt.* Haud tamen patientia *D*omini in Passione sua turbata est. Non turbavit patientiam ejus Iudæ proditio, non militum ligatio, non Pontificum accusatio, non Caiphæ condemnatio, non discipulorum desertatio, non Petri negatio, non Herodis illusio, non Pilati ad crucem damnatio, non crucis bajulatio, non ipsa crucifixio. Patientia IESU erat perfectissima, numeris omnibus absoluta, quid turbaret eam? nihil sanè. Quid? pœna omnis, cruciatus omnis, omnis injuria, ignominia, confusio IESUM delectabat. Patientia virtus est regia, ac omnibus omninò necessaria. Patientiam si quis sibi velit perfectiorem, IESUM in cruce patientem spectet attentiùs, & haud ægrè didicerit eam.

Hinc & est, quod Ecclesia nostra, nostrî solicita, & quidem ab Apostolorum institutione, modis certè variis Passionis *D*ominicæ memoriam, renovatam nobis continuò, ac inculcatam vult, picturis atque imaginibus ubique appensis, IESUM crucifixum referentibus; signo crucis formato ad sacra ac profana, in capite ac pectore: jejuniis ac abstinentiis, distinctis per annum temporibus: celebritate hebdomadæ sanctæ supra modum solemni: atrato altarium vestitu, stitoque campanarum pulsu, ac multis aliis observantiis, ad commovendos animos piè institutis. Et quidem quod facilè præcipuum est, *D*ominus sacrosanctum Missæ sacrificium instituit, quo mor-


mortem suam, effusumque pro nobis sanguinem repræsentet, in singularem videlicet ac quotidianam Passionis suæ recordationem. Templa si adeamus ac Oratoria, per totam ubique Ecclesiam, nullum uspiam offendimus, Icone Christi Crucifixi non instructum. Quid templa referam ac oratoria? Habent & privatæ fidelium ædes Crucifixi imagines. Tuguriolum, casamque agrestem ægrè reperies, eâ inibi non repertâ. Quocunque per Ecclesiam loco existimus, in Crucifixum ubique oculos conjicere licet, ita ut modò nos de fidelibus omnibus meritò dicamus, quod olim Apostolus de Galatis suis, Gal. 3. *Ante quorum oculos Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.*

Porrò Opus hoc, de universa Passione Dominica, Opus (quod non diffiteor) satis magnum, satisque sublime est, vel ob solum, quod in eo pertractatur, argumentum. Unde & illud magno studio, multoque labore conscribo. Utinam cum multo & pietatis augmento, & fructu salutis. Prodit sub nomine *Meditationum Prædicabilium.* Enimverò sermones de Dominica Passione, usu communiore Meditationes dicuntur, quàm Conciones. Et quia Meditationes hæ eâ utcunque conscriptæ sunt methodo, quâ commodè dicantur ad plebem, non ineptè dicuntur prædicabiles. Et quidem conscribere aliquando ejusmodi Meditationes, ab annis jam multis, in animo habui; distuli tamen continuò, eo id etiam ex capite, quod fore supra vires meas arbitrarer.


Tan-

Tandem tamen innixus divinæ gratiæ, quâ instruar ac dirigar, atque fretus illius ope, in quo omnia possumus, tabulæ admovi manum. Verum est, SS. Patres, aliique plures docti ac pii viri, plura de Passione Dominica commentati sunt, sed non isto plerumque modo, quo ad plebem dici possunt, nisi novo adhibito studio in eum dirigantur. Itaque materiam in hoc opere ex SS. Patribus, aliisque doctis piisque viris collectam, in modum ejusmodi, quantùm licuerit tenuitati meæ, dirigere conabor. Fateor, zelum sæpenumerò miratus sum & Sacerdotum in Missione nostra, publicis ad plebem dictionibus meditantium, & fidelium publicas illas dictiones numero semper maximo, frequentantium. Zelus iste quidni mereatur, ut quis ei lucubratione in usum eorum directâ succurrat? Stylo utor, non quidem sublimiore aut facundiore, quo plausum vener virorum eruditorum: neque enim res sancta divinaque, cujusmodi & est Passio Dominica, cum tumore & lenocinii pigmento, tractanda est. Utilia sector, non plausibilia. Nec etiam stylo utor vili & abjecto, contemptûs vitandi gratiâ: stylo utor facili ac plano. Simplicibus, qualis plerumque pars major est auditorum, si utiliter eis loqui velimus, simpliciter loquendum est. Cæterùm in toto Opere, ut gratius sit, perinde ac utilius, nihil adferam, nisi quod sincerum ac solidum est, ne fucus,

cus, sicubi eo illitum foret, detrahat auctoritati, aut devotioni impedimento sit. Id unum rogo enixiùs (votum aspiret Deus) præfixum ut attingam finem, qui est JESUM Christum Crucifixum, fidelium mentibus altiùs infigere, *Ut* (2. Corinth. 5.) *non sibi*, dein illi *vivant*, *sed ei, qui pro ipsis mortuus est*, ac dicere quilibet posset cum Paulo, Gal. 2. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*



CEN-



CENSURA.

Liber, qui inscribitur, FASCICULUS MYRRHÆ, *sive Meditationes Prædicabiles de universa Passione Dominica &c. Lectus à me, ex commissione Illustrissimi Domini Internuncii Apostolici, Vincentii Santini, &c. pias de Passione Christi continet Meditationes, ac moralia documenta, & materiam subministrat recogitandi eum, qui talem sustinuit à peccatoribus, adversùm semetipsum contradictionem, ut nunc possimus socii Passionum esse, futuri & gloriæ, utiliter typis evulgari poterit. Ita censeo 2. Aprilis 1715.*

PETRUS van BEEST.
S. T. D.



MEDITATIONES PRÆDICABILES

De Universa Passione Dominica, &c.

EXod. 3. legimus de Moyse oves pascente Jethro soceri sui, rem eum miram magnamque vidisse: nempe rubum videbat ardentem, qui tamen non comburebatur. Volens verò propiùs accedere, rem istam, oculis velut testibus, magis exploraturus, admonetur ne faciat, nisi calceos exutus, nudis accedat pedibus. Ita habet sacer textus: *Moyses autem pascebat oves Jethro, soceri sui, Sacerdotis Madian. Cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitque illi Dominus, in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergò Moyses, vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses, qui respondit, adsum. Ait ille: ne appropies, inquit, huc: Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Rubus ardens est Christus patiens. Arsit Christus erga nos, tunc potissimum quando passus est pro nobis. Arsit, nec combustus est, neque enim amor illius erga nos, quidquid ei, in passione sua, cruciatuum ac tormentorum,

quidquid ignominiarum ac confusionum obvenerit, consumptus est.

Passio Domini magna sanè miraque visio est, mirabilium omnium mirabilissima. Jer. 2. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* Et Is. 29. *Obstupescite & admiramini.* Filius Dei unigenitus, Deus de Deo *patitur* in passibili corpore. Ponit ille vitam suam, vitam excellentem, vitam pretiosam adeo, ut vitæ omnes Angelorum & hominum, omniumque creaturarum possibilium, simul junctæ, ad eam comparationis nihil habeant, minùs quàm vita unius muscæ, vel culicis, habet ad vitas omnium totius mundi Monarcharum. Patitur ille *pro nobis*, qui gutta non sumus roris antelucani ad illum comparati: aut maris arenula comparata ad mille milliones mundi. An non ergò Passio Christi visio magna? immò verò, visio illa multò maxima est. Visionem hanc, Passionem inquam, Dominicam, meditatum imus, visumque eàm propiùs, & quàm possumus, attentiùs, abjectis calceis, externis cogitationibus curisque exuti.

INSTITUTIO

Sacro-Sancti S. Eucharistiæ Sacramenti.

DOminus JESUS, Passionem suam auspicaturus, ac per eam ad mortem, per mortem ad Patrem, atque adeo ex hoc mundo transiturus cœnam celebrat cum discipulis suis, Sacro-sanctum S. Eucharistiæ Sacramentum in ea instituens. O admirabile Dei consilium! O adorandum sapientiæ divinæ mysterium! Abiturus à nobis Dominus, quò ad modum visibilem, apud nos, quòad mo-

modum invisibilem, manere statuit. Ita S. Matthæus c. 26. *Cœnantibus autem illis, accepit JEsus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite & comedite, Hoc est corpus meum.* Mensæ accumbens cum discipulis, panem accepit, eumque vi ac virtute hujus sui dicti: *Hoc est corpus meum*, in corpus suum commutavit. Fides hæc, & veritas catholica est, in qua quidem quatuor hæ perfectiones divinæ perfectissimè relucent.

I. *Sapientia.* Hæc modum invenit, instituto hoc sanctissimo Sacramento, mirum ac ineffabilem dandi se nobis, pascendique nos ac cibandi nutrimento interioris vitæ. Et quemadmodum, cùm Deus homo factus est, reluxit in eo sapientia admirabilis, quæ res duas adeò diversas, ùt Deus & homo, in personæ unitate conjunxit, sic etiam eadem sapientia relucet in Sacramento hoc sanctissimo; sapientia, inquam, divina, quæ invenit modum Deum factum hominem conjungendi cum panis specie, in Sacramento, quo alimur interiùs ac nutrimur. O quæ nobis, ac quàm suavis affectio hìc, & concitatio in animo oritur, affectio admirationis, gaudii, gratitudinis, exultationis, quòd habeamus Deum ità sapientem, & ex sapientia ita operantem! Est quod nobis gratulemur ob ineffabilem hunc divinæ sapientiæ effectum: est quòd laudemus Deum, gratiis ei peractis, ob institutum hoc sanctissimum Sacramentum, modumque mirum ac ineffabilem, suâ sapientiâ inventum, quo Deus factus homo panis specie contegitur, illustrati fidei lumine, in ejus obsequium intellectum captivantes, captumque nostrum rebus subjicientes intellectum

captumque longè ſuperantibus. Neque mirum eſt, aut videri debet, quòd is, cujus & ſapientia ineffabilis eſt, facere poſſit, faciatque, quæ intelligere nos ac capere non poſſumus. O ſapientiſſime Deus, ac Fili Dei unigenite, *in quo ſunt* (Coloſ. 2.3.) *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, nos ſapientiâ perfunde, ut hoc beneficium, grande ac divinum, ſanctiſſimi hujus Sacramenti, & agnoſcamus & æſtimemus, grateſque pro eo debitas ore tibi animoque referamus.

II. *Potentia.* Hæc ſanè non minùs, quàm ſapientia, in ſacro-ſancto Euchariſtiæ relucet Sacramento. In hoc Dominus, uno velut verbo, unoque temporis momento, plura patrat miracula, cùm in pane, tum in corpore ſuo, quod utrumque, ut eo paſcamur, ita conjungit, ut ſubſtantiam panis momento uno tranſmutet in ſuum corpus, pane deſinente, ſolâque dumtaxat panis ſpecie remanente; atque hoc id modo, ut corpus totum, & in tota ſit hoſtia, & in ejus ſingulis ſeorſim partibus: & ut licèt frangatur hoſtia ac dividatur, non corpus tamen ipſum frangitur ac dividitur. Et hoc quidem totum verâ vivâque fide credendum eſt. Ecquid ni credatur? dominus omnipotens eſt, atque adeò omnia poteſt, poteſt itaque & hoc. Atque ut credamus, re vera eum id feciſſe, & non tantùm facere potuiſſe, ſufficit ſcire, quod ſe facturum dixerit. O admirabilem, & ſupra quàm à nobis capi poteſt, potentiæ divinæ magnitudinem! Quid facis omnipotens Salvator? ut vilem terræ vermiculum, hominem paſcas ac nutrias, univerſum naturæ invertis ordinem, reddens, novo prorsùs & ſupra ca-

ptum

ptum modo, staturam tui corporis, conformem ad parvitatem servi tui. Benedicta sit Christe potentia tua, quâ totum potes. Me per eam in alium commuta, bonique me isthinc fructûs redde participem.

III. *Amor.* Hic ex maximis relucet signis, quæ data sunt, & quibus majora dari non potuerunt. Ac sanè, sicut æternus pater amorem suum erga nos summum, manifestum testatumque reddidit, donando nobis filium suum, juxta illud Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum,* id est, rem à se maximè adamatam, maximoque in pretio habitam *daret*: sic etiam filius æterni patris, JESUS Christus, amorem suum ergà nos maximum reddit manifestum, dando nobis in cibum, quod habet pretiosissimum, videlicet se ipsum ac corpus suum, totumque quod illud sibi annexum habet, aut in se continet. Si quis abundans divitiis, pixidem habeat pretiosam, unionibus, auro, argentoque plenam, aliisque rebus pretiosioribus, & cui dicat: do pixidem hanc tibi, censetur passim ille dare, & pixidem ipsam, & totum quod in eo continetur; ita & Dominus noster J. C. dando nobis corpus, carnemque suam, dat simul & suum sanguinem, & animam suam, & divinitatem suam, satisfactiones suas & merita, ut fruamur illis, desiderans ipse manere semper apud nos, ac nobiscum conversari, nempe *deliciæ ejus sunt* (Prov. 8.) *esse cum filiis hominum*; adeoque velut & deliciari nobiscum. O mi dilectissime, quid tibi ego retribuam pro amore tuo, quem & in hoc sanctissimo Sacramento in me effundis? Tribuis tu mihi, quod habes optimum: quid ni, quod optimum ego habeo, retri-

buam tibi? Tribuis tu mihi te ipsum, totumque quod tuum est: cur non & ego retribuam tibi totum, quod meum est, corpus meum, animam meam, vitam meam & quidquid in potestate mea reliquum est? Juva me Domine, ut quod desiderem, reipsa impleam, gratesque referam, quas tibi pro ineffabili hoc & inexplicabili beneficio, pro hoc Sacramento sanctissimo, in quo te ipsum mihi cum tuis omnibus tribuis, debeo.

IV. *Zelus.* Zelus ignis est: & certè ignis ille in SS. Eucharistiæ Sacramento vel maximè relucet. Zelus Christi Sacramentum illud instituentis, quo ipse & sumitur & comeditur, ignis ardens est, ardens pro salute nostra. Zelus, inquam, ejus in hoc Sacramento elucescit, qui eum, & medium excogitare, & adhibere fecit, quo nobis in hoc tam sacro ac sublimi Sacramento, fructum Passionis suæ applicavit, dicere ut possit Ps. 68. *Zelus domûs tuæ comedit me.* Et quidem comedit zelus ille non honorem solummodò ejus, divitias, opes, vitam, sed & se talem reddens, qui & edi potest, & editur, ut divino hoc saturentur epulo, qui habitant in domo ejus. O Amantissime JESU, gratias ago tibi pro tuo hoc, quo arsisti & ardes, zelo, pro domo patris tui, quæ est Ecclesia, ob quem te cibum facis animæ meæ, quo pascatur ea, ac nutriatur. Zelum & mihi tribue ardentiorem ac ferventiorem, quo succendar ad gloriam tuam, ut & me comedi sinam vitæque non parcam meæ pro illa, ut & ea diffundatur latiùs, magisque continuò ac magis augeatur.

MEDI-

MEDITATIO I.

Ingressus JESU in Jerusalem.

JESUS Christus Dominus ac Salvator noster ingressus est in Jerusalem, id est, in urbem Judææ principem: aut, si mavis, orbis totius Metropolim, in qua, velut in publico orbis theatro, Passio ejus exhibenda erat. Profectus eò est cum discipulis suis, exceptusque ab urbis incolis pompâ sanè non exiguâ, ac veluti cum triumpho. Sciens JESUS passionis suæ tempus proximum esse, Judæosque in Jerusalem, Pharisæos ac Sacerdotum Principes jam modò convenisse, ac consulere, quo meliore modo tenerent eum & occiderent, se, sponte suâ, eam in urbem contulit, in illamque intravit. *Ecce* (Luc. 18.) O Discipuli mei, *ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus & illudetur, flagellabitur & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum.* Christe Salvator, nôsti, quid te manet in urbe illa, & tibi in ea quàm amara parata sit passio; & equidem eò vadis? sed urget te affectio tua erga nos, zelusque tuus pro nobis. At circumstantiæ plures hìc meritò considerandæ sunt.

I. Consideratio.

S. Marcus primam nobis suppeditat, dicens cap. 10. *In via erant* (Dominus cum discipulis suis) *ascendentes Jerosolymam, & præcedebat illos Jesus, & stupebant.* Vide, *Præcedebat illos Jesus*, quasi qui ante alios illic adesse festinaret. Præcurrit, gressu ad

ad ſtuporem uſque comitum ſuorum accelerato Dominus. Greſſum non adeò accelerant diſcipuli, non adeò currunt illi; quieſcere vel tantillùm optâſſent ad pedem montis, (ſita nempe in monte urbs Solymæa) laſſi ex multo jam itinere. Haud tamen laſſus Jeſus, qui curſu celeriore quidem ſuos in ſtuporem agit. Viator, qui urbem cogitat, in qua vel parentes amantiſſimos, conſanguineos, aut vel aliam rem quampiam, vehementiùs à ſe adamatam certò inventurus eſt, quàm non feſtinet? quomodo equo calcaria non addat? in avem penè migrare optat, ut volare poſſet, ut adſit citiſſimè. Perinde nunc in Jeruſalem citiùs adeſſe peroptat Dominus. Præcurrit itaque.

Myſterium ſi quis velit, cur Dominus, contendens in Jeruſalem, feſtinet adeò, curſumque, ut citiùs in ea adſit, urgeat, illud ſibi habeat. Jeruſalem urbs eſt, in qua Paſſio ejus peragenda, in qua flagellandus, conſpuendus, occidendus; ſuum ergò per hoc deſiderium & promptitudinem ad paſſionem ſuam depromebat. Paſſio res ei erat adamata vehementiùs, atque ideo ea, ut præcederet ſuos, greſſu acceleratiore adigebat. Rapiebat Dominum, & alas ei tantùm non addebat pro nobis patiendi, moriendique amor. Theophylactus dicit: *Præcedebat illos Jeſus, ut oſtenderet, quod ad paſſionem præcurrat, & non refugiat mortem pro ſalute noſtra.* Amat illam & optat. Lyranus ait: *Stupebant* (diſcipuli) *quòd ità promptè & hilariter iret ad locum paſſionis.*

O Mi Chriſte, amans noſtri, quantùm me miſerum & ingratum amas? Tu acceleras greſſus, ac velut avis volas, ut ſalves me, & ego accelero, ut pecca-

peccatis meis offendam te. Tu desiderio flagras, ut patiaris pro me, & ego vel tantulum pati pro te recuso. Tu crucem amas, habere eam & amplecti desideras, & ideo ita in Jerusalem festinas, cursumque acceleras. Discam ex hoc ego amare crucem; saltem non aversari eam, omnemque, leviorem etiam, continuò, ùt fit, abigere à me, aut abactam velle.

II. Consideratio.

S. Lucas alteram nobis, in hoc Domini, versùs urbem Sólymææm itinere circumstantiam, non minùs ùt priorem considerandam, suggerit. Ita ait cap. 9. *Ipse* (JEsus) *faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem.* Domine, parùm abest, quin te amore patiendi pro nobis velut incantatum dicam. In Jerusalem contendis cum discipulis tuis, & obtutum in Jerusalem conjicis continuum, fixè quidem adeò, ut ne ad gressum unum eum ab illa avertas, velut statua immobilis. Jerusalem sicut tibi in votis, ita & in oculis est. Mirum sanè hoc, & magni aliquid in eo continetur. Quid, Domine, decoris in objecto illo est, quod oculos tuos adeò pellicit & pascit, ut eos illic jactos semel, non avoces iterum, etiam cùm alii te alloquuntur, & tu illis sermonem reddis? Quid tibi in fixo hoc obtutu est delicii? Sponsus novellus oculos à sponsa ægrè avertit. Amator, etsi per devia declinet, objectum tamen amatum fixis observat oculis. Atque ita hìc nunc tu.

Hujus porrò mysterium haud ægrè percipimus, causâ ex prioribus facilè innotescente. Dominus amore patiendi tantùm non incantatus, urbem Solymæam fixè intuetur, quòd in ea vehementiùs adamata passio ei parata sit, ibi non alibi subeunda.

Ubi thesaurus est, ibi & cor est; ubi verò cor, ibi & oculi diriguntur. Facies Christi facies amantis est, firmatur illa in Jerusalem, quod pati in ea morique amet. Verbo dicam: adamata à Jesu super omnem thesaurum passio oculos in urbem dirigit & figit. Audite S. Damascenum: *Parcite, si facies ejus sit contra Jerusalem: ejus enim facies facies aman is est, & quemadmodum habet in Jerusalem cor defixum, ita necesse est, habeat & vultum.*

Utinam, O anima deliciosa, passio & à te adeò adamata foret, ut ea cor tuum raperet. Sed cor tuum, addo, & oculos tuos rapiunt deliciæ tuæ, aut vel aliæ res terrenæ, in quas effunderis, quarumque desiderio ageris. Amat te Deus; atque adeò & pati & mori pro te optat. Vicissim tu Deum ama, & pati morique cum illo, corde tuo terrenis minùs affixo rebus non refugies, fortè & optabis.

III. Consideratio.

O Spectaculum! O prodigium! Quis capiet? Dominus JESUS, dum pompâ non exiguâ, ac velut triumpho, ab omnibus, imis, summisque urbis Solymææ incolis, in urbem illam recipitur, laxatis, quo cor torquebatur, dolori habenis, in lacrymas prorumpit. Ita S. Luc. cap. 19. *Et cum appropinquaret Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam.* Quid luctus cum pompa? quid cum triumpho fletus? Rectè admonet Sapiens Eccli. 11. *In die bono ne immemor sis malorum.* Quando bona sunt præsentia mala, non raró sunt proxima; quare rectè, illa si affluant, horum recordamur. Et quidem Dominus in se id vel maximè expertus est, qui receptus pomposè ac magnificè, velut Rex, quinque

que vix interlapsu dierum, velut facinorosus latro, morte cruceque dignus, ingenti ignominiâ atque opprobrio educitur, mutatis tam facilè hominum illorum animis, amore eorum in odium converso.

Ecquæ causæ, amabo te, fletûs hujus? Neque enim viri graves flere solent, nisi causæ subsint graviores. Prima ac præcipua fletûs hujus causa, est amor flentis Christi in nos, immensus quidem ac infinitus. Enimverò sicut ex immenso illo infinitoque amore in nos profluebat gaudium, quòd ad mortem iret, in Jerusalem subeundam, sic etiam ex hoc eodem amore profluebat fletus hic, ob damnum salutis, quod morte illâ non obstante, non pauci tamen passuri erant, meriti id licèt ob peccata sua. O Jesu amans nostri, quandonam tu extra passionem eris, si tuus ipse amor in nos, absque quo esse nequis, fletûs tibi, atque adeò doloris causa sit? Altera in Jesu fletûs causa peccata sunt Incolarum Solymæorum, atque pœnæ iis, ob peccata plurima sanè ac enormia, impingendæ, quas inter & urbis illius præclarissimæ, urbisque totius, ab imis usque radicibus omnimoda eversio, juxta quod addit S. Evangelista ex ore haustum Domini: *& non relinquent in te lapidem super lapidem.* Amor in illos, quo flagrat Dominus, commiserationem parit, commiseratio verò fletum.

Considera O pia anima, & recogita, quod amator omnium, & singulorum Dominus tua etiam defleat peccata, quæ & tunc cum peccatis aliorum hominum ante oculos illius versabantur. O Mi Salvator, tristitia mihi magna est, quod & ego causam fletûs tibi peccatis meis dederim: non dare

eam

eam amplius post hæc pro viribus meis satagam. Ego sum, qui flere debeam, quia ego sum, qui peccavi. Tertia causa fletûs in JESU est, ut ostendat, quàm parum æstimetur ab eo honor omnis mundanus, ac quàm parum is ei curæ sit, quantumvis triumphalis ac magnificus, cum inter ipsos honores ac ipsas inter triumphales acclamationes lacrymas fundat, ipsumque suum iis funestet triumphum. Disce, O Christiane, gloriam contemnere, quâ fulgemus in mundo, ut eò magìs quæras gloriam, quâ coroneris in cœlis.

MEDITATIO II.

Egressus Christi ex Jerusalem.

DOminus JESUS, vix quinque in Jerusalem substiterat dies, & de eâ iterum egreditur, pergens in hortum, qui dicitur, Gethzemani, initium in eo Passionis suæ positurus. Pergens in hortum illum, necesse ei erat, torrentem transire, qui dicebatur Cedron. Videor hìc mihi videre Davidem Regem. Egreditur & ille de Jerusalem. 2. Reg. 15. fugiens Absolonem filium suum, qui in eum insurrexerat, ac torrentem illum transit. At quid est Domine, quod in Jerusalem non subsistas? Quid ita in Gethsemani festinas? Quid est, quod impellit te? Est notus tuus patiendi moriendique pro nobis amor: acceleratoque hoc itinere tuo, tuam patiendi pro nobis alacritatem atque promptitudinem demonstras. Gaudebas horam advenisse Passionis tuæ, quid ni te urgeat & gaudium illud, ut moram omnem abrumpas, & ad Passionem jam

jam proximam tantùm non voles? O quàm nos, Domine, tibi dissimiles sumus, qui tui causâ pro nobis pati morique ita exoptantis, tam ægrè aliquid patimur.

I. Consideratio.

S. Matthæus egressum Domini ex Jerusalem enarrans, dicit C. 26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Pascha Dominus celebrârat cum discipulis suis, Sacro-sanctum S. Eucharistiæ Sacramentum instituerat, lotisque discipulorum pedibus illud eis communicârat: præclaram ad eos concionem, quâ ad mutuam ipsos dilectionem adhortabatur, dixerat; atque post illa foràs pergit, in montem Oliveti tendit. Dicitur; *Et hymno dicto.* Ecquid iste hymnus? Communis est opinio, quod hymnus fuerit, qui incipit Ps. 113. *In exitu Israel de Ægypto*; eum nempe hymnum Hebræi, Paschate celebrato, canere solebant, quo exitûs eorum ex Ægypto memoria quotannis renovabatur. Hic cantus hymni hujus, vox Domini velut postrema fuit: cygnæa vox, ad mortem se præparantis: vox laudis, vox gratiarum actionis. O cantum solemnissimum! Abibat Dominus, ut novum fœdus sanguine suo confirmaret, ut redemptionis opus, ad quod venerat, consummaret, ut voluntatem Patris, quam facere in desiderio ac deliciis habebat, perficeret. Canere itaque, ut gaudium exprimeret animi, visum fuit.

Disce, homo christiane, post mensam, sumpto in eâ cibo, gratias agere Deo, ciborum largitori. Quis ex christianis ritè institutis hoc non facit? sunt tamen

men, sed inter irreligiosiores, qui omittunt. Porcis hi (liceat mihi dicere) similes, qui nunquam attollunt oculos ad arborem, unde eis decidunt glandes, vorare eas tantùm curæ habent. Bruta gratias agere nequeunt, ad quas proinde non tenentur; atque vel ex hoc ad eas minùs tenentur, quòd non sibi, sed homini illa nutriantur. At homo, qui & sibi vivit, ad gratias obligatur maximè. Agat itaque illas, atque id quidem ex pietate, non ex consuetudine.

II. Consideratio.

PRiusquàm Dominus Jesus egreditur ex Jerusalem, egressus jam erat ex cœnaculo, hoc est, ex loco, in quo Sacro-sanctum S. Eucharistiæ Sacramentum instituerat, Paschate in eo cum discipulis suis celebrato: & secedebat in montem Oliveti, hortumque Gethsemani, monti illi vicinum; non utique ut in horto, (quod fit) animum oblectaret, aut deliciaretur, sed in eum, velut in locum solitarium, ipsâque suâ solitudine ad orandum aptum, oratum vadit, suamque Passionem, quam jam jam inchoaturus erat, Patri suo commendatum. Capiendus jam erat Dominus, sed capi voluit, non in cœnaculo, in quo Pascha celebrârat cum suis Discipulis, ne velut comessator aliquis aut potator in convivio caperetur: voluit capi, ut orator generis humani, hinc priùs in hortum vadit, in quo oret. Egreditur de civitate, ne fortè, si in ea capiatur, in ea quoque pax publica turbetur. Et quidem jam antea metuebant Pontifices, ne ob capturam Domini, animos populi jam possidentis, tumultus in eo fieret. Plures dubio procul starent pro illo, moti plus quàm humanis,

di-

divinis, inquam, ejus adhortationibus ad ipsos factis, miraculisque quotidianis, in gratiam eorum, seu quibus infirmi eorum sanabantur, (sanati autem sunt innumeri) patratis. Fortè cum Petro aliqui, exemptis gladiis, in emissos ad capiendum milites involâssent. Passio Domini pacem, præcipuè quidem, Deum inter & homines, sed & homines inter se, adferre debebat, non turbationem: omnibus debebat prodesse, obesse nemini. Ita Jonas Propheta Jon. 1. *Si propter me orta sit hæc tempestas, mittite me in mare.* Sed ecce plus quàm Jonas Christus, qui nullam propter se tempestatem, ortam aut foram voluit; atque adeò ne ea fortè oriatur, aut turbatio aliqua fiat, è civitate se proripit, Passioni mortique obviaturus.

O quàm facilè tempestas oritur inter homines, inter familiam & familiam, inter parentes & filios, inter fratres & sorores! O quot passim, ac quanta concives inter ubique dissidia! levis dumtaxat, ad ea serenda fovendaque sufficit injuriola, offensio non rarò levissima. Causa verò aut radix dissidiorum præcipua, propria cujusve cupiditas est, meum ac tuum, quâ in re vix cedit alter alteri. Rarum est Abrahæ exemplum Gen. 13. qui factâ rixâ inter pastores gregis sui, & pastores nepotis sui Loth dixit & obsecrat: *Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est: recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram vadam.* Rarum, inquam, exemplum, sed vel maximè laudabile: & quidem pacis servandæ vel turbationis vitandæ

tandæ ergò, quidvis potiùs faciendum, aut vel tolerandum est. S. Gregorius Nazianzenus, Episcopis propter se dissidentibus, vexantibusque, ajebat: *Si propter me orta est tempestas, dejicite me in mare, ut vos jactari desinatis.*

Ita & tu, O Christiane, dissidia vites ac jurgia, turbationes cave: ut pax servetur, te potiùs in victimam devove, cede alteri etiam te subinde minori. En dominus tuus pacis servandæ ergo, ac turbationis vitandæ, ex civitate foràs secedit.

III. Consideratio.

OBservatum est jam supra: Dominus ex Jerusalem ad montem Oliveti, atque ad hortum se conferens Gethsemani, transivit Torrentem Cedron. Ita S. Joannes C. 18. *Egressus est JESUS cum discipulis suis, trans Torrentem Cedron.* Torrens hic medius erat inter Jerusalem & montem Oliveti. Torrentem ergò illum ex Jerusalem pergens in montem Oliveti transire debuit. Torrens res adversas, molestas, tædiosas significat vitæ humanæ. Torrens est vita hæc, sed torrens, cujus amariores sunt aquæ. Quis vel uspiam est, cui in hac vita amaritudo non est? non immunis hìc est probus, nedum improbus: non dives, nedum pauper. Quid? non probissimus, non ditissimus, sua omnibus in hac vita amaritudo manet, ità ut ipsa humana vita in se considerata non paucis (bonis licèt abundent plurimis, sibique illi indulgeant liberaliter) tetrica videatur & acerba. Ipsi Salomoni, in tanta deliciarum affluentia, vita hæc visa non fuit, nisi labor & dolor, seu afflictio Spiritûs, quæ certè non alia

quàm

quàm interior amaritudo est: totum, quod in mundo est, (quidquid istud jucundum videtur ac deliciosum) amaritudine respersum est. Divitiæ & opes delicias pariunt, sed curæ innumeræ ac solicitudines eas non raro amariores reddunt. Ita & cum honoribus, ita & cum ipsis voluptatibus est: quæ vel hoc ipso amaræ sunt, quòd appetitum non satient hominis, sed magis accendant & acerbent.

Sanctissimus Propheta David dicit Ps. 123. *Torrentem pertransivit anima nostra.* Torrentem pertransire aptè designat, vitæ hujus transitoriæ adversa & incommoda devorare aut haurire. Et certè hausit illa ipse liberaliter, sensu vel maximè interiore. Unde & dicit Ps. 68. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Neque inde tristandum est, aut conquerendum. Bonum nobis est, quod aliquando habeamus aliqua adversa & incommoda, quia sæpe hominem ad cor revocant, ut se probiùs cognoscat, nec spem suam in re aliqua temporaria collocet. Juvant illa sæpiùs ad humilitatem, & à vana gloria nos defendunt: faciunt nos melius Deum quærere: interiorem in homine causant consolationem, & mentem erigunt ad quærenda cœlestia. Solatio ingenti est afflicto homini illud Ps. 109. *De torrente in via* vitæ hujus temporariæ *bibet.* Quid deinde sacer Propheta? *Propterea* (ait) *exaltabit caput.* En Paulus de ipso Domino Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Bibit itaque in via de torrente; sed, vide, *propter hoc & Deus exaltavit illum, & donavit*

vit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.

Torrentem transis, mi Christiane, dum vivis, de aquis ejus bibis amarioribus; lubenti tu hilarique bibe animo: conbibe cum Duce tuo Christo, Bibe liberaliter, & cum gaudio, caput exaltaturus es. Bibe sic in via, potandus (de quo non dubites) torrente voluptatis in patria.

MEDITATIO III.

Christus in horto orat.

S. Joannes, dicens c. 18. *Egressus est Jesus cum Discipulis suis trans torrentem Cedron,* subdit: *ubi erat hortus, in quem introivit.* Ecce vox sponsæ, sponsum invitantis Cant. 7. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Et rursus: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Capio, quòd sponsa sponsum invitet ad hortum, si hortus deliciarum foret, sed hortus hic luctûs ac tristitiæ est. Capio equidem, Adam in horto, comedendo de fructu vetito, initium posuerat damnationis, oportunum itaque & erat, in horto initium ponere redemptionis. Dominus JESUS in hoc horto (O quàm cordi ipsi orare est) iterum iterumque & tertiò orat.

I. Consideratio.

S. Matthæus ita dicit c. 26. *Et progressus* (JESUS) *pusillùm procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix*

lix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et progressus pusillùm, nempè à Discipulis suis. Conduxerat eos secum, & tanquam viæ suæ comites, & tanquam testes orationis suæ, à quâ Passionem suam inchoaturus erat. Dixerat illis, cùm jam in hortum venerat: *Sedete hic, donec vadam illuc & orem*, quo dicto, ad passus aliquot ab eis digreditur: oraturus non ita sub eorum oculis, non omninò tamen ab eis remotus. Solemnis hæc Christi oratio, quâ & se commendet Patri suo, & opus, quod auspicatur, ac fructum illius expostulet uberem. O quàm demissè se, quantâque sui humiliatione ad orandum componit! Defigit humi genua, tanquam reus capitis, reus tamen non aliter, quàm ob peccata nostra: prolabitur in terram, immolandum projiciens se pro salute nostra, & simul exprimens (quos ipse referebat) sortem abjectissimam hominum peccatorum, qui quidem indigni prorsùs cœlum intueri, digni verò, qui pedibus omnium proterantur, ita in terram depressi, gravitate scelerum decumbunt. Manus nunc attollit, nunc demittit: nunc plicat, nunc torquet: nunc vultu suo terram ferit. O prodigium! illìc figit Deus suam faciem, ubi solent homines figere pedes.

Oratio Domini hæc erat: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quodque verbum pondus habet, unde expendi meretur. *Pater mi*, Hoc est, ego sum filius tuus, pro gravissimis peccatoribus acerba passurus: Parcesne mihi Pater, filio tuo unigenito? *si possibile est*, putà, nullam, salvâ

 di-

divinâ justitiâ, fuisse relictam aliam redimendi generis humani viam, quàm per mortem Filii Dei. Tu ergò, homo ingrate, hìc cum animo tuo reputa charitatem Dei, qui ut tibi parcat, non pepercit filio suo. *Transeat à me.* Oratio est deprecantis tam funestum genus mortis: tamen in verbis istis latet aliquid amplius, quasi dicat, nolim ut subsistat afflictio hæc in me, sed transmeet ad homines. Bibam ego, sanentur illi. *Calix iste.* Passionem vocat calicem, ceu quæ causam continet lætitiæ nostræ.

Tu expende voluntatis Filii Dei in re maximè ardua abdicationem: teque ad omnia paratum offer, ac à Deo impetrare satage indifferentem, ad res quascunque ei placitas, voluntatem.

II. Consideratio.

PErgit S. Matthæus orantem in horto Christum nobis proponere, inquiens de illo: *Iterùm secundò abiit* [JESUS] *& oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hæc secunda Christi oratio erat; post quam mox subditur: *Iterùm abiit, & oravit tertiò eundem sermonem.* Vide, iterum iterumque & tertiò orat Dominus, ut, si fieri possit, transeat à se calix, jam jam instantis Passionis suæ. Amarissimum fore calicem istum (quis dubitet?) pro quo à se avertendo Dominus adeò instanter orat? Patet ex hoc, quòd Dominus orationem suam iterum iterumque ac tertiò repetat, id quod primâ alterâque precatione suâ rogârat, non impetravit. Ne tu, O Christiane,

ne, molestiam ex eo capias, si non statim exaudiris ac impetres, qui neque tantus, nec tam facundus orator es. Insta, urge, repete, & tuo denique potieris voto: repetita oratio non rarò efficacior est.

S. Marcus describens orantem in horto Dominum, orantemque tertiò, sic eum orâsse ait: *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.* SS. Evangelistæ rem eandem narrantes, verbis tantisper discrepant, sed non sensu, quo conveniunt. Verba S. Marci digna quoque quæ expendantur. Ait: *Abba Pater*, Hoc est, Pater, Pater; quæ repetitio indicium quoddam est affectûs vehementioris, aut clamoris ad eum, qui longiùs abest, à peccatoribus autem longiùs abest Deus: atque ideò dicendum est cùm Davide Psl. 129. *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Et quia Christus personam peccatorum in se traduxit, eosque hìc refert ad Deum, quasi à quo longiùs abest, etiam vehementiùs clamat. Pater quidem cœlestis benignus ac benevolus parens est: de benignitate itaque ejus ac benevolentia benè speres: nunquam, quodcunque in peccatum incidisti, animum despondeas. Sustentat autem nos consolatione non exiguâ id, quod subjungitur: *omnia tibi possibilia sunt.* Quin & nihil Deo non tantùm non impossibile, sed nec vel quidquam ei arduum, aut difficile est: *Transfer calicem hunc à me*, Hoc est, Passionem jam jam instantem amove à me. Quid hoc rei est? Ardes Domine pati pro no-

nobis: atque ut Passionis tuæ initium ponas, hùc excurristi: & vel ipsâ hac precatione Passionem tuam commendas Patri, fructumque ejus expostulas, & nunc illam à te amotam vis? Absit: non tuus ille sensus est, quod verba indicant, quæ subjungis, *sed non quod ego volo, sed quod tu*, q. d. Pater, voluntas tua est, ut patiar, ei spiritus meus lubens se submittit, quidquid fors obmurmuret caro: *non quod ego volo, sed quod tu.*

Vide, O Christiane, consultissimum est, in eoque & Domini tui imitatio est, omni in oratione, voluntatem propriam abdicare. Multò meliùs, multòque securiùs regeris à Deo, ad voluntatem suam, quàm ad tuam. Ora igitur Deum, ut tu jumenti instar, ac velut, sine arbitrio tuo, ab ipso dirigaris.

III. Consideratio.

DOminus noster orans jam tertiò Patrem suum cœlestem, calicem jam sibi paratum: calicem, non voluptatis, sed amaritudinis, ut à se amoliatur, addit (quod jam supra annotavimus) *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Præclarum documentum, quod nunquam satìs repetitur. Videtur quasi horreat, hæreatque tantisper voluntas Domini ad acceptandum Passionis calicem, sibi jam paratum. *Pater mi* (ita ille) *si possibile est, transeat à me calix iste.* Equidem quidquid eum horreat, voluntatem tamen suam planè plenèque in divinam voluntatem resignat; atque ex plena resignatione illa Passionem magnâ promptitudine, magnâque alacritate adit: Hor-

rem us

remus passim nos ad quidlibet, quod naturæ durum aut molestum est. Amolitum id à se quis non exoptet? sed tuam dumtaxat voluntatem in divinam resigna, & nihil deinceps durum molestumque erit, quod magnâ etiam animi tui alacritate aditurus non es. *Fiat voluntas tua*, vox Ducis Christi est, sit & militum ejus, vox sit cujusque Christiani.

S. Leo præclarissimam nobis hìc suppeditat sententiam, dignam, quæ omnium cordi altiùs inscribatur. Ita inquit serm. 7. de Pass. *Hæc vox capitis, fiat voluntas tua, salus est totius corporis. Hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum tolerare terrores, nisi Christus in omnibus, & pro omnibus patiens, Patri diceret, fiat voluntas tua?* O vocem præclarissimam, omnibusque Christianis multò maximè necessariam, ac longè utilissimam: *Fiat voluntas tua!* O præclarum omnis afflictionis remedium! Hoc si adsit, non contristabit hominem, quidquid acciderit ei. S. Gertrudis Virgo, Deum fertur hunc in modum allocuta: *Domine ego toto corde desidero, ut non meam voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias.* Cui Dominus: *Qui vult, ut ad ipsum liberè veniam, debet mihi clavem propriæ voluntatis resignare: quòd si ex humana fragilitate eam resumere contigerit, mox pœniteat, ac eam iteratò resignet, & recipiet eam dexterâ misericordiæ meæ, deducetque ad regnum claritatis æternæ.*

Domine JESU, qui voluntatem tuam in afflictione tua resignâsti in voluntatem Patris tui, ego tuo edoctus exemplo, & meam in tuam resigno: atque præclarum hoc tuæ imitationis exemplum, & afflictionis remedium, *Fiat voluntas tua*, quidquid mihi accidat adversitatis, calamitatis, ignominiæ, infirmitatis, adhibebo.

MEDITATIO IV.

Christus tristatur in horto.

HOrtus, in quo hìc est Dominus, hortus est, non voluptatis, ac deliciarum, sed luctûs & tristitiæ. O quàm verum hoc, & quâ in Domino ipso id experientiâ manifestum! Erat ipse gaudium Angelorum, cui proinde gaudia convenissent ac deliciæ; sed nihil hìc nisi luctus & tristitia est. S. Matthæus dicit C. 26. *Cœpit JESUS contristari & mæstus esse.* S. Marcus C. 14. *Cœpit pavere & tadere.* S. Lucas C. 22. *Factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Dominus & interiore & exteriore tristitiâ obruitur. Peccata priùs in animo committuntur intùs, quàm foris exeunt in opus: voluit itaque Dominus & intùs in animo, & foris in corpore dolores admittere, geminoque dolore illo peccata abundantiùs expiare: atque vel ex hoc etiam memores reddimur redemptionis nostræ copiosioris, Ps. 129. *Copiosa apud eum redemptio.*

I. Con-

I. Consideratio.

O Triste, O lugubre spectaculum! Dominus JESUS, qui gaudium Angelorum ac hominum est, gravi sanè immanique tristitiâ interiùs exteriúsque torquetur. Dubitet quis de tristitia ejus interiore, quæ exteriore plerumque gravior est? En, ipsemet de se dicit Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Afflictus & corpore, afflictus & animo. *Tristis*, inquit, *est anima mea*; non levi quidem tristitiâ, aut ad breve tempus duraturâ, sed gravi, quæ & mortem inferre possit, & ad mortem usque ad ultimum vitæ halitum duratura est. Manifestum sic redditur, verum esse hominem, qui pateretur, verumque ei sensum esse Passionis suæ. Hæretici Manichæi dicebant, Christum non habuisse carnem veram, humanamque in ea sensibilitatem, sed mortem eum tantummodò & sic deinde etiam resurrectionem à morte simulâsse, adeóque & sensum simulâsse, ex Passione haustum. Cerdon & Marcion, veteres pariter hæretici natum dicebant, passumque Christum, in phantasmate solùm. Alii Doctores perversi, figmentis aliis Christo passibilitatem detrahere conati sunt. Quid factum foret, aut fieret, si Christus tam manifestum Passionis sensum non ipse explicuisset?

Sed ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Itane, Domine, ea tibi tristitia est, quæ pervadit animam tuam? Vox quoque tua est Ps. 68. *Intraverunt aquæ*, dolores putà & angustiæ, *usque ad animam meam.* Tristitiam, quâ anima tua

affligitur, manifeſtam facis Diſcipulis tuis, undecim nempe illis, qui te hìc comitati ſunt. Quid hoc eſt, nonne diſcipuli tui duodecim? Sed unus à cæteris abivit, Judas Iſcariotes. At quò abivit ille? Abiit ad Principes Sacerdotum. Ad quid? ut te Magiſtrum ſuum vendat illis, & prodat. O Ter-infeliciſſimum mercatorem! Vendere Magiſtrum, & Magiſtrum adeò beneficum: vendere eum Principibus Sacerdotum, juratis illius hoſtibus, certiſque illius interfectoribus? O ſcelus plus quàm deteſtabile! ſed, O Juda, gradum ſiſte: ad Magiſtrum tuum redi: amplexus oſtendit procul, in eoſque te, atque adeò in gratiam ſuam recipiet. At fruſtra admoneo: Satanas ſeduxit illum, avaritia cor ejus excœcavit. Impulit ea illum in hoc deteſtabile ſcelus: ne & præcipitem agat, impellatque in deſperationis, atque adeò in perditionis barathrum. Si hoc ſit, perditio, Juda, tua erit, tibique imputanda. Teſtes dominici amplexus, ad quos tu invitatus, ruere in eos neglexiſti. At quæ porro, triſtiſſime Domine, hujus triſtitiæ tuæ cauſæ ſunt? Non es triſtis, quòd cogites, habere te diſcipulos adeò infideles tibi aut ingratos, ut cùm manus injicerentur in te, turpi à te fugâ dilapſi ſint. Non es triſtis, quòd ipſe, qui longè pretioſiſſimus, pretio adeò vili ac nullo venditus ſis: quòd in corpore tenero adeò ac delicato, tam barbarè ac immaniter flagellandus ſis, aliiſque tormentis & cruciatibus diſcerpendus & occidendus; ſed triſtis es præcipuè, quòd pretium adeò pretioſum, quòd pretioſus adeò ſanguis tam copioſè à te fundendus ſit, fru-
ctu

ctu adeò exiguo. Tristis es, quòd tristeris tu ob peccata aliena, & quòd nos tristes non sumus ob peccata propria. O pientissime JESU, tristitia tua, tristitia est animæ tuæ, tristitia tua, quæ ad mortem tibi, sit nobis omnibus ad consolationem, ad gaudium, ad salutem, vitamque æternam.

II. Consideratio.

S. Marcus scribens JESUM in horto contristatum, dicit C. 14. *Cœpit* (JESUS) *pavere & tædere.* Pavore cœpit foris agitari, intùs percelli: & quidem usque ad convulsionem, compressionem, & propemodum usque ad suffocationem cordis, viriumque ac animi defectionem. Sinamus S. Laurentium Justinianum de pavore Domini doctè pièque loqui, his nempe verbis: *Quid est hoc Domine?* (ita ille de agone Christi. Cap. 1.) *contristarisne, & verè paves? Nunquid contristatur, per quem contristati recreantur? nunquid contristatur gaudium? pavet fortitudo? timet virtus? gloria tædium patitur? beatitudo denigratur? confunditur majestas? claritas obscuratur? infirmatur sanitas? latitudo coarctatur? Armatorum neminem vides, nullum cum gladio & fustibus venientem cernis: & times Domine? Christianæ militiæ Dux esse cognosceris: certantibus adversùs aërias potestates praees, & paves? Dominus exercituum diceris, & es; gladium non pacem venisti mittere in terram, & præliari formidas? si bellorum Princeps trepidat, si certamen ille, qui præsidet, inire veretur, quid cæteri agent milites? vellem utique pavo-*

ris

ris hujus scire causam: vellem tædii tui nosse mysterium. Non enim militibus tuis inferiorem te judico. Illos quidem cognosco, vicisse regna, imperia curvâsse, tolerâsse supplicia, extinxisse ignem, feras domâsse & mortem ipsam nullatenùs formidâsse &c. In Martyribus miraculum, in te verò fuisse documentum. Evexit sanè cœlestis virtus supra naturæ limites, fidei confessores, ipse autem mediator relictus pavere voluit & tædere. Agnosce igitur, O Homo, Salvatoris tui dignationem: se curvavit ad te, ut te elevaret ad se: humiliavit se propter te, ut te exaltaret in se. Ita S. Laurentius Justinianus facundè, doctè, piè.

Pavor & in viros magnos fortesque cadit. Ita S. Job (ecqualis ille, quantusque vir?) cap. 37. *Super hoc expavit cor meum, & motum est de loco suo.* Et Eliphas amicus ejus, qui illum consolatum venerat cap. 4. *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.* Ita & hìc nunc pavet tantisper Salvator noster. Nox tunc erat, quæ ipsa, caligine suâ ad pavorem confert, velut horrifica ex tenebris suis. Ipse autem in horto erat, id est, in loco à turbis secreto, remoto ab arbitris, ac solitario, ùt silentii, ita & formidinis pleno. Aderant ex discipulis aliqui, sed dormientes; unde ex illorum præsentiâ non pavebat minùs: Judam, adventantem cum cohorte militum, tantùm non videbat oculis suis: catenarum stridorem tantùm non hauriebat auribus suis, jam jam ligandus illis, & abducendus ad eos, qui mortem

tem illi, crucemque jurârant, quid ni tremant tantisper membra, cor palpitet, vultus expallescat, horreat animus: quid ni, inquam, ille totus paveat?

Pavet homo Salvator, & videt homo peccator. Pave & tu peccator homo, qui tot crimina commisisti pavenda, æterno in te, nisi paveas, nisi resipiscas, supplicio punienda. Ille, qui propter te pati amat & ardet, *pavere cæpit*, vult ut & tu paveas: atque ita paveas, corpore quidem, sed ut & corde doleas; & sic doleas, ut cum Deo tuo in gratiam redeas.

III. Consideratio.

PAvor, tædiumque in Salvatore, sanguinem illi excussit copiosum. Dicit S. Lucas cap. 22. *Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.*

Duo hìc præcipuè observanda sunt. Primum est, Dominum JESUM, sanguinem *verè* esudâsse. Euthymius & Theophylactus, duo veteres Patres, putant, quasi Dominus sanguinem non sudaverit *verè*; sed quod sanguinem sudasse dicatur proverbialiter: id est, vehementiore eum dolore correptum fuisse, sicut vulgò dicere solemus de his, qui valde anxii & angustiati sunt, aquam eos sudare & sanguinem. Sed non in hoc audiendi Patres illi: audiendi sunt cæteri, qui veram hìc sanguinis esudationem asserunt. Profectò cum S. Evangelium dicat, sanguinem, sive guttas sanguinis in terram defluxisse, non potest illud aliter intelligi, quàm ut *verè* esudârit sangui-

guinem. Alterum est, Dominum JESUM sanguinem esudasse *copiose*. Illud ipsum: *Sicut gutta sanguinis, decurrentis in terram*, velut profluvium sanguinis indicat. O maximam Domini nostri, liberalitatem dicam an prodigalitatem? in nos! *Sicut gutta sanguinis*. Quid guttæ hæ? Sacra illa (Psal. 71.) *Stillicidia* sunt, *stillantia super terram*. O redemptionem verè copiosam! una gutta sanguinis Dominici, stilla una abundè superque satis est, ad mundum universum à primævo Adæ, quo involvebatur, peccato abluendum; & totum velut profluvium fundit Dominus. Nos porrò homines miselli, qui sumus, quos redimere, haud quidem satis illi, nisi tam copiosè redimat? Quid tibi, Redemptor noster, reddemus gratiarum pro affectu in nos tanto, ac beneficio tam copioso? Utinam singula, quibus constamus, membra, ora forent, ut vel tantulum gratiarum actionis referre tibi possemus.

Cùm te, Redemptor liberalissime, propiùs intueor, sanguinem verè, copioséque esudantem, Sponsæ recordor, ajentis Cant. 5. *Manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ*. Manus tuæ, Domine, digitique myrrham stillant, myrrham probatissimam, sanguinem, inquam, eoque pleni sunt: non manus tantùm & digiti, sed facies, oculi, pectus, pedes, brachia. Fluis sanguine, madesque sudore, toto ubique corpore. At quid est, cui vis tanta inest, ut corpore toto sanguinem tibi excutiat? Non naturæ id attribuendum: sudorem ea quidem excutit homini in angore vehementiore a-

nimi

nimi posito, non sanguinem. Amori itaque id tribuere par est, amori tuo in nos. Quemadmodum vis ignis vehementioris, ex herbis & radicibus, ac ex rubentibus passim rosis, aqueum educit sudorem, sic vis vehementioris amoris tui sanguinem educit. Nimirùm, amor tuus, Domine, non contentus aqueis oculorum lacrymis peccata deflere nostra, sanguineis ea, toto corpore fusis, & deflere & abluere voluisti.

O peccator, & tu defle peccata tua, vel una saltē tibi lacrymula sit pro innumeris peccatis tuis. Oculi si tibi tenaciores sint, ut illam reddant, ex corde profluat, aut vel ex cordis desiderio, efficax illa erit, in virtute lacrymarum tui Domini, quas fudit ille copiosissimè, & remissionem tibi impetrabit.

MEDITATIO V.

Christus angustiatur in horto & angitur.

O Quanta tibi, Christe Deus, in horto angustia, quantus angor! *Tristis est anima tua*, ùt fateris ipse, *usque ad mortem.* Tristitiæ huic tuæ succedebat pavor ac tædium; pavori verò & tædio angustia & angor. Verum est; in Christo natura divina associata fuit cum natura humana in eandem Personam. Ipse tamen ex eo, toto hoc Passionis suæ tempore, nihil traxit solatii; atque adeò Deus licèt sit, mansit, quâ homo, humanis affectionibus, humanísque passibilitatibus obnoxius; ex hoc & angustiatur, & angitur.

I. Consideratio.

ANgustia, angorque, qui gravis hìc in Christo fuit, orta in eo est ob motus oppositos, hinc à spiritu, hinc à carne: aut vel ab adversantibus sibi potentiis, amore nempe & timore, in animo illius concitatos: quæ orta in animo ejus concertatio adversantium sibi potentiarum alio in SS. Scripturis (Luc. 22.) nomine *agonia* dicitur. Amor, quem timori hìc nunc oppono, est amor Christi, isque amor ejus summus in humanum genus, summum bonum ipsamque salutem in illud conferre volentis; certamen vide nunc, luctamque amorem hìc inter & timorem. Dominus, orans, dicit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Vox amoris est, *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: Vox timoris, *transeat à me calix iste.* Amor calicem admittit, timor eum rejicit. Amor ebibere vult calicem, timor non vult. Dum proponitur Domino, decretum SS. Trinitatis ad patiendum, corporis resurrecturi gloria, Angelorum desiderium, SS. in limbo Patrum suspiria, hominum universorum salus, ac denique Patris æterni voluntas: Amor dicit, fiat voluntas tua. Dum proponitur ei feralis cruentæ istius tragœdiæ apparatus, funes, vincula, columnæ, flagella, spinæ, fel, acetum, crux, clavi, lancea, timor dicit, non fiat. Vides luctam in Christo, amorem inter & timorem in re tanta, ac tam gravi, tamque sensibili. Quid inde?

Angu-

Angustia & angor. Attamen vincit amor, succumbit timor, angustiâ dein ac angore facilè evanescente.

Te hìc convenio, Homo christiane, vocem tu reperis in carne tua, reclamantem voci mentis tuæ. Vox illa reclamans, natura corrupta est, huic opponitur gratia, quâ à Deo præveniris. Gratia, si illata tibi occurrit injuria, eam oblivione sepeliendam suadet, deponendamque inimicitiam; secùs verò natura, suadet magìs illa vindictam. Gratia, si occurrat adversitas, paupertas, ignominia, morbus, suadet, eam patienter ferendam esse; secùs verò natura, cui nulla de patientia cura est. Gratia, passiones si occurrant, motusque animi minùs ordinati, cohibendos illos & emendandos suadet; secùs verò natura, hæc illis habenas laxandas dicit. Tu, christianè agere, & sapere si vis, gratiæ obsecunda, naturæ resiste: hæc succumbat, triumphet illa, & cessabit facilè, quæ animum alioquin tuum vexabit angustia.

Naturam habes, & tecum circumfers illam, ne auscultes ei, malesuada est, in malum te, nisi attendas tibi, præcipitatura. Ausculta gratiæ, bonum suadenti, ad bonum excitanti, opemque præbenti. Deus tui amans, bonumque & salutem volens, dabit tibi sufficientem, daturus & abundantiorem: illâ macte contra naturam certa, & victoriam haud ægrè ex certamine reportabis.

II. Consideratio.

DIcit sanctissimus Propheta Psal. 142. *Anxiatus est super me spiritus meus, & in me turbatum est cor meum.* Domine JESU, hoc & tibi approprio, in tuo hoc agone constituto. Rex Saul, morti proximus, quam hostes intulissent Philistæi, dicebat 1. Paralipp. 21. *Ex omni parte angustia me premunt: coarctor nimis.* Id ipsum Dominus noster, suæ jam proximus Passioni. Ecquid ni angustiæ illi? Tempus urget, Passioni ab æterno destinatum: instat hora, non ulteriùs differenda Passio. Judas, qui jam vendidit Dominum, eumque traditurus est, jam appropinquat: hostium adest cohors, accelerant milites, cum gladiis & fustibus, manus ei jam jam injecturi. Non licet hærere diu, nefas deliberare lentè, concludendum est. Quid ultra nisi angustiæ?

S. Lucas dicit cap. 22. *Et factus* (JESUS) *in agonia orabat prolixiùs.* Jam tertiùm oraverat Patrem, transferret à se Passionis calicem, si fieri posset. At certior factus de Patris voluntate, ut calicem acceptaret, ebiberetque, facilè acquiescit, recurritque ad orationem: orat prolixiùs, & agonem suum Patri commendat. Ita piè instituti homines, si quid angat illos, malúmque quod, aut sibi præsens est, aut vel sibi imminere timent, ad orandum se conferunt. Oratio in quovis malo commune remedium est, quod & semper ad manum est. Rex Josaphat 2. Paralipp. 20. ad extremas redactus angustias, totusque an-

xius, dicebat: *cùm ignoramus, quid agere debeamus, hoc semper habemus residui, ut oculos nostros* (Deus) *dirigamus ad te.* Ad Deum confugit, eique orando supplicat, & ab hostibus, quibus jam circumdatus erat, & qui in angustias eum extremas redegerant, liberatus est.

Dic mihi, Christiane, quisquis es, nonne & tu in varias crebrò incidis necessitates, & angustias? Gravior tibi non rarò evenit tribulatio: neque vides, quo eam modo superes: gravior & tentatio, proximum est, ut eâ hauriaris. Ignoras, quid tibi agendum sit? ad Deum, orando, confuge, hoc tibi semper residuum est: oculos, & cum oculis manus, & cum manibus cor, votumque tuum ad Deum dirige: ritè si id feceris, necessitate tuâ, atque angustiâ facilè erueris.

III. Consideratio.

QUid video, Domine JESU? Angustiam tui deponis tantisper animi: sudorem abstergis, quo perfusus es: vadis ad discipulos tuos, & potissimùm ad Petrum, Jacobum & Joannem, quos sumpsisti tecum in interiorem horti recessum: Sed ecce, invenis eos dormientes. Mirum sanè, discipulos in hoc rerum statu, eo in discrimine, præsertim admoniti ut vigilarent, dormire potuisse. Correptionem commeriti erant acriorem, sed leviter correpti, audiunt à Domino Matth. 26. *Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* Ita Petro dicit, qui cæterorum caput erat. O Petre, parum convenit hic somnus cum animositate, quâ tuam præ cæteris fidelitatem

Domino ſpoponderas. Verum eſt, correptionem acriorem commeruiſtis, importuno hoc & intempeſtivo ſomno. Non exprobrat id vobis Magiſter veſter, neque dicit, vos infidi, vos torpidi, vos inertes, quid dormitis nunc, ubi orare mecum juſſi eſtis? ubi ſunt ſplendida veſtra promiſſa? ubi fides veſtra? ubi fidelitas? ſed non niſi leniter ad eos, & modeſtè ait: *Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?* q. d. Vigilare quidem voluiſtis, O diſcipuli mei, ſed ſomnus ex mœrore obortus oppreſſit vos: quare non voluntati, ſed impotentiæ veſtræ & infirmitati, ſomnum hunc adſcribo. Sed agite, animo ſuſcitati, infirmitatem ſuperate, & ſomnum excutite. Ita leniter, utique & modeſtè, ad eos Dominus. Et præſtat quidem correptio lenis ac modeſta, præſertim ubi infirmitas, & non adeò malitia cauſa eſt lapsûs, quod diſcant hìc à Chriſto, & obſervent Superiores. S. Paulus 1. Cor. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* In ſpiritu manſuetudinis maluerunt indubiè: atque ejuſmodi correptio plerùmque utilior eſt.

Obſerva: Judas, unus de duodecim, collega Petri, eodem illo tempore, quo hic cum cæteris dormit, excuſſo ex oculis ſomno, vigilat. Quid? currit ad Principes Sacerdotum, offertque ſe, ut, ſi tradatur ſibi cohors militum, volet ad hortum, & Dominum oſculo prodat, & captum reddat. Dicitur quidem de Petro, cæteríſque, quo ſomnus eorum tantiſper excuſetur: *Erant oculi eorum gravati.* At non minùs oculi Judæ

gra-

gravati esse potuerunt, qui æquè ac illi lassitudinem, ex eâque gravamen oculorum contraxerit. Quid ergò, aut unde est, quod Judas vigilet, dum dormit Petrus? Neque enim Judæ opus fuit admonitione ad vigilandum. Rem habe, bona dum facienda sunt, orandum dum est, homines plerumque, si tempus non adeò commodum est, inertiores sunt, somnolenti sunt, facilè indormiscunt, quod in Petro patet. At verò dum mala committenda, scelera perpetranda, quod in Juda videmus, ab improbis non dormitur, noctes illi, non rarò integras, insomnes ducunt.

Disce nunc vigilantiam; vigil esto, opus ubi bonum agis, sacro ubi interes, aut cùm orandum sit. Erubesce, quòd improbi vigilent in malis, & in bonis dormites tu: somnum, quo possideris, excute. Cordi tibi sit admonitio Domini, ut vigiles & ores, ne in tentationem intres.

MEDITATIO VI.

Christus ab Angelo confortatur.

SAnct. Lucas hìc præ aliis dicit cap. 22. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum.* Ecquis Angelus ille, qui Christo, tristitiâ nunc immani invaso, confortationis, seu consolationis adferendæ ergò, apparuit? Non una hìc est sacrorum interpretum opinio. Opinantur aliqui, fuisse Michaëlem inter cæteros Angelos supremum. Alii verò fuisse Gabrielem,

quòd hic ordinariè adhibitus sit in mysteriis, quæ Christum concernunt. Mirantur quidam Dei filium admisisse Angelum confortatorem & consolatorem. Desinent facilè mirari, si recogitent, Filium Dei admisisse dæmonem tentatorem. At verò quid Angelus Christo?

I. Consideratio.

PRopofuit ei voluntatem Patris, his fortè aut similibus verbis: Adsum supremi concilii nuntius, & paternæ delator voluntatis: statutum est in supremo illo Concilio, ac Sacro-sancto Senatu, Patre mandatum suum tibi proponente, te acceptante, Spiritu sancto approbante, ut Passionem hanc, tibi quidem amaram, sed fratribus tuis necessariam, & auspiceris modò,& ante quindecim horas consummes. Rogasti iterum iterumque ac tertiò Patrem tuum,ut, fieri si posset, transiret à te Passio, addito semper, Patris voluntatem fieri debere; sed Patris tui voluntas est, ut eam nunc acceptes & adeas,consumméque: atque ut hoc tibi indicem, ad te à Patre tuo missus sum. His & ab Angelo dictis, & à Christo auditis, Patris se voluntati, prompto lubentíque animo submittens, ad eam, expergefactis à se discipulis à somno suo,animatísque ad pugnam, hoc suo, Matth. 26. *Surgite, eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet*, tantùm non convolat.

Habes hìc, O Homo pusillanimis, quo confortes te in Passione tua. Exspectat te illa,& certò tibi eveniet. Triste tu putas, vel delectatione

orba-

orbari, nedum adversitate pulsari. Omnia amara hujus mundi fastidis & horres, dulcia concupiscis, & optas. Adversitas omnis molesta tibi & gravis est, etsi necesse sit, amplecti molesta & gravia omnia. O quoties Passio occurrit gravior, damnum gravius, nunc in fortuna, nunc in fama, nunc in valetudine! O quoties gravior te premit calamitas ac miseria: mors charorum, infirmitas propria, paupertas, ignominia. Si anxietur aut angatur tibi animus: Si dubites de tuâ, quâ Passionem feras, patientiâ, cogita, recogitáque Dei esse voluntatem, ut ea tibi eveniant: ex hoc, si seriò recogites, cùm voluntas Dei sancta sit, atque in nostrum semper ordinata bonum, gaudium tibi, in ipsa tua calamitate & miseria accedet. Facere voluntatem propriam ingens non rarò apud homines censetur gaudium, quid erit facere divinam? Voluntas humana impura est, locum dat tristitiæ, & corrumpitur mœroribus: divina verò purissima est, & in possessione gaudii continuâ. Voluntas humana, & gaudium duo sunt, in Deo unum: nec alibi gaudium tutò erit nisi in adimpletione divinæ voluntatis. Hoc, inquam, recogita, Dei esse voluntatem, si quid occurrat patiendum, juverit id te, & in sorte tua, duriore licèt, confortabere.

Accipe O Domine JESU, confortate ab Angelo, accipe amorem meum totum: accipe voluntatem totam meam: nec amittam hanc felicem commutationem, ut pro pessima voluntate mea, fruar optima voluntate tua.

II. Consideratio.

ANgelus dein proposuit Christo Passionis suæ necessitatem. Actum est, inquit, nisi acceptetur Passio, de salute mundi totius. Statuit enim Deus, non redimere humanum genus rupto damnationis chirographo, nisi per Passionem tuam. Patris tui furor justissimus est, tui solius sanguine extinguendus. Miserere tot fratrum tuorum. Aspice infra pedes tuos tot captivos, magis invidiâ alienâ, quàm malitiâ propriâ æternæ servituti addictos. Aspice supra te tot sedes vacuas, quæ nequeunt impleri absque te, & Passione tuâ. Ergone sines Luciferum gloriari de ruina tot pretiosissimarum animarum? trahi eas videbis à dæmonibus in triumphum? Privabis Patrem tuum tantâ gloriâ, Angelos tanto gaudio, homines tanto bono, cœlum tanto ornamento? actum est de salute (quod jam dixi) totius mundi, nisi Passionem acceptes. Potuisset Deus, verum est, vel verbo tollere à genere humano maledictionem, aut vel exteriore vel interiore nutu; at copiosiorem homini voluit redemptionem. Sed quid? voluit in te ei copiosissimam. Prôh! quàm grande damnum, homines si periissent, ac perire debuissent omnes! hominis unius anima tanta apud Deum tantique pretii est, ut vel ob illam, durissimam quamque Passionem subiisset.

Ita Angelus ad Dei filium, quasi animos ei addere volens ad subeundam Passionem pro salute mundi. Necessitas Passionis suæ satìs constabat filio, quia satìs constabat ei decretum Patris de

non

non redimendo genere humano, (in quod ipse consenserat) nisi per Passionem suam. Arsit ipse satis ex se ad illam, non dedignatus tamen est animationem hic aliquam, confortationem & consolationem admittere ab Angelo. Erat quasi in manu ejus mors & vita omnium: unus libenter mortem acceptabat, ne morerentur omnes. Quid ni pro omnibus acceptet Passionem? omnibus ea necessaria est: pro una sola anima, si uni tantummodò necessaria foret, eam acceptaret, tantum vel unius apud Deum animæ pretium est: tanti animam ille vel unam facit.

O Domine Jesu! utinam toti nos lingua essemus, quâ gratias possemus exprimere, quas debemus tibi. Passio tua immanis est, calix amatissimus, ad quem ipsa tua horret natura, solaque illius te succutit, sanguinemque esudare facit recordatio, ut te, immissus à Patre tuo, confortet Angelus; & acceptas eam tibi oblatam, quia nobis necessaria: gratias, quas ore agere nequimus, agemus mente, tanti amoris nobis præstiti semper memores, semperque ab offensâ tanti amatoris cavere conabimur.

III. Consideratio.

ANgelus denique, ut pavidum corpore confortet Dominum, ac soletur mœstum, proponit ei Passionis suæ fructum uberrimum sanè, ac in omnes omninò homines diffundendum. Verùm, non is est fructus Dominicæ Passionis, ut vi ac virtute istius, homines re ipsâ salventur omnes: non ea est, hac in re, divina providentia,

ut vi ac virtute Passionis filii sui omnes salvari re ipsâ debeant; sed ut omnes eâ redempti, id est, reempti, soluto pro eis pretio, atque sic Deo reconciliati, salvari re ipsâ possint; ac re ipsâ salvandi sint, si gratiæ, Passione à Christo commeritæ, sibique collatæ, ritè collaborent.

Fructus Passionis Dominicæ uberrimus, & qui in homines omninò omnes diffunditur, est Redemptio; atque (quod eôdem redit) reconciliatio totius generis humani. S. Prosper dicit verbis apertissimis ad object. I. Vincentian: *Sanguis Christi Redemptio totius mundi.* Redemptio illa, seu reconciliatio mundi totius in hoc propriè sita est, quòd Deus homines, ob primævum Adæ peccatum, jam non, ùt ante, inimicos habeat, incapaces recuperandæ justitiæ ac salutis, sed capaces jam denuò istarum, id est, capaces jam denuò gratiarum, ex meritis Christi descendentium, per quas & justitiam & salutem consequi possunt. O Fructum Passionis Dominicæ præclarissimum, in homines omninò omnes, juxta illud Apostolicum 2. Cor. 5. *Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, diffusum! O Fructum, ùt omnibus communem, ita & cuique ex omnibus singularem. Ut passus Dominus pro omnibus, ita & pro singulis passus sit; ut quilibet nunc cum Apostolo dicere verè possit, ac gloriari Gal. 2. *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

Hæc sunt, quæ Angelus, confortans Dominum, ei proposuit, nempe & Patris voluntatem, ut patiatur, & passionis illius necessitatem, ac e-

jus

jus fructum. O quàm libenter acceptavit illam? & nos, Domine, acceptabimus etiam amore tui, & acceptabimus, quantum possumus, libentissimè, quidquid nobis patiendum dederis.

MEDITATIO VII.

Christus Judæ obviam vadit.

JUdas (Prôh, ingratum perfidumque hominem!) festinabat, Christum, Dominum ac Magistrum suum prodere, hinc ad hortum contendit, in quo ipsum deprehendat; sed magìs festinat Christus, ut ei festinanti, adventantique obviam vadat. Judas, mercator sacrilegus, festinat, ad pretium pertingere, quo Dominus ejus, ac Magister à se venditus erat; sed magìs festinat Christus, ut quod pretio emptum est, emptoribus tradat. Dixerat Dominus Judæ, (quod festinationem suam satis indicat) Joan. 13. 27. *Quod facis, fac citiùs.* Non præcipit Christus Judæ proditionem, sed eam permittit. Dictum ergò illud Christi, non præcipientis, sed prædicentis est: sensusque illius: Age, quod cœpisti, (si agere ipse velis) perfice, quod destinâsti, citiùs fac, quod mente designâsti: non te impedio, sed tuæ te libertati relinquo. S. Leo dicit serm. 7. de Passion. *Vox hæc*, fac citiùs, *non jubentis est, sed sinentis.*

I. Consideratio.

DOminus noster, velut sacræ Dux militiæ, cum parvo imbellium militum manipulo,

cum undecim, inquam, Discipulis, obviam vadit hostibus suis, cohorti integræ, multùm armatæ, quam Judas ducit desertor Apostolus, quasi ardeat Dominus eos primus adoriri. *Surgite*, inquit suis Matth. 26. *eamus*: *Ecce appropinquavit, qui me tradat.* Domine, vix aut ne vix quidem hora est, & angustiæ tibi erant, pavor, tædiumque, quæ toto tibi corpore, patefactis quà quà poris, sanguineum excutiebant sudorem, & nunc velut absterso illo, missoque paventis, tædentisq; animi mœrore, erigens te de loco, quo eras prostratus, finitâ oratione, cui intentus, surgis, & hostibus obviam vadis. Quid? cernens jam penè oculis tuis, ingressos in hortum, in quo adhuc consistis, hostes tuos armatos: cernens fulgurantes hastarum cuspides, strepitus armorum percipiens, armatorumque tumultus: & quod tibi gravius fuit, cernens impiæ istius cohortis nunc signiferum, priùs Discipulum tuum, Judam, inquam, Apostatam, plenissimus animi, totusque intrepidus, ad eos, cursu accelerato, ipse pergis, velut & omnis moræ impatiens, & certaminis amans, excitatis ad illud tecum, animatisque Discipulis, ut & pugnarent illi strennè, futuri, ut modò pugnæ, itá & deindè participes victoriæ.

Surgite, inquit, *eamus*. Jubet Dux Christus, ut surgant milites sui, atque in campum prodeant, obvient Judæ, cum armata manu, ad se adventanti. Prævidit Dominus, & prædixit eos, cùm sub conspectum venerit hóstis, omnes sibi fugâ consulturos, relicto Duce suo, fugâ sanè indecorâ. Admonet equidem, animis sibi factis, hosti-

hostibus obvient, quo docet in malis, in periculis, in certaminibus esse excitandos, hostesque minimè verendos esse. Interea ipse, ut suos animet, non verbo dumtaxat, sed & exemplo securus, metuque procul omni, hostibus suis, id est, Judæ, impiæque cohorti, ab eo ductæ obviam vadit. Christus, postquam Patri commendârat se, oratione non semel repetitâ: postquam perfectissimâ resignatione in Patris se voluntatem dederat: postquam naturam subegerat infirmam, statuens juxta voluntatem Patris, & pati & mori, nullum reliquo tempore, aut inconstantiæ, aut tristitiæ, aut vacillationis signum dedit vel levissimum, aut intùs aut forìs, necdum quod aut inconstans, aut tristis, aut vacillans fuerit. Passionem ejus percurre totam, vide quid ulteriùs in horto fecerit, quid in domo Annæ, quid in domo Caiphæ, quid in prætorio Pilati, quid in aula Herodis, quid in monte Calvariæ, nihil tale reperies. Nempè cùm semel quis rem aliquam præclarè aggressus est, non oportet, neque vacillare imposterum, neque mentem mutare. Christus Dominus ac Dux noster, eundo hìc obviam hostibus suis, manifestam nobis reddit, *primò* innocentiam suam, innocens enim non fugit criminis inquisitores, utpote benè sibi conscius, ideoque animosus & audax iis obviam prodit; nocens verò fugit, quia conscientia eum arguit, pavidumque reddit. *Secundò*, majestatem, providentiam, & potestatem suam, quâ velut Dominus ordinat, & prædicit hostium adventum, sed ita ut eorum furorem moderetur & dirigat; ut non am-

amplius nec aliud efficere possint, quàm quod ab ipso permissum, prædictum, & præordinatum est. *Tertiò*, voluntatem, quâ ultrò se Judæ offert, ne putaretur coactus aut invitus, sed sponte suâ se liberrimeque pro nobis pati & mori. *Surgite* ergò, ait Discipulis suis, non ut fugiamus, sed ut *eamus*, obviam Judæ, & ùt ait S Hieronymus hìc, *ultrò pergamus ad mortem*.

Disce tu Christiane, hostes tuos non defugere, sed potiùs eos ultrò adire: actus hic heroicus est fortitudinis Christianæ; hostium tuorum vires, quos inter Dæmon præcipuus est, actu ejusmodi heroico, non parùm infringes, eumque & domas & subiges. Magnanimus esto, quidquid etiam tibi molestum ac grave occurrit: multò faciliùs, majoreque merito gravia tolerantur, & superantur à magno animo, quàm levia à parvo; sicut Gigas, aut magnis vir viribus pollens, faciliùs pondus 40. librarum, quàm puer parvarum virium onus trium librarum portat.

II. Consideratio.

DOminus JESUS, Judâ propiùs accedente, ait suis: *Ecce appropinquavit, qui me tradet*. O itaque, Dilectissimi mei valete: valete, O chari Discipuli mei, ac dilecti socii, valete amantissimi filii. Marc. 14. *Venit hora: & filius hominis tradetur in manus peccatorum*. Judas sæpiùs appropinquavit ad Jesum. Fuit Christi in schola Discipulus, appropinquavit ad eum, velut ad Magistrum, ut disceret. Fuit in domo Christi œconomus, appropinquavit ad eum velut ad patrem-fa-

mi-

milias, ut rationem ei redderet. Fuit Christi in mensa socius, appropinquavit ad eum, ut vesceretur cum illo. Fuit Christi in itinere comes, appropinquavit ad eum, ut cum illo foràs iret. Fuit Christi in concionibus auditor, appropinquavit ad eum, ut aures illi præberet. Fuit denique in collegio Christi, Apostolus; quod & illi, ut appropinquaret ad Christum, continuam occasionem dedit. O Ter felicem Judam, si animo tunc sincero & integro appropinquavit! Appropinquat nunc ad Christum, sed animus ei omninò alius est. Appropinquat nunc ad eum, ut illum prodat, iisque, quibus illum vendidit, proditoriè tradat.

Profectò suprema felicitas est, summumque & maximum bonum, posse nos appropinquare ad Christum, qui ipse summum maximumque bonum est. O quàm faustè id, benéque cessit pluribus! Appropinquavit ad Christum Magdalena peccatrix (Luc. 7.) & peccatorum suorum remissionem inde retulit. Appropinquavit ad Christum (Matth. 9.) mulier sanguinis fluxum patiens duodecim annis, & retulit inde sanitatem. Plures quid referam, occurrunt illi ultrò SS. Evangelia percurrentibus. Si peccator es: & quis non est? appropinqua ad Christum; ipse est, *qui* (Luc. 15.) *peccatores recipit*; non te repellet. Si te periisse putes; appropinqua ad Christum; ipse est (Luc. 19.) *qui venit quærere, & salvum facere, quod perierat.* Si ovis tibi videris perdita, errastique, appropinqua ad Christum; ipse est (Joan. 10.) *Pastor bonus*, qui ponit

ponit animam suam pro ovibus suis; imponet te in humeros gaudens. O quàm rectè fecit prodigus ille filius Luc. 19. appropinquans ad Patrem suum. Procul à patre siliquas comedit porcorum, propinquus nunc illi, vitulum comedit saginatum. Sed verò, quis dubitet, appropinquandum esse ad Christum? sed corde appropinquandum est, sincero & simplici: quo si vel Judas appropinquasset ad eum, certè non minùs ac prodigus, ad saginatum vitulum, ad gratiam, inquam, admissus fuisset.

III. Consideratio.

JUdas (proh impium ac detestabile scelus!) appropinquabat ad Christum, eum Judæis, id est, juratis illius hostibus, ac futuris interfectoribus, traditurus. Ita supra ait de Juda Dominus: *Ecce appropinquavit, qui me tradet.* Vendiderat eum, par putabat, ut & traderet. Infelix mercator Judas, qui pretio adeò vili, magistrum ac Dominum suum, & vendidit & tradidit. In parvo isto pretio magna sane injuria Domino facta est. Quantum, putas tu, pretium fuit, quo vendidit illum, in quo cœli sunt & divitiæ & deliciæ? quo, inquam, JESUS & à Juda venditus, & à Judæis emptus est? Dicit S. Matthæus cap. 26. *At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Quid? Dixerat Judæis Judas: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* quasi rem venderet vilissimam, ac pretii nullius, emptorum reliquit arbitrio, quid pro ea darent. Questus videtur Dominus super vilitate pretii, quo venditus

ditus est, dicens Zach. 11. *Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Pretio triginta argenteorum (Ex. 21.) servi occisi vita æstimabatur, & redimenda erat. Servo itaque, aut vel magis mancipio Christus: vitaque Christi vitæ mancipii æquiparatur.

O rem indignam! Unguentum, quod Magdalena effundebat super Christum, æstimatum à Juda fuit Joan. 11. *Trecentis denariis*: & Christus, in quem illud effusum est, æstimatur ab eo triginta argenteis. Sunt, qui putant Judam, sic recompensare voluisse damnum, quod passum arbitrabatur se, in effuso à Magdalena, atque adeo non vendito unguento. Dicitur de eo Joan. 12. *Fur erat Judas, & loculos habens*: non unius est opinio, eum, ex oblatis partem decimam rapere solitum. Argentii & denarii, ejusdem habentur pretii. Triginta argentei pars decima trecentorum. Quidquid sit, Christus à Juda & Judæis vilissimè æstimatus fuit. Domine tu ille es, qui omni modo inæstimabilis es, ut neque Cherubini te, neque Seraphini pro dignitate tua æstimare queant. Obstupescite cœli super hoc, pretio tam indigno, tam vili, tam nullo, quo Dominus æstimatur. Quid? pretio, & si ita pacti fuissent, viliore, contentus fuisset Judas. Quod sanè & Dominum pupugit, & magno dolore affecit. Unde S. Ambrosius lib. 3. de Spirit. Sancto Cap. 18. *O Juda proditor*, inquit, *unguentum Passionis ejus trecentis denariis æstimas, & Passionem ejus triginta denariis vendis. Dives in æstimatione, vilis in scelere.*

Disce, Christiane, despectum, vilemque tui æstimationem patienter ferre. Quis te ita despicit, æstimatque tam vili, ut non pluris te, quàm triginta argenteis faciat? & iis tamen & non pluris Dominus tuus æstimatus est. Certè vel maximè vilipensus. Gaude, quisquis es, cum Domino tuo, æstimari, pendique vilissimè.

MEDITATIO VIII.

Judas Christum osculatur.

O Sacrilegum ac perfidum hominem! osculum infigis Salvatori, Domino ac Magistro tuo, & prodis eum? Joab (2. Reg. 20.) osculatur Amasam, & illum interficit. Simulas & tu Juda amicam salutationem, & ipsa hæc salutatio, proditio est. Christus osculum instituerat, velut symbolum charitatis mutuæ ac amicitiæ. Hinc discipuli magistrum accedentes, osculabantur illum. Ita & nunc Judas. At sub osculo illo mortiferum latebat venenum. Non te nunc, Domine, osculatur amicus, sed proditor tuus. Os admittis tu tam perfidi hominis ad labia tua sanctissima? Os putidum & spurcitiæ plenum? Sed tua hæc benignitas est, quâ eum, quantumvis indignum, quantumvis pessimum, ad mentem intendis inducere meliorem.

I. Consideratio.

SAnct. Matthæus hujus inter alios narrator est, ajens cap. 26. *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: quemcunque osculatus fuero,*

ro, ipse est, tenete eum. Ait Evangelista: *Qui autem tradidit eum.* Nomen traditoris non exprimit. Judas ille est, qui, ut exprimatur nomen, ob scelus pessimum, haud sane dignus est. Judas, inquam. Vide, qui herì erat in Christi collegio, hodie est in Satanæ satellitio: qui herì erat veritatis discipulus, hodie est erroris magister; herì Apostolus, hodie diabolus. Judas, inquam, quem Christus ante tres annos ad Apostolatum evexit, ante tres dies habuit in schola auditorem, ante tres horas in mensa convivam: Judas, cui paulò ante laverat pedes, cui dederat in escam corpus, & in potum sanguinem suum, nunc totus ab illo mutatus, omnium immemor beneficiorum, Dominum venit osculatum, sed ut osculo illo eum tradat. Sensui id sanè Domino graviori fuit, eumque in has adegit querelas, Psal. 13. *Qui manducat panem meum, levabit calcaneum contra me.* Et Psal. 14. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*; magis id tolerabile fuisset, *tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos?* Si quis benefactis devinctus à Domino, Domino si quis pro eis obligatus, Judas est. Altiùsne eum evehere potuit Dominus, quàm ad Apostolatûs dignitatem? O miram, malamque metamorphosim! O mutationem pessimam! ex amico inimicus factus est, ex Apostolo proditor.

Magnum illud nomen Apostoli, quo fuerat honoratus Judas, & honorandus erat, quia reipsa in Apostolum fuit electus, muneréque Apostolico, non minùs ac cæteri, functus, mutatum

 illi

illi est in nomen proditoris; satis non est, etiam traditoris; adeóque hoc nomen Judæ veteribus Israëlitis, præter cætera honorificum, in peccati ab eo commissi detestationem, est Christianis vel multò maximè odiosum & ignominiosum. Hic fructus peccati est, ut boni, non commercium dumtaxat cum malis, sed & malorum nomen refugiant. Expende & proditoris & traditoris hujus solicitam diligentiam, ne pecuniâ frustretur, sibi in venditione Domini promissâ, argenteis nempe triginta, modum ipse excogitat & adhibet, docetque eum emptores, quo certius emptum illi à se Dominum, & apprehendant, & retineant, factus ex magistro virtutis, magister nequitiæ: & qui prius missus, ad conversionem, vitamque populorum, nunc alios docet Auctorem vitæ perdere. Hæc peccati conditio est, quod non quiescit in eo, ut homo sit peccator, sed ulterius progreditur, ut & eum doctorem malitiæ efficiat.

Tu disce O Homo, nemini facilè fidere, nisi decipi velis: neque fide facilè ei, cui, multum licèt, benefeceris, neque, si tali fidas, à deceptione tutus es. Judæ Dominus fecit optimè, & tamen ab eo, nedum deceptus, sed & proditus & traditus est. *Fide, sed cui vide.*

II. Consideratio.

PRoditor Judas *dedit illis signum, illis*, id est, impiæ militum cohorti ad eum capiendum emissæ. Sed ad quid signum illud? ut JESUM certiùs agnoscerent, in illumque, non in alium, manus

manus injicerent. Signum autem illud, osculum erat, quo ipsum salutabat. *Quemcunque*, ait, *osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* An ergo ita incognitus Dominus, ut in personâ signo ejusmodi non dato, fallerentur? Id quidem putant aliqui. Inter milites, qui eum caperent, plures erant Romani, nunquam viderant illum, vel certè minùs noverant. Erat & nox ac tenebræ nocturnæ, in quibus facilè quis fallitur. Forte etiam ob vultûs Christi similitudinem cum vultu alterius Apostoli, Jacobi Minoris, (ùt alii opinantur) qui ob similitudinem illam dictus fertur frater Domini. Poterat & Dominus faciem suam facilè mutare, ut in monte fecit, Matth. 17. quo transfiguratus est, facie ejus tunc solis instar fulgente. Quare Judas, ne error committeretur, & alius pro alio caperetur, illeque mercede impiæ suæ mercaturæ frustraretur, signo aliquo capiendum Dominum designat: quod signum osculum est, quo eum salutat. Judas Domino Christo osculum infigit, ac sub illo, eum & decipit & prodit; quin & tradit & perdit.

O probe pieque Christiane, cui studium virtutis curæ, salusque animæ cordi est, vide, ne & tu decipiaris ac perdaris, à proditore mundo: mundus, non minùs ac Judas, perfidus proditor est, osculo blanditur & decipit. Dat mundus bona temporalia ac peritura omnia: evehit ad honores & dignitates, auget, accumulat divitiis opibusque, multis, voluptates procurat & delicias. Hæc lenocinia, hæc, inquam, oscula mundi

 sunt,

ſunt, quibus tibi blanditur. Vox mundi eſt, quâ te decipiat, Sap. 2. *Venite, fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter: vino pretioſo & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos noſtri temporis; coronemus nos roſis, antequam marceſcant.* Vox mundi eſt, Luc. 12. *Anima mea, habes bona multa, poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare.* Vox infida hæc deceptoria, ac quâ ſanè plurimi decipiuntur & perduntur, ùt dicitur Job. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Quid? ſunt multi, ſunt innumeri, quibus mundus bona ſua non reipſa impertit, ſed promittit ſolummodò, & decipi ſe ac perdi ſinunt. Meritò hìc exclamet quis contra mundum cum S. Auguſtino: *O munde proditor, qui cuncta bona promittis, & cuncta mala profers: promittis vitam, & donas mortem: promittis gaudium, ſed largiris mœrorem: promittis quietem, ſed ecce turbatio: promiſſis ſtare, ſed citò recedis.*

Cave ſis, quiſquis virtutis ſalutiſque amans es, cave, ne à mundo, oſculo ejus perfido, ſicut Chriſtus à Judâ, prodaris ac perdaris: ad Chriſtum converte te, qui pro te & ſalute tua proditus à Juda, tradituſque fuit.

III. Conſideratio.

JUda, proditor ac traditor Domini ac Magiſtri tui, an non ſatis tibi, infixo oſculo, dato, inquam, proditionis ac traditionis ſigno, Dominum ac Magiſtrum tuum militibus, cohorti impiæ,

piæ, ad eum capiendum missæ indicâsse, nisi ut & illos admoneas, ne sinant dein captum sibi elabi? Dicis (Marc. 14.) *Ipse est, tenete eum.* Neque hoc tibi satis, addis è vestigio: *& ducite eum cautè.* Quidam putant, Christum hinc catenâ ferreâ colligatum fuisse: sin verò, colligatus fuit multiplici fune, ut eum illi ducerent securiùs, ac ferociùs traherent. Sicut leo rapiens ac rugiens trahit per terram prædam suam, ita & illi feri sævique leones trahebant Christum, percutiendo eum, & multis injuriis afficiendo, multisque probris ac ignominiis. Tradunt nonnulli, Dominum in torrentem Cedron, quem in itinere transire necesse erat, ab insolentibus illis & petulantibus militibus præcipitatum fuisse, ac pedum in ponte, è quo præcipitatus, vestigia impressa remansisse. Ita tradit Aranda, scrutator accuratus terræ sanctæ, Salmeron, & alii. Capitur Dominus à nefariis militibus, quem cæli cælorum capere non possunt: capitur & ducitur; quid? insolenter & petulanter trahitur.

Hoc piè considerandum hìc, illas manus fuisse vinculis colligatas, quæ paucis ante horis panem Angelorum Discipulis distribuerant, semperque ad benefaciendum omnibus extensæ fuerant, quæ cæcis lumen, mutis loquelam, claudis gressum, surdis auditum, munditiem leprosis, mortuis vitam tactu suo dederant. His interim ille vinciri voluit vinculis, ut nostrorum disrumperet vincula peccatorum. Neque tam hisce, quàm suæ charitatis & amoris vinculis ligatur, quibus & nos colligare sibi peroptat, cordaque nostra

trahere, ac indivisibiliter sibi unire. Dicamus ergo illi, charitati ejus & amori correspondentes, Domine, omnes nervi nostri, arteriæ omnes, omnes venæ, funiculi velut aurei sint, quibus te intimè cordibus nostris alligare possimus, ut neque mors, neque tribulatio, neque gladius, neque persecutio nos separare à te valeat.

Utinam, ligate JESU, vincula tua mihi sint alligaturæ salutis, ligentque manum justitiæ tuæ, meritò extentam contra peccata mea, manumque tuæ laxent misericordiæ, quam tibi peccata mea constrinxerunt.

MEDITATIO IX.

Christus Judam osculatur.

JUdas accedit ad Jesum, non jam Apostolus, sed proditor; non jam Discipulus Christi, sed magister sacrilegii. Accedit sub ovinâ pelle lupus rapax; sub agni lanâ leo rugiens. Accedit & salutat. Joan. 18. *Accedens ad Jesum, ait: ave Rabbi: & osculatus est eum.* Osculatio erat mutua salutatio, adeoque sicut Judas osculatus est Christum, ita vicissim Christus osculatus est Judam. Osculum Judas dedit: osculum Christus reddidit. Siccine, Christe, symbolum charitatis & amicitiæ infigis proditori tuo? Ignis tu es: accendere eum vis, sed refrixit in eo charitas, frigere pergit. Lux tu es: illuminare eum vis, sed luminis in eo nihil superest, in tenebris manet tenebrarum filius.

I. Con-

I. Consideratio.

O Miram Domini, stupendamque bonitatem! osculum præbentis charitatis atque amicitiæ ei, quem suum non ignorat proditorem! Miramur, Dominum, proditorem suum admisisse ad osculum. Mirandum verò magìs est, Dominum ei osculum reddidisse. Videtur familiare fuisse Discipulis, aliunde venientibus, Magistrum suum osculo salutare, alioquin adveniens Judas id ausus non fuisset. Osculum à Juda Christo datur fictè, redditur ei à Christo sincerè. Judas non intendit Magistrum suum osculo salutare, intendit eum illo perdere, rescit illud Dominus, & equidem osculum sibi ab eo oblatum admittit, osculumque illi reddit, quod & ei amicissimè imprimit, compellaturus & eum (ùt proximè videbimus) *amicum*. Symbolum itaque commune & obvium charitatis & amicitiæ ei, quantumvis proditori, negare noluit. O Juda, oportebat te osculum illud desiderare, & dicere cum Sponsa Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* At nulli tibi id curæ, cura tibi unica, Magistrum tuum, infixo ei osculo, prodere & perdere. Equidem benignus Dominus gratanter tibi, animoque lubenti & amoris pleno osculum suum impertit. Magnâ itaque, O peccator, cum fiducia ad Deum accede, qui ipse proditorem suum osculatum accessit, non te accedentem ille repellet.

Felix tu, O Juda, si tuam agnoscas felicitatem. Sed, erutis velut oculis, totus cæcus, felicitatem

tuam non agnoscis. Captivus es Diaboli, tenet ille te. Accedit Redemptor, ut liberet te. Æger es fatali ægritudine, tibi, aut, ut veriùs dicam, animæ tuæ mortem allaturâ æternam. Accedit Medicus, ut sanet te. Vir mortis es, mortisque æternæ. Accedit ad te Auctor vitæ, ut à morte eruat te, donet & vitâ. Felix captivus, cui accedere licet ad Redemptorem. Felix æger, cui accedere licet ad Medicum. Felix mortis reus, cui accedere licet ad vitæ donatorem. Tu felicior, quia Redemptor ipse accedit ad te, Medicus quoque ac donator vitæ, vitâ te, si velis, (ùt suo, quod tibi impingit, ostendit osculo,) donaturus. Vivere possis & æternùm vivere, cur moreris? Accedentem ad te, Juda, Salvatorem, & te osculantem amplectere, tene illum, & salvabit te. Eheu, infelix tu, qui proximus morti, vitam, quæ vel ipso tibi osculo offertur à Domino, renuis; atque adeò tuâ ipsius obstinatione in perditionem ruis æternam.

Domine JESU, rogo te, & per ipsam charitatem te, amoremque rogo, quem osculando ipsum proditorem, manifestum reddidisti, per ipsum, quod proditori tuo impegisti, osculum, charitatis tuæ & amoris symbolū, rogo, nè me à te patiaris avelli, ne adinstar Judæ, ruam in perditionē meā.

II. Consideratio.

CHristus Salvator Judam osculatur proditorem: Discipulum osculatur Magister, servum ac mancipium Dominus. Æquè de Christo, quod de Juda dicitur, dici potest & debet: *&*

oscu-

osculatus est eum. O felix, ac dulce osculum, si pari (sincero utique ac pio) receptum sit, quo datum est, animo! Mens nostra tui, Domine, osculandi quàm cupida? At proditor tuus præ nobis felix, qui osculo illo ultrò donatus est. Dicebat Dominus (Luc. 7.) Simoni, à quo excipiebatur convivio: *Intravi in domum tuam, & osculum mihi non dedisti.* Tu, proditor Juda, de non dato tibi osculo, queri non potes; datum hoc tibi est à Domino. Præsentes tunc tecum & alii Discipuli, quibus tamen datum non est. Petrus illud, quid ni? commeritus, fidelis ille Domini servus, causâ illius quævis, etiam gravissima pati, subireque pericula, se paratum dixit, ùt testantur hæc ejus verba Luc. 22. *Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.* Osculum tamen ei datum non est. Commeritus illud Thomas, qui dixit Joan. 11. *Eamus & nos, & moriamur cum illo*: & tamen ei datum non est. Andreas relictis omnibus secutus est Dominum: Joannes Discipulus ei est charissimus, ac quem præ aliis quidem diligit Dominus: uterque tamen Domino dicere potest, quod Simoni Dominus: *Osculum mihi non dedisti.* Uni tibi, O Juda, inimicorum pessimo, proditori suo, sanguini ejus insidianti, datum est, gaude, optimo & amicissimo animo tibi datum est, utere tu illo ad salutem tuam. Dux Joab 2. Reg. 19. Regi suo Davidi exprobrat: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de Ducibus tuis, & servis tuis.* David Rex affectu singulari ferebatur in filium suum Absolonem, rebellem licèt in

se

ſe, mœrebatque vehementiùs ob mortem ejus, quam certè ipſe rebellione ſuâ ſatis ſupérque commeruerat: atque hoc ex Duce Joab exprobrationem illam extorſit. Poſſent, Domine, (pace tuâ dictum ſit) & tibi meritò hìc exprobrare, Petrus, Andreas, Thomas, Joannes, aliiq; *Diligis odientes te*: neque majus odium in aliquo eſſe poteſt, quàm in Juda eſt, qui prodit ac tradit te juratis hoſtibus tuis, à quibus certâ morte es afficiendus: tuam erga illum ipſo, quod das ei, oſculo demonſtras dilectionem: neque curas de Apoſtolis ac Diſcipulis, qui tibi fideles ſunt, veroque tibi adhærent amore, oſculum illis velut negas. Si dederis aliis temporibus, hoc nunc tempore non das, quo datur infideli ac proditori Judæ. Sed abſit, Domine, ut hoc tibi exprobremus, aut quod vel ſecùs cogitemus, quin odientes te diligas, qui & præcipis quidem, diligendos eſſe inimicos, cui præcepto, ut robur addas, ipſe eos diligis.

Diſce, O Chriſtiane, à Chriſto Duce tuo ac Magiſtro, diligere amicos quidem, qui & dixit Prov. 8. *Ego diligentes me diligo*; ſed & diligere inimicos, quos & dilexit, & ſe eos quoque diligere, atque ſymbola dilectionis hinc inde præ aliis demonſtrare, ſuo, quod uni hìc Judæ, ſuo inimico, impreſſit oſculo, oſtendit. Amicos quidem, ſed & inimicos diligite.

III.


III. Consideratio.

DOmine JESU, dum tuum perpendo, quod Judæ dedisti, osculum, reperio sub eo mysterium. Judas, ùt cæteri Apostoli, secutus fuerat te, anteriore tempore fortè & propter te: functus & fuerat œconomiæ munere: aliquid indubiè præstiterat, unde merebatur præmium, accepit ergò, velut præstiti obsequii præmium à te osculum. Sed non accepit illud pari, ùt datum est, animo: animo accepit malo ùt pessimo, animo proditorio. Non juvit illum, quo minùs exitium inciderit. Nam dicitur de eo Act. 1. *Suspensus crepuit medius.* Sunt multi, ùt Judas, mali homines, & quidem, ùt S. Paulus ait 1. Cor. 6. *Fornicarii, Idolis servientes, adulteri, molles, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces.* At verò non adeò mali omnes, quin & boni quid, aut sit in illis, aut fuerit, quod Deus præmiandum ducit. Illis ergò dat Deus osculum, ac nonnunquam præ aliis, hoc est, volaticum hìc corporis gaudium, breve in hac vita præmium. Quemadmodum Deus in probis bonisque hominibus, nullum malum (neque ab eo immunes illi) relinquit impunitum, sic nullum in improbis malisque, quodquod habent bonum, relinquit non præmiatum, quod & osculum designat, quod Judæ datum est.

Nemo osculum illud pravis istis malisque hominibus invideat, gaudium, inquam hujus mundi. Gaudium illud in eis non rarò infelicitas est: neque ex bonis, quæ ad illud pertinent, mul-

multum percipiunt emolumenti. Enimverò bona non prosunt, nisi bonis: & mala non obsunt nisi malis. Præclara est sententia D.Chrysologi, quam in hanc rem deducit à Lazaro & Epulone. Ita ait Serm. 124. *Ad divitem bona omnia, ad pauperem mala omnia perlegimus pervenisse: neque tamen pauperem fregerunt adversa, aut diviti omnia secunda profuerunt: imò pauperem pervexit ad Philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, fames ad jejunium, sitis ad tolerantiam, ad vitam mors, ad præmium pœna, ad cœlum terra, egestas ad regnum: & divitem sic extulit purpura ad superbiam, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad iniquitatem, ad cæcitatem splendor, sublimitas ad ruinam.* Ecce hìc, quot mala ex mundi bonis! quot bona ex mundi malis. Felices pii probique homines, si malis, quæ eis sunt in pœnam malorum, benè: infelices impii improbique, si bonis, quæ eis sunt in præmium bonorum, utantur malè. Videant, ut & benè utantur illis.

Utinam & ego, O Domine, osculum à te obtineam, qui illud proditori Judæ & obtulisti & dedisti. Sed & mihi satis erit, si liceat mihi cum Magdalena osculari pedes tuos: illos rigabo lacrymis, illos abstergam crinibus: ad istos me demittam, certus, quòd qui se humiliaverit ad osculum pedis, exaltandus sit ad osculum oris.



ME-

MEDITATIO X.

Christus Judam amici nomine dignatur.

JUdas, Christum osculo salutans & prodens, dicit illi Matth. 26. *Ave Rabbi.* Næ, amica salutatio; grata, si & ex amico profecta foret animo. Sciebat Judas ex verbis Domini, in cœna dictis, se ei, suamque proditionem notam esse, hinc & eam osculo, velut velo, tegendam ducit; atque ideò, quasi nihil subesset proditionis, amicè Dominum osculatur, & salutat, dicens ei: *Ave Rabbi.* Is verò, quasi nihil offensus Judæ, *Amicum* illum compellat: *Amice*, ait, *ad quid venisti?* Quid, Domine, tu hominem adeò perfidum ac ingratum, tam caro, gratóque dignaris nomine? Sed tamen hoc eo facis modo, ut suum ei scelus, solo hactenùs fotum animo, nunc autem exiens in actum, modestè in memoriam revoces, hoc tuo: *Ad quid venisti?*

I. Consideratio.

O Præclarum ac pergratum nomen, *Amice*, præsertim dum à Domino, cujus verissima semper amicitia est, proficiscitur! *Amice, ad quid venisti?* Siccine, Domine, venditorem tui priùs, nunc proditorem voces amicum? Amicum voces, eo quidem ipso tempore, quo venditum te tradit emptoribus, hostibus tuis, necem tibi, (ùt nosti) certò illaturis; quo te, inquam, actu, prodit & tradit, atque adeò in flagranti crimine?

mine? Benignissime Domine, non satis est, venditorem & proditorem tuum *amicum* vocare, nisi & illa, quæ amicorum sunt, opere ei exhibeas; sic, manus ei tuas aperis, expandis brachia, ostentas amplexus, viscera pandis. O Juda, sape, & in amplexus ejus rue: satiùs tibi, sapere aliquantò seriùs, quàm non sapere. At frustra, pergit ille, Magistrum suum prodit, tradit, perdit. O hominem te, scelestum, serve nequam, inveterate dierum malorum, progenies viperarum, semen Chanaan, & non Judæ, fili perditionis: ex patre diabolo es, ab eo seduci te sinis, & infeliciter miseréque, in perniciem æternam te præcipitari.

Mirum est hoc Domini mansuetudinis ac pietatis exemplum, quo venditorem proditoremque atque etiam trifurem Judam, tribus omninò annis, toleravit, nec Apostolatûs dignitate munereque procurationis privavit, neque ulli scelus ipsius eò usque, cæteris occultum, patefecit. Hoc facto suo docuit nos, idipsum facere, saltem ut injuriam nobis illatam non vindicemus, sed amore vincamus. Mansuetum hìc piúmque JESUM imitati sunt sancti. S. Martinus mirâ mansuetudine omnes sibi injurios & tolerabat & superabat. Unde cùm ex Clericis illius unus ipsum assiduè calumniaretur ac persequeretur, eum sustinuit tantâ mansuetudine ac pietate, ut cæteri mirarentur, Clericum tam impium, ab Episcopo suo non castigari, nec officio privari. Quibus ille: *Christus Dominus sustinuit Judam proditorem, & ego non sustineam calumniatorem?* Vide, hâc man-

mansuetudine suâ & pietate calumniatorem convertit, & apud Deum meruit, ut mores ille corrigeret, vir redderetur sanctus, sibique in Episcopatu succeslit. Ita Sulpitius in vita S. Martini.

Aspice, O Christiane, Christum tuum, Judam pessimum suum inimicum, sanguini suo ad mortem insidiantem, dignari *amici* nomine, eoque & id tempore, quo eum prodit & perdit. Tu ergò exemplo illius omnes habe amicos, non illos dumtaxat, qui tibi benè faciunt, sed etiam, qui faciunt tibi malè & pessimè. Ea tibi mansuetudo sit & pietas, ut quidquid interveniat, quidquid sit, nemo tibi excidat amici numero ac nomine: eos habere amicos, qui faciunt benè, instinctus est naturæ; qui faciunt malè, habere amicos, ductus est gratiæ: hoc si facias, lucraberis tandem eos, & ex inimicis amicos reddes.

II. Consideratio.

CONgratulemini vobis peccatores, si fortè pusillanimes sitis, animosque despondeatis multitudine ac gravitate vestrorum peccatorum territi, animatiores estote, in Juda perditissimo hoc homine habetis, quod vobis, peccata multa licèt magnáque sint, animos & addat, & augeat, spemque vobis faciat veram multamque, fore, ut Deus vos in gratiam suam atque amicitiam recipiat. Dominus vester ipsum Judam (quis scelestior, magisque ingratus peccator?) etiam beneficiis plurimis, signis suæ benevolentiæ & amoris, ad mentem meliorem reducere conatur. Post impiam venditionem, Judam adhuc passus est in

suâ, cum cæteris Apostolis, societate & collegio, priori etiam familiaritate eum dignatus: ad mensam eum cum cæteris recipit, ad ultimam quoque cœnam, in qua ultimum vale suis dixit Discipulis, amanter cum eo loquitur, pedesque lavat sordidos, suis etiam lacrymis Judæ specialiter præ aliis, ùt affirmat S. Augustinus, lacrymis sinceri amoris, ex intimo profectis corde; suumque ei ùt cæteris, ùt Petro ac Joanni, reliquisque Discipulis, corpus, carnem sanguinemque manducandum & bibendum dedit. Quorsum hæc omnia? Non alio id certè animo, quàm ut istis benevolentiæ suæ & amoris signis emolliat duritiem, atque obstinationem ferrei & adamantini hominis, eumque Diaboli sanè mancipium, emollitum jam, ad conversionem, salutemque pertrahat.

Dominus Judæ quoque ac salutis ejus amans, voluit & eum vincere, ac sibi devincire per confusionem, modestiore, ac meliore quo potest modo, injectam; eum coram iis, velut sui traditorem designando. Valet non raro plurimùm publicè injectus pudor. Dicitur Ps. 82. *Imple facies eorum ignominiâ, & quarent*, Domine, *nomen tuum*. Hinc Dominus, sciscitantibus Discipulis, quis eum esset traditurus, respondet, *Qui intingit mecum manum in paropside*, Judâ id faciente, *ipse est, qui tradet me*. Num pudore ille revocatus à concepto scelere? minimè, secùs omninò accidit. Enimverò se, modestè licèt, detectum videns, ac, ùt putabat, infamatum, quasi amens furensque egreditur ad perficiendam proditionem conceptam.

ptam, abitque in domum Caiphæ, postulatum ab eo milites satellitesque, qui venditum à se Dominum, proditumq; , dato in hoc signo, comprehendant. Tantùm abest, quòd injectus pudor aliquid apud animum ejus valuerit. Grandior aries adhibendus erit: sed timeo, ut & ille apud durum hunc & obstinatum hominem aliquid effecturus sit. Obcalluit jam mens ejus, frustra feritur quocunque ariete.

Disce pudorem non abjicere, si quis tibi oboriatur super malo à te patrato facinore. Pudor, cùm abjectus sit, ruit facilè quilibet in quæque flagitia. Si pudeat te mala patrâsse facinora coram hominibus quidem, apud quos valet pudor ejusmodi, eosque non raró compescit, sed magis coram Deo, qui pudor & nobilior & efficacior est. Totus in malum effusus Judas, neque eum, vel coram Deo, vel coram hominibus sceleris sui pessimi puduit.

III. Consideratio.

ARietem denique grandiorem ac fortiorem Dominus adhibet, quo cor durum obfirmatumque durissimi hujus ac obfirmatissimi hominis dejiciat. At quis aries iste? Est ille terrificum *Væ*, quod intentat illi. Quando Dominus dixerat, tradendum se, addit: *Sed væ homini illi, per quem filius hominis tradetur*: additque, *bonum ei erat, si non fuisset natus homo ille.* Dicitur, *bonum*, sed tantundem illud valet phrasi S. Scripturæ, ac *melius*. Scripturas SS. si percurramus, in quibus *Væ* illud terrificum sæpiùs occurrit, videmus

mus

mus semper illud pœnam denotare gravissimam, iram & indignationem Dei, gehennam, damnationem æternam. Quid moveat durum obstinatumque hominem, si gehenna ac damnatio æterna eum non moveat, cursumque non sistat, quo in flagitia proruit? sed tamen Judas, ne illo in cursu suo ad prodendum suum Dominum vel quidquam stitus est, quo minùs illud perficeret: magìs quasi acriùs excitatus ad illud accelerat. O hominem silice aut quâvis caute duriorem, apud quem neque blanda neque dura vel tantillum valent medicamina. S. Chrysostomus dicit: *Immedicabile vulnus est, quod nec austeris nec dulcibus medicamentis voluit obedire.* Væ, Væ, Væ, cordi, quod locum cœpit dare Diabolo, & separare se à Christo, quia se in profundum tandem malitiæ immergit: & *cùm in profundum venerit*, (Prov. 18.) *contemnit.*

Audi Abbatem Blosium, super hoc Christi ad Judam: *Amice, ad quid venisti?* doctè piéque scribentem. Ita ait: *Num peccavi in te, Juda, lavans pedes tuos, curvans genua mea, reficiens te corpore & sanguine meo? Amice, ad quid venisti? Adeóne triginta me argenteis viliorem habes? Cur à me aversus es, qui Apostolatûs te titulo honoravi, in deliciis nutrivi solicitè, quasi proprium filium institui? Cur me dereliquisti, & conjunctus es servis Diaboli? Cur ad avaritiam declinavit cor tuum, & me, summum bonum, vili pretio vendens, reliquisti, qui cœlum & terram creo? Amice, ad quid venisti? ad te ipsum quæso intrà convertere, redi ad cor, vide, quò deviaveris, adverte, quæ feceris. Porta*

gratiæ & amicitiæ necdum tibi clausa est: si volueris reverti & pœnitere, suscipiam te in ulnas amoris & misericordiæ. In Margarit. Spirit. part. 3. Cap. 23. *Amicum* vocat Dominus pessimum Judam, non quòd ipse, ùt amicus, diligatur à Juda, (venditur ab eo & proditur) sed quòd, ùt amicus, Judam ipse diligat,

Absit, O peccator, ut desperes, aut vel pusillanimis sis, multorum graviorumque peccatorum reus, hæserisque & in eis diutiùs, ac ad extremum usque vitæ tuæ. Porta gratiæ apud Deum & amicitiæ clausa non est. Clausa non fuit Judæ pessimo proditori: neque tibi (certus sis ac securus) Judâ etiam, si fieri posset, pejori porta ista gratiæ & misericordiæ clausa non erit.

MEDITATIO XI.

Christus hostes prosternit.

DOminus Christus priùs prosternit hostes suos, quàm comprehenditur ab eis. Totam illi conficiebant cohortem, constantem ex militibus, servisque Pontificum, ad eum capiendum ab illis emissis; quibus & ipse, ad se adventantibus, obviam processit. Christus Dominus Deus & homo est. Ut Deus prosternit suos comprehensores: ùt homo ab illis comprehenditur. Prosternit, inquam, comprehensores suos, qui ad hanc ejus vocem: *Ego sum,* Joan 18. *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*

I. Consideratio.

SCiens Dominus Jesus impiam militum cohortem, Judâ Duce, missam ad capiendum se, ducendumque ad summos Sacerdotes, jam in via esse, fierique jam propè, ne ab eis præveniatur, obviam procedit. *Jesus itaque* (Joan. 18.) *sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit*, obviam nempe eis, jam propè adventantibus. Docet nos in hoc plura: docet, se non ignorare impiorum contra sese machinationes. Sponte se ad mortem festinare. Paratum se ultrò suscipere peccatorem, si ad cor ille redire velit. Excita in te, O pia anima, amorem Christi, totumque offerto te illi, qui tam alacriter se in hostium manus dedit pro te. Ait illis: *Quem quæritis?* q. d. Considerate, obsecro, quem quæratis, dum me quæritis: quæritis, dum me quæritis, hominem justum ac innocentem, qui consuevit benefacere omnibus, nullumque lædere: qui ad vestram salutem de cœlis descendit in terram, naturam induit humanam, passurus in ea ac moriturus. Hæc eadem cogita tu, quando ad peccatum, quod Dei, te amantis, offensa est, sollicitaris; peccando quidem (quod affirmat S. Paulus Hebr. 10. 29. *Qui filium Dei conculcaverit*) conculcatur filius Dei, & ignominiâ afficitur. Hâc cogitatione, nisi perinde ac hi improbi, & in malo obfirmati homines, & tu, quod absit, obfirmatus sis in malo, à peccato facilè continebere.

Quid hoc? stat Judas, stant milites, lictores, satellites, quasi loco fixi, haud potentes in capiendum

endum Dominum vel manum injicere, quod facturi venerant. Vi occultæ Divinitatis suæ Dominus eos velut fixos loco consistere fecerat, ut, dato licèt à Juda signo ad capiendum eum, accedere neque audeant, neque possint. Facit hoc Dominus, ne putet quis ipsum aut inscium aut invitum incidere in manus eorum, sed scientem volentemque ultrò se eis tradere. Interea alloquitur illos, interrogatque: *Quem vultis?* suam sic pro Discipulis suis ostendens curam ac solicitudinem, ne quis fortè ex Discipulis per errorem capiatur. Demonstrat & sic Dominus, se pastorem esse bonum, qui ante oves vadit, & animam suam pro illis ponit. Audito ex illis, quòd Jesum quærerent Nazarenum, dicit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* At cur id jussit? Ideò, quia ad ipsum spectat, ut solus, quasi Mediator, Redemptor, & Salvator unus, morte suâ homines Deo reconciliet, eos redimat, & salvet. S. Cyrillus inquit lib. 1. in Joan. C. 33. *Semovit Dominus Discipulos suos à periculo, non ignorans ad se solum certamen illud, & opus salutis nostræ pertinere.*

O præclarum Patrem-familias, Dominum nostrum, familiæ suæ adeò amantem, ac protegentem! O præclaram Christi in suos curam ac solicitudinem! de iis, in tanto hìc periculo, plus quàm de se ipso solicitus est. Hæc est vera dilectio proximorum, si cum nostro incommodo, illorum commodis prospiciamus. Satìs Domino est, quidquid sibi accidat, malum tantummodò à suis si avertat. Tibi, O Christe, & me committo, tutelæque tuæ; oroque te, ut & mei curam nunquam deponas.

 II.

II. Conſideratio.

RE ſplendet hìc, velut in illuſtriore facinore, & majeſtas Chriſti, & vis Divinitatis ejus, verbo uno, armatam militum cohortem proſternentis. Audito verbo hoc ſolo: *Ego ſum*, nempe *Jeſus Nazarenus*, (quem quærebant illi) in terram, fulminis velut ictu, proruunt, terræque fixi hærent. Hìc cùm Amos Propheta (Amos 3.) lubet interrogare: *Leo rugiet, quis non timebit?* Vox illa: *Ego ſum*, balatus non erat ovis, erat rugitus leonis. Rectè regius vates de voce illa, priuſquàm à Chriſto prolata erat, vaticinatus eſt Pſ. 28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis Cedros.* Jacebat jam ad pedes Domini, voce ejus proſtrata cohors. Surge, Juda, ſi potis es: perge, prodi jam Salvatorem tuum. Surgite armati milites, quid fixi hæretis terræ? manus, ſi poteſtis, in Jeſum injicite, & abducite illum. Sed ne vel ſurgere poteſtis, aut movere vos, niſi factâ vobis à proſternente Domino, novâ ſurgendi aut movendi vos facultate. Interrogat eos denuò: *Quem quæritis?* reſpondent, in malo ſuo pertinaces, *Jeſum Nazarenum.* Et Dominus ad illos: *Dixi vobis, quia ego ſum*; & ſurgendi nunc facultate eos impertitur. Quis non obſtupeſcat? Surgunt, & in Dominum involant. Audio dicentem eis Dominum: ſi vos proſtrati ſolo verbo meo: ſi viſo tam inſolenti prodigio non moveamini: hoc ſi tacti fulmine, equidē nefandum facinus exequi velitis, benè, per me licet, accedite & comprehendite me.

In

In hac potente voce armatam militum cohortem prosternente, *Ego sum*, vim agnoscimus & virtutem divinæ gratiæ, magnam utique ac singularem. Gratia divina movet voluntatem, operatur in anima, idque virtute magnâ: non tamen ita movet voluntatem gratia, quin voluntati integrum maneat gratiæ resistere, quod sanè plus sæpè fit. Voluntas affecta gratiâ operatur *liberè*, quod non foret, nisi gratiæ resistere posset. *Act.* 9. Gratia divina afficit Saulum, eumque & in terram dejicit. Clamat ille: *Domine, quid me vis facere?* Et ex Saulo factus est Paulus, ex lupo ovis, ex persecutore Apostolus. Gratia afficit Judam, ac turbam militum, & dejicit eos in terram, & nihil mutatur Judas, nihil mutantur milites, cœptum impiè facinus, immutato animo, exequuntur. Errant sanè, qui gratiæ vim ipsam actûs effectricem adscribunt. In fidem impingunt illi, quòd voluntati, cujus est à gratia moveri *liberè*, liberéque in anima operari, libertatem adimant. Atque hæc doctrina Ecclesiæ Catholicæ definita est in S. Concilio Tridentino, in quo de gratia dicitur Sess. 6. Cap. 5. *Ei hominem liberè assentiri: eam illum abjicere posse: posse & illum ei dissentire.*


III. Consideratio.

PErpende, O meditatrix anima, impiorum duritiem atque obstinationem: neque ea in Judâ suavi osculo fracta est, aut caro *amici* nomine, neque in militibus durâ sui in terram prostratione. Cæcos ea reddit impios, sicut hi, quidquid

præcesserit, Christum, quis esset, necdum agnoverunt: aut vel potiùs agnoscere voluerunt. Interrogati namque ab eo: *Quem quæritis* ? Non respondent: quærimus te, sed, tanquam de alio, dicunt, quærimus *Jesum Nazarenum*, quibus tunc ille: *si me quæritis, sinite hos abire*, de suis magìs, quàm de se sollicitus.

Perpende, velut gloriari Dominum, nullum se ex suis perdidisse. Dicit Joan. 18. *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Sit & vicissim tibi gloriandi occasio, si neminem vel verbo vel exemplo, aut vel negligentiâ tuâ deteriorem reddideris, sed multos potiùs reddideris meliores.

O quàm obligati sunt fideles Christiani, ut infidelibus non Christianis, aliisque, quibuscunque, verbis & exemplis, aliisque, quibus possunt modis ad opera bona, ad Deumque per ea glorificandum inducant. Notum illud Domini Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est.* At inter Christianos quot sunt, qui id facere negligunt? non ità ædificant exemplis suis bonis, quàm destruunt malis. Tu ora Deum, ut gratiâ donet te uberiore, luceatque ex ea lux tua uberiùs, luceantque & tecum alii, simulque glorificetis Deum.



MEDI-

MEDITATIO XII.

Petrus Malcho aurem amputat.

STabant à lapsu suo, à quo surgere eos Dominus permiserat, erecti milites, servique à Pontificibus ad capiendum Jesum emissi, viri armati gladiis ac fustibus. Quid dein? suâ prostratione, stupendâ utique, nihil moti, neque moti datâ sibi surgendi facultate, involant, ruuntque omnes in Dominum, impias in eum injiciunt manus: vinculis & funibus eum constringunt. Putant aliqui & catenam ferream adhibitam, ut cautiùs eum ducant, aut ut minùs ille eis elabatur. Sed vide: *Unus ex his, qui erant cum Jesu,* (Ita S. Matth. C. 26.) Petrus (nempe, cæteris ubique & ferventior & animosior, *extendens manum suam, exemit gladium, & percutiens servum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus.*

I. Consideratio.

O Prodigium audaciæ! Milites servique à Pontificibus emissi, quasi obliti jam penitùs prodigiosæ potestatis, à Christo, verbo terræ eos affigente in se jam jam exercitæ, eum interiùs quidem odio, ac furore, exteriùs gladiis ac fustibus armati accedunt, manus in eum injiciunt, illumque jam ipsi in terram prosternunt, ac vinciunt, tenentque illum. Discipuli rei enormitate stupefacti, ratique vim vi repellendam esse, de armis quoque circumspiciunt, quibus armatam turbam militum ac servorum Pontificum adoriantur.

riantur. At ne id inconsideratè faciant ac temerè, Magiſtrum interrogant: *Domine, ſi in gladio percutimus?* Quid vos grex puſillus ac inermis contra tot armatos milites? Ecce tamen unus (ait Matthæus) Petrus, quod jam dixi, exempto gladio ſervum unum Pontificis ex pluribus adorſus eſt. Quid tu Petre, totam, ſi unum læſeris, non timeas cohortem? cor tuum non trepidet? ſi non unus aut alius, multitudo obruet te. Audio te mihi reſpondentem Pſ. 26. *Si conſiſtant adversùm me caſtra, non timebit cor meum.* Magnanimus es, Petre, maſculus tibi in venis fervet ſanguis. Utinam non tibi aliquando mutetur animus, & tu huic animoſitati non reſpondeas. Utinam non aliquando ad ancillæ unius, nedum cohortis integræ vocem, concidas.

Rex David fugiebat à facie Abſolomi filii ſui, 2. Reg. 16. Et ecce, egrediebatur contra eum homo maledicus, Semei ille, horrenda in Regem convitia, atque etiam lapides ſordeſque conjiciens. Dicebat autem Abiſai, Regi fidelis eique præ cæteris adfectus: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput ejus.* Ita & Petrus in Pontificis ſervum; quem voluit non invadere tantummodò, ſed & re ipsâ invaſit: & non invaſit ſolùm, ſed & vulneravit, aurem ei præſcindens ex capite. Fecit hoc Petrus, tanquam fidelis Diſcipulus ex amore Magiſtri ſui, zeloque bono eum innocentem, contra vim iniquam defendendi. Docet per hoc Petrus, nos ferre non debere injurias, quæ Deo fiunt, ferre nos poſſe proprias, ſicut & Petrus, quando

Romæ captus & ad crucem ductus est, nequaquam ipse restitit. Unde S. Chrysostomus hìc rectè dicit: *De injuriis propriis patientem esse, laudabile est: injurias autem Dei patienter ferre, nimis impium est.* Suas Petrus injurias negligit, pro injuriis verò Magistri sui, in servum Pontificis, gladium stringit, servumque eo percutit & lædit.

Tu quoque Christiane, sicut Petrus, fidelis Christi Discipulus, neglige, perfer, inquam, & devora, amore nempe studioque virtutis, injurias, probra, calumnias tibi impactas; sed quæ Deo à perversis atque à blasphemis potissimùm hominibus impinguntur, zelo utique acriore, si potes, vindica.

II. Consideratio.

PEtrus (quidquid zelus illius bonus) reprehenditur tamen à Domino, moneturque gladium deponere. Gratus quidem Domino Petri zelus, animusque illius ad defendendum illum succensus, dissuadet tamen ei aggressionem servi, non unâ id quidem ratione.

Dicit ei primò: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Hoc est, qui gladium acceperint propriâ auctoritate, & utuntur eo ad vindictam. Petrus, licèt videatur gladio usus non ad vindictam, sed ad defensionem, accepit tamen eum auctoritate suâ, non exspectato à Domino, ad interrogationem suam, *Domine, si in gladio percutimus?* responso. Vana certè hæc Petri defensio: quid unus contra turbam? Ne Hercules contra

duos:

duos: & turbam quidem adeò armatam, contra cohortem militum integram? Magis nocitura videri possit, quàm profutura, occasionem præbens plus sæviendi in Christum, tanquam qui per suos, contra justitiæ ministros, armis se tueatur.

Dicit ei Dominus secundò Joan. 18. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut illum bibam?* quasi reprehendat Petrum, velut qui contra specialem Patris ordinationem, redemptionem nostram à filio inchoandam, & modò inchoatam velit impedire. Ita S. Leo Serm. 1. de Passion. *Hunc zelantis Apostoli pium motum progredi ultra Dominus non patitur, recondique gladium jubet. Contra Sacramentum enim erat redemptionis nostræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet, ne dilato glorioso crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior, & captivitas humana diuturnior.*

Dicit ei tertiò Matth. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* q. d. Non egeo auxilio duodecim Apostolorum, qui possum ad manum habere, Patrem si rogem, duodecim legiones Angelorum. Sed neque egebat auxilio Angelorum, qui hostes suos, quantumvis armatos, solo verbo prosternere potuit & prostravit. Potest ille absque Angelorum auxilio verbo solo humum aperire, quæ omnes deglutiat. Potest omnes verbo solo, igne cœlesti absumere, atque innumeris aliis modis, & se servare, & hostes suos perdere. Videmus interea in

hisce

hisce, quibus Petrum monet Dominus, ne Passionem suam impedire velit, Christi desiderium patiendi pro nobis & moriendi, qui tot motivis & rationibus utitur, ut pati pro nobis, & mori permittatur.

Tu verò, piger & delicatus homo, omnes Passiones, molestias omnes, pro Christi nomine suscipiendas refugis, modis pluribus conquisitis & adhibitis, ut nihil patiaris. At præstat pati cum Christo, ac promptè libenterque pro eo pati.

III. Consideratio.

ECce novum magnumque exemplum divinæ in Christo beneficentiæ! Ecce novum magnumque beneficium, præstitum homini non merenti ac indigno: præstitum, inquam, Malcho Pontificis servo, Christum præ aliis invadenti ferociùs, læso à Petro, & à Christo ipso ultrò sanato. Luc. 22. *Et cùm* (Dominus) *tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* O quanta benignitas Domini sanantis auriculam petulantis militis, hostisque sui, licèt prævidebat eum tali beneficio nihilo fore meliorem, ut discas, ad misericordiam, quàm ad severitatem esse propensior. O efficaciam contactûs manuum Salvatoris! quæ, quantaque virtus Corporis Christi! cujus solius manuum attactus hostis auriculam restituit, nonne ejus corpus totum, in S. Eucharistia sumptum, animam simul & corpus curabit? Christus passurus sanat auriculam: hic enim ex præcipuis est fructibus Passionis ejus, animas nostras verborum Dei capaces efficere, easque per fidem & Sa-

Sacramenta curare. Voluit porrò Dominus, hoc ultimo suo ante mortem miraculo, hostes suos monere, ut aures suas ad verba Dei arrigant, illis auditis malitiam deponant.

At cur Dominus aurem, à Petro ablatam, Malcho mox restituit, eumque sanum reddit? Facit hoc ad tumultum & furorem sævientem impediendum, qui haud dubiè exortus fuisset, ob damnum à Petro datum, nisi id Christus mox resarciisset. Doceris per hoc iracundiæ alienæ ligna mox subtrahere, & si per nos, aut nostros damnum alicui illatum est, illud resarcire. Aurem Malcho restituit, ut ostendat hostibus suis rursùs potentiam suam, quâ, si vellet, facilè eorum fugere manus posset. Qui enim rem difficilem potest, qualis est auris amputatæ subita restitutio, non poterit faciliorem, qualis est fugere vel fugare hostes? mirum sanè, quòd nec hoc miraculo quidquam moti sint homines illi. Nempe excæcatum erat, & induratum cor eorum. Excitat eos Dominus, nec tamen evigilare volunt. O lethargum mortiferum! Aurem denique mox restituit Malcho, ut beneficio hostes sibi devinciat, & ad resipiscentiam invitet. Pugnant illi in Christum gladiis & fustibus; pugnat in illos Christus beneficiis. Quin etiam quotidie facit hoc nobis Deus, quod servo huic fecit Christus. Nos enim Deum nostrum perpetuò impugnamus peccatis nostris; & tamen ille nos beneficiis alit, fovet, sanat, omnibusque donis cumulat.

Disce Christiane, non reddere malum pro malo, sed benefacere his, qui tibi malè faciunt. Mirare

tare bonitatem Christi, tam facilè ac è vestigio hosti suo benefacientis, rogaque eum, ut similem tibi misericordiam reddat, aure tibi, ad audiendas sacras admonitiones, quà exteriores, quà interiores, restitutâ.

MEDITATIO XIII.

Discipuli, Christo relicto, fugiunt.

QUid dicis, O Matthæe, quid dicis? Ais Cap. 26. *Tunc Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Quis credat, nisi tam clarè affirmetur? Bone! Talem Magistrum tales, iique omnes, relinquant Discipuli? *Tunc*, dicit, id est, quando impii comprehensores, furentes rabidique milites, manus jam suas in Dominum, & in manus Domini vincula sua, funesque injiciebant. Hìc nunc præcipuè à Discipulis in Magistrum suum ostendenda erat fidelitas, & ecce, fugam ineunt, ac Magistrum suum solum, inter rabidos illos canes, velut agnum inter lupos, relinquunt. Sed impleta est hìc Scriptura, cujus priùs fuêre moniti Zach. 13. *Percute pastorem, & dispergentur oves gregis.*

I. Consideratio.

SCiscitantur hìc & inquirunt aliqui, an fuga hæc Apostolorum fuerit licita? Nonnulli putant, nullam, aut vel parvam, in eorum fuga fuisse culpam, eò præcipuè, quòd fide & mente interiùs adhæserint Christo, fugerintque tantummodò exteriùs, quando Christo prodesse non

 pote-

poterant: quin & sapienter eos fugisse, hi autumant, ne temerè se in discrimen vel Christum negandi, vel duriora patiendi, conjicerent; necdum enim receperant robur Spiritûs Sancti: receperunt hoc postea in Pentecoste, quo recepto intrepidè se Judæis, carceribus, vinculis, flagellis, crucibus, gladiis, leonibus, ignibus, omnique cruciatuum, mortisque generi objecerunt. Fuit ergò (ùt ajunt) hic fugæ actus ex timore imperfectus, & à perfectione constantiæ deficiens, at non illicitus ac sceleratus.

Putant alii, fugam illam fuisse illicitam, quòd eam censeant processisse ex diffidentia Christi, quia videntes eum capi & obrui à Judæis, pristinam in eum fidem & spem amiserint, desperantes nunc se ab eo defendi & juvari posse; unde eo inconsulto fugerunt; quare vel ipso hoc facto, & fugâ suâ ejus potestatem, ipsumque esse Christum, tacitè quodammodò negabant. Apostoli ergò fugientes à Christo peccârunt mortaliter, ùt quidam addunt, venialiter ùt volunt alii, quia subitò & nimio pavore (qui paventi rationem & memoriam eripere solet) consternati ex pusillanimitate & diffidentia, sine ejus jussu vel nutu diffugerunt. Experti enim toties Christi opem in periculis, eandem hìc sibi adfuturam, confidere debebant, præsertim cùm viderent Christum solo hoc verbo suo: *Ego sum*, prostravisse totam satellitum cohortem. Debebant ergò ab eo consilium & auxilium petere, ac dicere: Domine salva nos: & quid vis, ut faciamus? Adjuvisset eos utique Christus, dixissetque, quid eis faciendum esset.

ſet. Sed quidquid ſit, mortalis in eo, an venialis culpa, magna Chriſto pœna fuit, & afflictio, hæc defectio Apoſtolorum & fuga. Unde & de illa non obſcurè conqueritur Pſ. 87. *Longè feciſti notos meos a me.*

O quàm ex nobis multi ſunt, Diſcipulis hiſce non diſſimiles! facilè deſerimus Dominum, nunc timor nos, nunc tentatio vincit: deſerimus facilè Dominum, quando aliquid pro eo patiendum occurrit. Magna ſæpè proponimus, magna promittimus pro amore ejus facienda; ſed cùm jam manus admovenda eſt operi, dilabimur, & incommodum vel leve aliquando ferre aut pati detrectamus, ut certè in nos congruat illud Pſ. 77. *Filii Ephraim intendentes & mittentes arcum converſi ſunt in die belli.*

II. Conſideratio.

EN, Dominus JESUS, utì cinctum ſe ab hoſtibus, ità ſe à Diſcipulis deſertum vidit. Cùm Dominus accumbebat menſæ in ultima cœna, aderant Apoſtoli omnes, fugerat nemo. Paulò poſt cùm triſtari cœpit & pavere, aderant tres, Petrus, Jacobus & Joannes. Deinde cùm jam eſſet capiendus, & capiebatur, aderat ſolus Joannes, qui tamen paulò poſt relictâ ſindone profugit: cùm captus eſſet, nemo aderat. Tunc Chriſtus traditus in manus peccatorum videbat à dextris, ubi eſſet Petrus? Abierat. Videbat à ſiniſtris, ubi Joannes? Diſceſſerat. Retrò videbat, ubi Jacobus? Aufugerat. Ubi omnes amici? omnes, relicto eo, fugâ elapſi erant. *Tunc Diſci-*

puli omnes, relicto eò, fugerunt. O quàm decipiunt se homines in se ipsis præfidentes, quasi firmi futuri sint, quidquid patiendum occurrat? quidquid tentationis aut periculi eveniat! Quantumvis vobis tales videamini, firmi haud eritis: nisi adsit vobis Deus præsidio & auxilio suo, concidetis. Quàm firmus sibi in fide, amoreque Magistri sui videbatur Petrus! jactabat se cum eo & in carcerem, & in mortem iturum? Jacobus quoque ac Joannes, qui calicem se bibere posse, quem Dominus bibiturus erat, dicebant? similiter Thomas, cujus vox erat intrepida, *eamus & nos, & moriamur cum illo?* Sed periculo jam præsente, quo apprehendebatur Magister, Discipuli, ipsimet illi, fugam ineunt; & cùm pastor percutitur, oves disperguntur: *omnes, relicto eo, fugerunt.* Verè Sanctissimus Propheta David Ps. 29. *Dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* Stabo firmus. Sed subdit mox: *avertisti,* (Domine) *faciem tuam, & factus sum conturbatus.*

Non minùs sanè decipiuntur, qui confidunt in hominibus, quantumvis sibi amicis, si enim, qui Christum adeò diligebant, Discipuli ingruente periculo eum deserant, quis imposterùm spem suam, vel in ipsis, à quibus diligitur, ponat? 4. Reg. 25. Sedeciâ Rege comprehenso, omnes bellatores ejus dispersi sunt, & reliquerunt eum. Nimirum quilibet, sibi si consulere velit, ac prospicere, in Deo imprimis ponat spem suam, non adeò in homine. Homines plerumque amicitiam servant, quamdiu res succedunt prosperè; rebus secùs succedentibus, recedunt. Vulgatum est illud:

Iud: *Donec eris felix, multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Sunt, qui ſpem ponunt in homine contra Deum. Peſſimum hoc eſt, utì & illud, ponere ſpem in homine, plùs quàm in Deo; tantundem id penè eſt, ac Deum, aut Dei providentiam in rebus humanis non agnoſcere. Spem alii ponunt in homine, ita ùt in Deo. Et hoc malum eſt: Spes multò magìs in Deo, quàm in homine ponenda eſt. Spera tu in Deo ante omnia, neque fallet te ſpes tua: in Deo ſpera cum plena fiducia, in homine verò cum metu aliquo, ne fallaris. Tu interim ipſe, ſi ſperet in te alius, eſto illi fidelis, etiam cum incommodo tuo; ſic, quòd ſis ei fidelis, probaberis.

III. Conſideratio.

Videtur, quaſi non omnes Diſcipuli, Magiſtro jam comprehenſo, fugerint. S. Marcus dicit Cap. 14. *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus ſindone.* Id eſt, indutus lineâ veſte, additur, *ſuper nudo*, putà, corpore. Et quidem fuiſſe ſindonem genus veſtis laneæ vel linteæ corpori aptatæ, ſed ita ut facilè dorſo & injici & eximi poſſit, inſtar cujuſdam tunicæ, patet vel ex ipſa voce, *amictus.*

Quærunt SS. Patres, quis fuerit hic adoleſcens? SS. Epiphanius ac Hieronymus putant fuiſſe Jacobum, dictum *fratrem Domini.* Plures alii, Chryſoſtomus, Ambroſius, Gregorius, putant fuiſſe Joannem. Hic inter Apoſtolos adoleſcens erat, ac natu minimus. Verùm, non fuiſſe eum,

Jacobum aut Joannem, neque aliquem ex Apostolis, liquet satis ex eo, quod affirmant SS. Evangelistæ, omnes sibi fugâ consuluisse, & supra S. Matthæus: *Tunc Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Aliis itaque verosimilius videtur, adolescentem aliquem privatum fuisse, sive filium viri, in cujus domo Christus comederat Pascha; sive filium vel servum villæ, horto, in quo capiebatur Christus, adjacentis, qui rumore & strepitu transeuntium satellitum excitatus, è lecto surgens accurrit, ut videret, quid ageretur. Addit S. Marcus de illo adolescente: *Et tenuerunt eum.* Elapsus tamen est è manibus eorum, nempe ùt dicitur disertè, *relictâ sindone, nudus profugit ab eis*, sicut castissimus Joseph, Gen. 39. relicto pallio de manibus impudicæ dominæ aufugit. Liquet ex præpropera hâc ac violenta adolescentis hujus fuga, quanta hìc circa Christum ac capturam ejus trepidatio, quamque grave Judæorum in eum fuerit odium, furorque, qui tentârint etiam violenter adolescentem hunc alienum, Christum sequentem, invadere.

Considera hìc tu, qui & Christi Discipulus es; eum ab omnibus charis & amicis desertum, & manibus impiorum crudeliter raptari, sine omni humano jam auxilio aut solatio, ita ut vel hic alienus adolescens ab eo abactus sit. Solatio hoc tibi sit, si fors etiam ab omnibus deseraris. Ora Dominum, ne unquam ipse te deserat, præsertim verò in hora mortis, ne desit tibi, quando utique soli tibi, sine ullo comitatu humano, in aliam regionem erit abeundum.

ME-

MEDITATIO XIV.

Christus capitur.

POstquam, & proditor Judas, impiæ, quam ducebat, cohorti, signum dederat, quem caperent, & Dominus se capiendi, eis dederat facultatem, in eum illi incumbunt. Hìc clamor, hìc rabies, hìc furor, hìc impetus, Jesumque, injectis illi vinculis funibusque, comprehendunt & capiunt. En hìc Samson (Judic. 15.) captus à Philistæis, & funibus constrictus. Ita S. Joannes C. 19. *Cohors ergò & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum.* Solemnis hæc comprehensio, quæ non tantùm à gregariis militibus ac Pontificum ministris, sed & ab ipso cohortis tribuno perfecta est.

I. Consideratio.

DOminus JESUS conspiciens armatam cohortem, non uno quidem armorum genere, conversus ad illos, ait Matth. 26. *Tanquam ad latronem existis, cum gladiis & fustibus, comprehendere me: quotidie apud vos sedebam, docens in templo, & non me tenuistis.* Et Luc. 22. *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* q. d. Hactenus à vobis capi, nec mihi libuit, nec vobis licuit, necdum enim hora venerat, nec mea, nec vestra: jam utraque venit. Atque jam ut capiar, & mihi voluntas, & vobis potestas est. *Hæc* itaque est *hora vestra*, id est, hora, quæ conceditur vobis, ad capiendum me: *& potestas tenebrarum*, id est, quâ

 & te-

& tenebrarum hoc præcipuum opus perficere, vobis datur. Eja ergò, accipite manus meas, & vincîte eas: accipite brachia, & ligate ea: accipite totum corpus meum, & vincula quæcunque in illud injicite, & funibus, catenâ quoque, si ita adlubeat, stringite: ducite me, trahite me, cædite me. Fecit me nunc prædam vobis meus in vos amor. Aggrediuntur ergò illi eum impetu magno, perinde ac furore: prosternunt eum in terram, ventri, faciei, totique corpori furibundè incumbentes. Ps. 13. *Tauri pingues obsederunt me*. Conculcant illum calcibus, eum indignè feriunt vilissimi nebulones.

S. Propheta David Christo inter Angelos principem adscribit locum. Ita de eo ipse Ps. 79. *Qui sedes super Cherubim*. Novem in cœlis Angelorum ordines sunt: supremus inter illos ordo Cherubinorum est, & Seraphinorum: super utrosque Christus: *Qui sedes super Cherubim*. O quàm alio in cœlo ac in terra Dominus loco est! In cœlo sedet super Cherubinos & Seraphinos; in terra jacet sub pedibus vilissimorum hominum. Prôh, indignum facinus! cæli terræque Dominus hominum vilissimorum pedibus subditur; quid? conculcatur iis & proteritur. Non miremur jam amplius Dominum illum abjecisse se ad Petri pedes, Apostolorum Principis, eos loturus. Indignius quidem Petrus id arbitrabatur, quàm ut admitteret. Hinc dicit: *Domine, tu mihi lavas pedes*? Tu te ad pedes meos abjicis? Ne id, inquam, miremur amplius; jacet nunc Dominus sub pedibus petulantium nebulonum. Quereris Do-

Domine, desuper ore Prophetæ tui Ps. 55. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: conculcaverunt me inimici mei.*

At quid est, Domine, quod vinciri sinas te, nec, fortior qui Samsone es, vincula non rumpas tua? Tua non rumpis vincula, ut rumpas nostra: & rupisti; ea nempe, quibus nos, ob peccatum Proto-Patris nostri, damnationi æternæ alligati eramus. Ps. 115. *Dirupisti*, Domine, *vincula mea.* Quid ergò? *Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen tuum invocabo.*

II. Consideratio.

Vah spectaculum, quis ei intersit! Spectaculum, in quo creator à creaturis capitur, ac ligatur: in quo Christus homo-Deus, à Judæis, id est, ab hostibus sibi infestissimis, tam indignè tractatur. Alius ei in capillos involat, alius faciem cædit, alius funem collo injicit, alius manus ligat, alius eum in terram dejicit, alius pede eum proterit, nemo est, qui non quod libeat, facit. Domine JESU, paterísne omnia ista, & non potiùs in momento nequissimam hanc perdas furibundorum hominum turbam? Tibi infensissimi sunt, necem tibi jam dudum machinati. Vel te certissimè perdent illi, vel eos te perdere, necesse est. At non venisti perdere, sed salvare. O indignissimam, sed inultam petulantiam, indignè adeò grassantem! Notum scimus Ozam Sacerdotem (2. Reg. 6.) ad arcam, bonâ quidem intentione, irrreverenter tamen, manum admovisse, quando, bobus calci-

trantibus, casum illa minabatur; & propterea subitâ eum morte esse extinctum; cur non multò magìs extinguantur insolentes illi nebulones, qui manus tam impias in Dominum, cujus figuram arca gessit, conjiciunt? non tibi grave sit, quisquis es, aut molestè feras, si quando non dignè, ac prout exigit personæ tuæ dignitas, habeare, aut te haberi putes.

O piæ ac Christianæ animæ! mentis in JESUM conjicite oculos, qui pari prorsùs paritérque enormi petulantiâ, quâ nunc captus est à petulantissimis nebulonibus, ab iis jam velut capta præda abducitur: & considerare si velitis, quo Dominus habetur loco, videbitis haberi eum loco cujusdam facinorosissimi latronis. En igitur, manibus post tergum revinctis, collum torque ferreâ constrictus, catenâ circumligatus, funéque longiore brachiis inserto, velut latro insignis, aut vel dux latronum, mediâ nocte, in urbem, & per urbem raptatur, horribili catenarum stridore, armorum strepitu, satellitum tumultu, canum latratu, clamoribus cachinnísque comitantis vulgi. In urbem, ubi primùm advenerit, excita è strato plebs ad fenestras advolat: inquiritur quis sit? respondetur, applauditur: urbs commovetur totáque perstrepit, fremit, frendet. Quid dicam? Agnus mansuetissimus, ligatus undique, ducitur ad victimam. O ligate JESU, vincula illa, quæ tibi injecta sunt, nobis debentur: nostra sunt, sed tua illa facis, ut vinculis nos absolvas æternæ damnationis. Tibi, mei causâ, tam crudeliter vincto compatior, & gratiam habere tibi studebo. O Do-

O Domine, rogo te, hisce vinculis tuis, ab omni dæmonis potestate, omnibúsque vinculis malarum cupiditatum, quæ in peccatum me trahunt impelluntque, libera me, restitueque spirituali libertati, ut de manu dæmonis liberatus, serviam tibi fideliùs, quàm feci hactenus.

III. Consideratio.

APprehenderunt itaque JESUM, & ligaverunt eum: apprehensum verò, ligatúmque abducunt. At quò te ducunt Domine? Quæram id à Petro? seriùs ipse ad te ex fugâ suâ reversus est. Quæram id ab adolescente sindone amicto? coactus & ille est, nudus aufugere. Quæram à cæteris discipulis? Fugâ illi omnes, quaquaversùs dispersi sunt. Te interrogo, Maria, Mater JESU sanctissima, tu nosti, quò abducitur filius tuus. Dico itaque tibi, Cant. 5. *Quò abiit dilectus tuus, O pulcherrima mulierum? & quæremus eum tecum.* Verùm, si hujus conscia est Maria, absque dubio plena est dolore & mœrore, plena suspiriis ac singultibus, tristis, cum filio usque ad mortem, gladio doloris transfixa. Ne ergò mœrorem interrogando augeam: & quidem vocem vix edere poterit, suspiriis singultibusque intercisam. Sed quid refert, multis hìc interrogare, quò ductus sit Dominus? inveniemus eum in domo Annæ, summi Sacerdotis, quam mox adituri sumus.

Quando arca Dei, 1. Reg. 4. capta fuit, abductaque à Philistæis, maximis sanè doloribus correpti sunt Israëlitæ. Vir unus ex acie venit in Silo

Silo die illâ, scissâ veste, & conspersus pulvere caput, nuntiavítque captam esse arcam, *quo audito*, inquit S. textus, *ululavit omnis civitas.* Venit deinde ad Heli, summum Sacerdotem, & cùm id ipsum ei retulisset, consternatus ille cecidit de sella retrorsum, & fractis cervicibus mortuus est. Postea nurus ejus, audito eodem nuntio, subitis partûs doloribus præventa est, & peperit, puerumque vocavit *Ichabod*, id est, *ubi gloria?* dicens: *Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei.* At hìc nunc vera & viva arca capta est ab hostibus, comprehensa à Judæis. Quid ni id affligat nos, dolorique nobis sit? Et, si Israëlitæ ob capturam arcæ ligneæ tantoperè doluerunt, non dolebimus nos, ob captionem arcæ vivæ? Multò enim justiùs dicere nos possumus, ubi gloria nostra? in manus hostium illa translata est.

O Arca! ô gloria! quàm indignè tu tractabere inter hostium manus? Te ego quoties recipio? utinam te tractem dignè, quod erit, si corde te recepero puriore, vitiorum labe carente, gratiarumque decore fulgente. Has tu mihi ut impertiaris, vera viváque arca, Christe, quàm possim, rogo te.

MEDITATIO XV.

Christus ad Annam ducitur.

SAnct. Joannes ait Cap. 18. *Et adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Cur non primùm

mùm captus Dominus ductus eſt ad Caipham, qui ſummo tunc fungebatur Sacerdotio? à Caipha Dominus judicandus erit, non ab Anna. Dantur hujus rei rationes variæ. Ducitur captus Dominus primùm ad Annam, quia Annas ſocer erat Caiphæ, quo titulo ei erat præferendus: habitabátque Annas in via, quâ ibatur ad Caipham, ut quaſi per occaſionem eum illi oſtendere voluerint. Sed potiſſimè id ideò putant fuiſſe plures, quia pretium venditionis Domini, ab Anna Judæ promiſſum fuit. Adducit ergò Judas JESUM ad Annam primùm, perſuaſus, quòd ab eo certiùs pretium promiſſum, ſi traderet JESUM, qui jam captus erat, acciperet, à quo & illud, ùt cenſet S. Cyrillus Lib. 11. in Joan. cap. 17. etiam accepit.

I. Conſideratio.

ANnas Sacerdos, homo ſenex, ſocer Caiphæ ſummi eo anno Sacerdotis ac Pontificis, qui & ſummo Sacerdotio jam pluries functus fuerat, Caiphæ, genero ſuo, anno ſequenti, in Pontificatu ſucceſſurus, vir adeóque primæ ac præcipuæ & dignitatis & auctoritatis, JESUM, quem ante ſe præſentem habet, interrogat. Mira res, Magiſtrum interrogat diſcipulus, Dominum ſervus, Deum homo, Annas, inquam, JESUM. Utinam interroget illum, non ut ex reſponſo ei calumniam ſtruat, aut vel in reſponſo eum capiat; ſed animo meliore; nempe ut quid diſcat ab illo. Erant cum Anna in domo ejus congregati ſcribæ plures ac Phariſæi, Legumperiti

periti & Seniores populi, interrogationes, ut poterant, captiosas adornantes & proponentes. Dicit S. Joannes, *Pontifex ergò interrogavit JESVM* imprimis *de discipulis suis*, putà, qui illi sint, quot, qualesve, cur eos delegerit, homines piscatores, imperitos, rudes, Idiotas: qualiter à se instituti, quo & illi in Legem animo? Hìc & tu, Christiane, de Christi discipulis interroga, scilicet: ut eos eorumque mores imiteris. Christus Annæ respondet, nihil eum veritus, aut consessum tot magnatum, qui ei assidebant: non quidem respondet de discipulis, sed de doctrinis, ut mox visuri sumus. Non de discipulis, tùm quia eos commendare non poterat, ceu qui eò usque nihil præclarè egerant, tùm quia eos accusare nolebat, ut & tu, eo doctus, nullius famam eleves: Lauda, si possis: si non possis, ne detrahas. Homines plures, si nôrint de proximis, quod facit ad eorum laudem, reticent illud, invidia, quâ plerumque laborant, non sinit, ut proferatur: si verò nôrint, quod facit ad eorum vituperium, spargunt mox in vulgus. Disce hìc nunc à Christo, ut si non rescias de proximo unde ille commendetur, rescis autem unde accusetur, sileas potius, quàm ut quidquam de eo divulges: præstat silere, quam alia nisi bona proferre.

Annas Pontifex interrogat Christum de doctrina sua. Dicit S. Joannes: *Pontifex ergò interrogavit JESVM... de doctrina ejus.* Scilicet: quæ & qualis illa sit, an Moysi, & legi conformis, an de cælo processerit, aut vel de proprii ingenii

genii nata figmento? O Anna, si scires donum Dei, & quis est, quocum agis, doctrinam ejus Moysi legique vel maximè conformem facilè intelligeres. JESUS verò de doctrina interrogatus, ita respondet Annæ: *Ego palàm locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, in quo omnes conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quid dixerim ego.* Næ, libera responsio Christi, funibus vincti, stantisque, rei instar, coram supremo tribunali, sententiam judicis sui exspectantis. *Ego palàm locutus sum &c.* Doctor, conventus de doctrina sua, intrepidè respondeat, oportet. Doctrina vera sit, sancta sit, solida sit: sacris conformis sit oraculis, ex sacris hausta fontibus, neque erit ut vel coram censore supremo trepidet quidquam aut metuat. *Palàm locutus sum*, id est, non in tenebris, non in angulis, sed velut super tecta: *mundo*, id est, non certis quibusdam ac privatis hominibus, sed quibuslibet doctis perindè ac indoctis. *Quid me interrogas?* non credes mihi, si judex sim in causa mea: *interroga eos, qui audierunt.* Nihil veretur vel hostes suos, quos ipsos audet doctrinæ suæ provocare testes. Et quidem ex tanta illic adstantium doctorum indoctorumque hominum multitudine nemo unus repertus est, qui vel hiscere contra, aut vel apice in uno doctrinam ejus carpere, aut ausus fuit aut potuit.

Vide, Christiane, puritatem doctrinæ Christi, quam ille, ipsis suis hostibus, iniquisque do-

ctrinæ alienæ censoribus examinandam proponit: talisque & omnis doctrina christiana est: priùs quis nævum ostenderit in purissimo sole, quàm quid impuri in doctrina Christi. Si ea, quam profiteris tu, talis non est, scito, quia doctrina Christi, aut Christiana non est.

II. Consideratio.

FRustra tu, O Anna, Dominum Christum interrogas de doctrina sua, ut vel ex ea elici quid possit, quod illi criminis loco objiciatur, aut quod vel tantillùm possit carpi: nil quod tale est, in ea est. Frustra, inquam, de ea interrogas, quasi laboret aut vacillet: doctrina illa innumeris publicisque miraculis confirmata est: mille habet probationes à viris & mulieribus, à primariis & plebeis, à peritis & imperitis, à sanis & ægris, à cœcis & mutis, denique & ab ipsis mortuis. Hos par est, ut interroges. Interroga milites, qui priùs ad eum capiendum missi fuêre: dicunt illi (Joan. 7.) *Nunquam sic locutus est homo.* Interroga Nicodemum, virum in vobis primarium, dicet (Joan. 3.) *Scimus, quia à Deo venisti magister.* Interroga Nathanielem, dicet ei (Joan. 1.) *Tu es filius Dei, tu es Rex Israël.* Interroga Centurionem, Zachæum, Jairum, Lazarum resuscitatum, dicent omnes ei: (Joan. 6.) *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Numquid & tu, O Anna, vis discipulus ejus fieri, quòd de ejus vis instrui doctrina? Sed velamen est super cor tuum, excœcatus est oculus tuus, aggravata est auris tua, ne doctrinæ

ctrinæ ejus ac luci valeas intendere, & illuminari.

O quàm necessarium est, ac quàm par curæ, quam quisque de se habeat, oportet, de Fide seu doctrina inquirere Christiana! Certum est, Fidem reperiri in terris, seu doctrinam, quæ Fides seu doctrina Christi est, quâ & ad pietatem instruimur, & ducimur ad salutem; sed fidem illam, seu doctrinam, esse fidem ac doctrinam Romano Catholicam, argumenta evincunt plura ac manifesta. Fides Romano Catholica, per totum quaquaversus terrarum orbem diffusa est; neque angulus in illo est, in quo ea non reperitur. Fides Romano-Catholica à præstantissimis per Ecclesiam viris, doctrinæ laude vel maximè excellentibus asserta successivè & propugnata est. Fides Romano Catholica, quidquid ab hostibus dein æmulisque impugnata sit, semper invicta stetit. Fides Romano Catholica viros habet, semperque habuit, qui eam profitentur, & numero plurimos, & summâ dignitate auctoritatéque, summâ & prudentiâ ac eruditione præditos. Fides Romano-Catholica Martyres habet, sexûs utriusque, tantùm non innumerabiles, qui vitam pro ea sanguinemque, per horribiles cruciatus, prompto lubentique ac hilari animo, profuderunt. Fides Romano-Catholica ea est, in qua Majores nostri, homines in Deum & liberales ac pii, & vixerunt & mortui sunt. Fides denique Romano-Catholica ea est, quâ prædici fuêre, dum viverent, quiqui in cœlo sancti degunt triumphantes modò in eo cum Christo,

veræ fidei auctore. Neque ideò ea apud nos minori loco esse debet, minorique haberi pretio, quod suos hinc inde habuit, habetque oblocutores & adversarios: habuit & tales ipsa ea doctrina, quam Christus ipse ore voceque docuit, ac miraculis prodigiisque confirmavit. Eos inter oblocutores & Annas fuit, qui dominum super doctrina sua, si ei fortè ex responsis obloqui possit, interrogavit.

Habe tu, qui fidem illam profiteris, præclarum de ea ex S. Augustino testimonium. Ita ille ait serm. 1. De verb. Apost. *Nulla sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm fides Catholica*, & te divelli ab ea, aut eam tibi eripi, nunquam sine.

III. Consideratio.

INstas, O Anna, interrogando Dominum JESUM, stantem etiamnum apud te, de doctrina sua: urgesque scire, quæ illa ac qualis sit? facili id negotio tibi dici potest. SS. Evangelistæ Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, doctrinam Christi sacris dein Annalibus consignârunt. S. Matthæus primum Christi ad plebem sermonem describit Cap. 5. & 6. Sermonem sanè præclarissimum. O quàm, non præclaram dumtaxat, sed & sanctam divinamque doctrinam continet sermo ille, in omni quidem id virtutum genere! Doctrina Christi vera est; quis ambigat de illa? Christus veritas ipsa est. Doctrina Christi Sancta est; quis non fidat ei? Sanctitas ipsa Christus est. Doctrina Christi cœlestis est; quis illam super omnia

mnia non æstimet? De cœlo venit Christus, & secum eam contulit. Doctrina Christi divina est; quis non adoret eam? cum Deo Christus unus est. Doctrina Christi ab æterno Patre probata est, à Spiritu æterno confirmata, à Domino ipso æterni Patris Filio sigillo veritatis obsignata, stabilitaque signis ac miraculis: quid ultrà de eâ interroges?

Sed te, Anna, qui Christum de doctrina interrogas, paucis, par est, conveniam. Sacerdos tu es, ac Princeps Sacerdotum: Socer es Caiphæ, Sacerdotis anni illius supremi, Judex es populi. Exemplar ut sis, ac speculum aliorum Sacerdotum ac Judicum, ipse tuus à te exigit primatus. Doctrina Christi ea est, quæ te admonet, justitiam ut administres: disce justitiam monitus. Justi verò Judicis est, plectere nocentes, sed & innocentes tueri. Caiphas gener tuus, supremo nunc Pontificatu fungens, inito tecum socero suo, consilio, præter armatam cohortem militum, servos emisit ac satellites, ad capiendum, adducendumque JESUM, JESUM, inquam, innocentissimum, gladiis, fustibusque instructos, tanquam qui latronem caperent, aut trifurem insigniorem, aut vel furum latronumque Principem. Proh! quo impetu hi in eum ruunt; quantâ & insolentiâ eum in terram prosternunt: vinculaque ei & funes injiciunt! Parum est: captus JESUS, revinctis post tergum manibus, collum torque ferreo constrictus, catenâ circumligatus, velut rabiosus canis raptatur; atque ad te, Anna, jam primùm adductus

 est.

est. Profectò, haud permittit doctrina Christi, ut quis, de cujus non manifestissimè constat crimine, modò tam indigno, tam ignominioso ac crudeli, tumultuosóque habeatur. Ita agitur, ubi justitia jam omnis exulavit, omniaque confusione involvuntur. Habes jam JESUM ante te vinctum, neque facilè tibi elabetur cinctus militum satellitumque multitudine. Examinas illum; benè est, sed vide, ne condemnes, nisi nocentem reumque deprehendas; absolvas verò si innocentem. Facilè, nocens sit, vel innocens, deprehendere poteris. Quæ egit, publicè egit: & quæ docuit, publicè docuit, nihil in locis obscurioribus aut angulis. Quid urgeo? nihil in capto vinctoque, & tanquam reo, ante te stante JESU, criminis, culpæ nihil deprehendis, aut deprehendes, quidquid inquiras, quidquid examines: nihil in eo criminis est, nihil in eo vel fingi potest, non magis quàm in sole nævus. Time tibi, Anna, ex doctrina Christi, ex quâ nemo, nisi nocens, damnandus, innocens omnis absolvendus est.

Et tu, qui etiam Judex es, disce justitiam cordi habere, eamque administrare fideliter: nocentes te timeant, ament innocentes: non improbis te jungas judicibus, ac vel minùs eis viam ad injustitiam sternas, quod Annas fecit. Tu ipse sistendus es alteri aliquando judici, judici Deo, ac ipsi Christo, apud quem, injustus si fueris, injustique judicii reus, iniquitatis tuæ, ac injustitiæ pœnas evasurus non es.

MEDI-

MEDITATIO XVI.

Christus percutitur alapâ.

ECquis ille, qui alapam, gravem utique & cruentam, Domino impingit? Est ille unus ex Annæ satellitibus, unus ex adstantibus ministris. Dicit S. Joannes cap. 18. *Unus assistens ministrorum dedit alapam JESU.* JESUS respondebat interroganti se Pontifici, sed voce miti ac modestâ: servus verò ille, secùs illud, sed ex malitia sua, interpretatus, alapam ei illam propterea impegit, dicens illi: *Sic respondes Pontifici?* Exhorrescat cœlum, contremiscat terra! cœli terræque Creator ac Dominus alapam accipit à nefario milite, ab abjecto putidoque homine. Quod ad injuriam illam addit: homo iste ingratissimus alapam illam Domino impingit, inspectante & approbante Pontifice, idque impunè. *Quid Domini facient, audent cùm talia servi?* Tu abjecte ac sacrilege, divinum numen violas; ne mirere, si dehiscat terra, & absorbeat te.

I. Consideratio.

ECquod responsum fuit, quod Dominus à Pontifice interrogatus de doctrina sua ei dedit? *Ego*, inquit, *palàm locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga & in Templo, in quo omnes conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quid dixerim*

ego. Responsum miti modestaque voce prolatum; ad illud tamen militi, seu ministro Pontificis, vilique servo stomachus movetur, illeque excandescit, & quasi Dominus respondisset immodestissimè irreverenterque, os ejus verberat, alapámque ei impudentissimè impingit. Bone! abjectus terræ filius, vilis satelles, homo sordidus, excussâ palmâ os verberat filii Dei. Figura hujus in Michæa est, Propheta Domini, qui coram Achab Rege 3. Reg. 21. veritatem dicens, à Sedecia, Regis ministro percutitur in maxilla. Prophetia verò de percusso Dei filio est Thren. 3. *Dedit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Figura verò est, simul ac prophetia in Job dicente Job. 6. *Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam.*

Quid hic prius mirer, quid posterius: An impudentiam servi percutientis, an modestiam Domini percussionem recipientis? Fuit hæc percussio multò maximè crudelis, quæ facta est ab irato satellite, à furibundo milite, qui ardebat desiderio vindicandæ injuriæ, (ùt opinabatur, aut vel potiùs fingebat) Domino suo illatæ, præsertim si facta sit, manu ferro armatâ, aut vel ictu adeò forti, ut Dominus ex eo in terram corruerit. Mirum sanè est, Angelos non mox advolasse ultum tantum ac tam impium scelus. Ozam Sacerdotem percusserunt Angeli 2. Reg. 6. morte, ob Arcam non satis reverenter tactam; & mancipium hoc vile ac putidum, percutiens Arcæ Dominum inultum relinquant? Angeli percusserunt Sinnacherib 4. Reg. 19. cum mul-

tis

tis hominum millibus, ob factam in Deum blasphemiam, quantò magis percutiant, ob inflictam Christo alapam, illius inflictorem? Nonne Angeli, ob unam, in Moysem Ducem suum, rebellionem, terram aperuêre, quæ Core, Dathan, & Abiron, rebellionis Duces simul deglutivit? Hìc nunc illi (stupes meritò) manus continent. Ergóne impius hic, perditusque servus, cœli terræque Domino alapam impunè impingat? Exclamat S. Chrysostomus Hom. 82. in Joannem, Angelos quasi provocans ad vindictam: *Alapâ Deus percuti potuit? Angeli, qui hæc intuemini, quomodò siletis? quomodo manus continere potestis? quomodo pro Domino vestro non respondetis?*

Vide, quid valeat assentandi studium, & quò illud impellat hominem: impulit hunc servum in hanc alapam. Videbat ille, Pontificem, Dominum suum infensum JESU; hinc ei adulari volens, zelumque pro honore ejus ostendere, JESUM percutit, tanquam Domini sui contemptorem. Disce, multos esse, qui divitum & magnatum injuriam ulciscantur, qui verò ulciscantur injuriam Christi ac pauperum, esse neminem. Tu & pauperum curam habe, Deoque illatam injuriam, ùt par est, ulciscere.

II. Consideratio.

SEd quid Dominus servo, percussori suo? ùt prius Pontifici mitissimâ voce dixerat: *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt*, ita voce nunc pari servo, se percutienti: *Si malè lo-*

cutus sum, testimonium perhibe de malo: Si autem benè, quid me cadis? Domine, haud par est nobis, ut succenseamus tibi; alioquin pro impactâ à servo tibi alapâ, pro illata ab eo injuria, nimium ei honorem reddis, dignando illum alloquio tuo. Stabula curent servi, non, benè an malè locutus sit Dominus. Interea insigne in te, Domine JESU, videmus exemplum patientiæ: nullam de tanta injuria, per gravem illam cruentámque alapam, tibi illatâ, nullam prorsus sumis, aut vel cogitas ultionem aut vindictam. Amicè servum illum, tuam licèt id infra dignitatem foret, alloqueris, paríque voce, miti ac modestâ, ùt ipsum Pontificem allocutus es. Insignis sanè vel maximè hæc tua est patientia, cujus in nobis, quod fatemur ingenuè, ne vel umbra est.

SS. Patres, virique omnes, rectè tibi piéque affecti, mirantur vehementiùs, elementa omnia non fuisse commota, ad ultionem tanti sceleris, in creatorem suum patrati, ea siquidem armârunt se non raró, ut homines justos defenderent. Ignis 4. Reg. 1. de cœlo descendit in delusores Eliæ. Ursi 4. Reg. 2. de sylva irruerunt in pueros, irrisores Elisæi. Terra Num. 16. aperuit os suum, & devoravit contemptores Moysis. Manus Jeroboam 3. Reg. 13. exaruit, cum apprehendere vellet Prophetam. Ut quid ergò ulta non sint injuriam tibi, Domine, illatam? Sed exemplum præbere vis, & præbes, patientiæ. Dixeras Matth. 5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Alteram maxillam

xillam non præbes, Domine, ad novam alapam, sed totum præbes corpus tuum ad novas percussiones, quod majus est. At quis sensus est hujus: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram?* Hic est: si quis tibi fecerit injuriam, sufferto illam, & ad aliam paratus esto: atque ad omnem quidem injuriam Dominus paratissimus fuit, recusavit nullam. Et quidem perfectus est, si quis non resistat injuriis, & injuriantibus, sed iis ultrò se offert. Notus est versiculus: *Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia: nec virtus altiùs ire potest.*

Te convenio, Christiane, & dico tibi, respice in faciem Christi tui: perpende ejus in perferenda injuria patientiam. Excepit alapam, nec excanduit ad iram, nec linguam laxavit ad contumeliam, nec manum ad ultionem, nec animum ad indignationem. At tu impatiens, ad unicum sæpe verbum vindictæ spiritum concipis, fratri maledicis: quid? Deum deseris, & animam perdis.

III. Consideratio.

Pontifex Annas videt hæc agi coram se, ac in tribunali suo, nec movetur. Videt audaciam servi, vinctum Dominum aggredientis: impudentiam videt ac impietatem percutientis, nec indignatur. Videt Dominum ex ictûs vehementia, quâ à servo impingitur alapa, in terram corruere: livorem non tantùm in facie videt, sed & vestigia armatæ manûs, cruoremque ex ore auribusque excussum, nec compatitur,

ſed gaudet magis & plaudit , ad impactam alapam; velut ad initium injuriarum & ignominiarum, quæ Domino innumeræ planè, ac graviſſimæ eventuræ ſunt. O faciem Domini decoram, in quam reſpicere deſiderant ſpiritus cœleſtes: videmus te nunc à ſordido putidoque homine alapâ cæſam tumeſcentemque, viſuri dein multiplicibus fœdatam ictibus, ſputis conſpurcatam putidis, ac ſanguineis plenam fluentemque rivulis. Immanis hæc ſtupendaque in Pontifice crudelitas eſt, ſtupendus juſtitiæ omnis ac æquitatis neglectus. Abjectus putiduſque terræ filius, Dominum cœli impunè percutit, Pontifice ipſo indigniſſimum ſcelus immotè inſpectante.

Tu verò, æterne Pater, Deus ultionis, qui vilium etiam ſervorum tuorum injuriam vindicaſti non raro, & vindicas, quomodo protervam hanc inſolentis & impudentis militis alapam filio tuo impactam, inultam ſinas? Quomodo decoram filii tui faciem dedecorari permittas, ictuque furioſo obſcurari vultum illum, qui ſplendor eſt omnis gloriæ? Angeli cum non advolant ultum injuriam illam, ultio tua eſt. Sed te audio reſpondentem per Prophetam Iſai. 53. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* At, Pater æterne, cum filius tuus percutitur propter peccata noſtra, facies ejus percuſſa, reſpecta à te, illud ſit, ob quod & noſtri miſerearis. Reſpice, Pater, in faciem Chriſti tui, & propter eam condones nobis peccata noſtra, ſimulque largire gratiam, ut pro tuo, ejuſque & nomine, nos quoque libenter injuriam patiamur, ut poſtmodum eandem

dem illam faciem, non jam percussione attritam, non sputis illitam, non cruore fœdatam, sed omni sole fulgentiorem, æternùm contemplemur.

O miram hominum ingratitudinem! O impietatem immanem! non una, nec ab uno, sed plures Christo à pluribus infliguntur alapæ, etiam nunc regnanti in cœlo, sedenti in Throno. Christo tu, vindictæ amans toties impingis alapam, quoties illatam tibi ulcisceris injuriam: Christum cædis, quoties tu inimico tuo non parcis. Desine illatam tibi ulcisci injuriam, parce inimico, & alapam Christo impingere desines.

MEDITATIO XVII.

Christus in domo Caiphæ accusatur, judicatur, condemnatur.

CAiphas summus erat, anno illo, Judaicæ Synagogæ Pontifex, sacri Concilii Judex supremus. Ad illum captus vinctúsque Dominus erat adducendus: atque & ad illum adductus est. Ita S. Matthæus cap. 26. *At illi*, milites, qui JESUM ceperant vinxerantque, *tenentes JESUM, duxerunt ad Caipham, principem Sacerdotum*, utì prius Annæ, ita nunc Caiphæ præsentatur, qui, viso à se JESU, stante ante se, quasi captâ prædâ exultat. Plura gesta sunt in domo Caiphæ, horrore plena. In domo hac, JESUS (quod caput summaque rei est) accusatus, judicatus, & condemnatus est.

I. Con-

I. Consideratio.

JESUS in domo Caiphæ accusatus est, sed accusatus falsò, falsis testimoniis gravatus. In domum illam convenerant jam Pontifices, Scribæ, ac Seniores populi. Nempe sitiebant illi omnes necem JESU, anhelabantque ad horam illam, in quâ ea ipsi inferretur. Hinc ad primum rumorem de capto, & in domum hanc adducendo Domino, concurrerant. De domo Caiphæ addit supra S. Matthæus: *Ubi Scribæ & Seniores convenerant.* Proh perversos & malè præoccupatos homines! dicit S. Evangelista: *Principes Sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra JESUM.* Ad quid? sequitur, *ut eum morti traderent.* De veris, non de falsis testimoniis circumspicere debebant. Sed fixum eis erat, occidere JESUM; ad hoc autem non alia testimonia, quàm falsa, ipsis servire poterant, ideo falsa quærebant. Non unum, sed plura contra JESUM testimonia prolata sunt, sed omnia perinde falsa: testimonia non convenientia, atque adeò sese suopte refellentia. Atque hoc quidem egregiè declarat innocentiam Christi, quod ne vel ipsi hostes infensissimi, homines vafri ac versipelles aliquid vel comminisci potuerint, quod vel speciem habens veri, gravaret eum. Adimpleta hìc illa sunt Ps. 63. *Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.* Et Ps. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Videte, quid agatis, ô vos Sacerdotes, Scribæ, ac Seniores: inflati estis

estis arrogantiâ, ardetis irâ, inflammati e-stis invidiâ: videte, ne quod injustum aut iniquum est, in justum ac innocentem statuatis, & vel maximè (quò tamen consilia vestra tendunt, & à quo non desistetis) morti addicatis eum, crucique, qui est vita vestra, salus, & gloria.

Dicit S. Matthæus cap. 28. *Novissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt &c.* En, post plures testes falsos, à Principibus Sacerdotum populíque Senioribus subornatos, duo tandem accedunt, ut eum opprimant. Pessimi homines, qui pessimis utuntur & consiliis & testibus, ad opprimendum innocentem JESUM. Hæretici hos imitantur, qui falsis testibus contra Christum agunt. Ebion, Cherintus, Arius asserunt contra Christum, eum non esse Deum: Nestorius asserit contra illum, duas in eo personas esse: Eutyches, unam in eo esse naturam: Manichæus, non fuisse in eo verum corpus; atque hi falsa undique conquirunt testimonia: sed non convenientia eorum testimonia sunt. Novissimè autem veniunt duo falsi testes, unus ex Germania, Lutherus, alter ex Gallia, Calvinus. Hic attestatur, quòd Christus non sit verè & realiter ac substantialiter præsens in SS. Eucharistiæ Sacramento, sed tantùm figuraliter: ille eum verè ac realiter præsentem in ea agnoscit, sed simul impanationem adjungit, asserens, panem ibi simul esse cum Corpore Christi, per unionem nescio quam substantialem, sicut in incarnatione simul est divinitas cum carne. Sic variis testimoniis confictis augustissimum Sacramentum accusatur vel falsitatis

ſitatis vel idololatriæ: eſtque Eccleſia, ſicut caſta Suſanna, inter iſtos duos ſenes inveteratos dierum malorum, multas accuſationes patiens, ſed liberatur, ſuſcitante Deo ſpiritum Danielis, ſpiritum veritatis, & demonſtrante falſitatis & erroris ſpiritum, à quo agitantur hi maleſuadi teſtes, ſacras falſificantes ſcripturas, vel pravè interpretantes, ut alios ſecum exagitent, & perdant.

Vide hìc, Chriſtiane, innocentiam ac puritatem vitæ Chriſti, Ducis tui, quæ tanta erat, ut difficile fuerit vel mendacium de eo comminiſci, quo innocentiæ vitæ ejus, aut puritati vel quidquam derogetur. Diſce, neminem accuſare injuſtè, quia detractor, & falſus teſtis ad famæ reſtitutionem obligatur. Vive ad Chriſti imitationem, quantum potes, ut & fidei hoſtes, in vita tua nihil habeant, quod objiciant, *ſed ex bonis operibus te conſiderantes* (1. Petri 2.) *glorificent Deum.*

II. Conſideratio.

JESUS in domo Caiphæ judicatus eſt, ſed judicatus iniquè. Principes Sacerdotum, Scribæ, ac Seniores populi hoc judicium componunt præſide nunc Caiphâ; unde & illud in domum illius convocatum eſt. Rectius concilium, quam judicium nuncupatur. Concilium, in quo præſidet ſummus Sacerdos à Deo ipſo inſtitutum eſt, atque adeò ſacrum dicitur. Hoc & illud concilium eſt, quo non erat toto orbe aliud, vel famâ celebrius, vel auctoritate gravius, vel majeſtate auguſtius, vel religione ſanctius. Hoc Ju-

Judæorum concilium, erat totius orbis quasi oraculum: quot in eo Judices, tot in eo antistites. O quàm illud jam mutatum est! quot nunc in eo Judices, tot in eo Leones: quot capita, tot viperarum genimina. Audituri mox sumus acta decretaque in concilio illo, ad quæ ambæ nobis aures tinnient: visuri, quæ ex ambobus oculis exitus nobis deducent aquarum fontes lacrymarum. Nempè innocentissimus in eo JESUS, qui falsò prius accusatur, iniquè in illo judicabitur. Quid? ad mortem ignominiosam, ad infamem furcam condemnabitur unigenitus Dei filius, & splendor paternæ gloriæ.

SS. Scripturæ testantur non unis locis judicia humanorum tribunalium sus nunc déque versa esse, omniaque impietate & iniquitate esse plena. Ita Ecclesiastes cap. 3. *Vidi in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem.* Isaias cap. 59. *Conversum est retrorsum judicium, & justitia longè stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Et cap. 5. *Exspectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor.* Ita est, judicia sus déque versa sunt: omnia impietate & iniquitate plena sunt. *Vidi,* inquit Ecclesiastes, *in loco judicii impietatem: & in loco justitiæ iniquitatem.* Certè sicubi id videmus, videmus id in hoc nunc supremo Pontificum, Sacerdotum, Seniorumque Synedrio, in hoc nunc Judæorum sacratiore concilio, in quo ipse Dei filius, splendor ipse paternæ gloriæ, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, purissimoque purior sole, velut no-

cen-

centissimus judicatur. Memorabile est, quod refert Herodotus lib. 5., nempe Cambysen Regem Sicanno judici, quia corruptus pecuniâ, sententiam iniquam dixerat, corium detraxisse, hujusque & lora in tribunal condidisse, ac ibi Oratem filium, pro patre, judicem sedere, præcepisse, monitum, meminisset, in quo tribunali judicaret. O quàm expediret, si tribunal Caiphæ simili corio vestitum foret! eo fortè monitus, non tam injustè iniquéque à justitia & æquitate deflecteret, innocentissimum judicando JESUM. At frustra: eâ Caiphas Concilii præses, in JESUM ardet irâ: eâ judices reliqui, in JESUM ardent invidiâ, ut quidquid admoneantur, quidquid & terreantur, in eo cœpto à se impietatis & iniquitatis judicio perrecturi sint.

Disce tu, iræ & invidiæ contra proximum tuum, ac præcipuè, si innocens sit, & non læserit te, locum non dare: neque reddare in eo obfirmatior aliquando, & in majus malum proruas. Ora Deum, gratiam elargiatur, quâ in bono malum vincas, proximumque tuum, læserit te nonnihil licèt, amore tamen prosequaris.

III. Consideratio.

JESUS in domo Caiphæ condemnatus est, sed condemnatus impiè ac sacrilegè. Ad falsam accusationem subsecuta est iniqua judicatio: atque ad iniquam judicationem subsecuta est impia ac sacrilega condemnatio: & quidem condemnatio, quâ JESUS, qui Auctor est vitæ, dicitur *reus mortis*. Ita S. Matthæus cap. 26. *At illi*

illi (Caiphas cum suis) *respondentes, dixerunt* : *reus est mortis*. Et S. Marcus cap. 14. *Qui omnes condemnaverunt eum, esse reum mortis*. Proh scelus! quis credat? Innocentissimus Jesus, in supremo Judæorum Synedrio, in sacratiore concilio, dicitur & proclamatur *reus mortis*: idque paribus omnium suffragiis: *qui omnes condemnaverunt eum &c.* Vide quid possit, in rebus præsertim malis, Principis exemplum; errante eo, & in peccatum inclinante, errant & peccant reliqui. Utinam & tantùm ejusmodi exemplum & in bonis posset! Dicit Matthæus, rem accuratiùs enarrans: *Et surgens Princeps Sacerdotum ait illi* (JESU) *nihil respondes ad ea, quæ isti adversùm te testificantur? surgens*, velut admodùm aut supra modum commotus, atque ut ostenderet indignitatem & gravitatem rei, quâ de agebatur, quæ blasphemia erat, quam JESUS incurrerat, (ùt ipse volebat) dicendo se esse filium Dei. *Surgens*, & ex indignatione, quòd JESUS ad objectum sibi crimen, quasi ad futilem aliquam accusationem, taceret, velut satis foret, silentio eam confutare. *JESUS autem*, ait Matthæus, *tacebat*. Quid ni taceat Dominus? S. Chrysostomus dicit hìc: *Figura ibi dumtaxat erat judicii, re autem ipsâ, latronum impetus*. Quid frustra verba effunderet? *Tacebat*, inquit S. Hieronymus, *quòd sciret, quidquid tandem respondisset, torquendum id esse ad calumniam*. Neque etiam volebat Dominus eloquentiâ suâ mortem subterfugere, ad quam, sibi à Patre suo decretam, totum se componebat.

Pergit S. Matthæus: *Et Princeps Sacerdotum ait illi* (JESU) *adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, filius Dei.* Tacentem JESUM ad priorem interrogationem, Caiphas, per adjurationem, nominisque divini reverentiam, ad respondendum velut compellit. *Adjuro te*, ait, q. d. Ego Pontifex, qui Dei in terris Vicarius sum, ex auctoritate, mihi à Deo commissa, Deo in testem invocato, tibi mando, adjuroque te, ut respondeas palàm, an tu Christus sis, filius Dei; quem te esse, coram plebe, & dixisti, & docuisti. At verò rogat id Caiphas, non ut veritatem ab eo cognoscat, sed ut ex responso eum condemnet. Enimverò, si dicat Dominus, se esse Christum filium Dei, illum ùt blasphemum, reum mortis peracturus est. Si dicat, se illum non esse, replicaturus est ei, cur ergò te apud populum pro Christo, filio Dei vendis? itaque eum ut pseudo-prophetam condemnabit, quòd homo cùm sit, æqualem se faciat Deo, utì & ei Joan. 5. Judæi objecêre. Dominus verò adjuratus per Deum vivum, si esset Christus, filius Dei, non ulteriùs tacuit, sed respondit, ùt habet Matthæus vers. 64. *Tu dixisti*: ùt verò S. Marcus habet cap. 14. 62. *Ego sum.* q. d. Sic est, ùt dicis, ùtque tibi testatur conscientia tua, ô Caipha. Subditque mox, quo dictum confirmet: *Veruntamen dico vobis; amodò videbitis filium hominis, venientem à dexteris virtutis Dei.* Memoriam facit futuri judicii, ut illi, concepto illius timore, à malo suo in Christum judicio, & condemnatione abstineant. Vide hìc & mirare

magna-

magnanimitatem JESU, qui inter medios judices, hostili omnes animo contra se indutos, damnandus mox ad mortem, minatur eis tamen suum, id judicium adventum. q. d. Tu, O Caipha, cæterique judices mei, injustè me nunc judicatis, sed veniet amodò dies ille, in quo ego judicabo vos, veniens Judex universalis in nubibus cœli, etiam de hoc horribili vestro, quo me ad mortem condemnatis, crimine.

Disce à Domino tuo tacere, qui leviter à Caipha interrogatus, siluit, tace dum tempus & causa patitur; loquere verò, causâ te ad loquendum urgente, eo enim in casu Dominus, quidquid silere solitus, locutus est. Loquere, ubi de tuo, & præcipuè, ubi de Dei honore agitur.

MEDITATIO XVIII.

Prima Christi in domo Caiphæ damnatio.

QUid hoc rei est? Video summum Pontificem Caipham, indignatum, velut ad auditam blasphemiam, scindereque vestimenta sua. Adjuraverat Pontifex JESUM, diceret, an Christus esset, filius Dei. Responderat: *Tu dixisti*: *Ego sum*. Hìc blasphemiam fingit Pontifex, indignatur ad illam, & vestem lacerat. Ita S. Matthæus Cap. 26. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, blasphemavit.* Lex dicit Lev. 21. *Pontifex caput non discooperiat, vestimenta non scindat.* Legem illam ignorare vide-

 tur;

tur; aut si non ignorârit eam, violavit. Versus dein Pontifex ad concilium, dicit illis: *Quid vobis videtur?* Hi autem quid ad illud? sequitur: *At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis.* Deus immortalis! Quis deinde innocens erit, quando ipsa innocentia nocens declaretur? Tu, O Caipha, cum tuis, Judices non estis, sed latrones, qui innocentissimum JESUM, nocentem, & mortis quidem reum dicitis.

I. Consideratio.

SAnctissimus Propheta David dicit Psalm. 2. *Principes convenerunt in unum, adversùs Dominum & adversùs Christum ejus.* Et Psal. 118. *Etenim sederunt Principes, & adversùm me loquebantur.* Non dicis, Propheta sancte, de quibus loquaris Principibus. Intelligimus te de Principibus Sacerdotum, qui Dominum Christum hinc sublatum voluerunt. Consultant hi, non de delictis, quæ, ac quàm gravia commiserit Dominus, aut quæ ei pœna pro illis injungenda, Norunt satìs eum innocentem esse, non deliquisse eum, sed consultant, quo tutiore modo innocentem pœnæ & morti addicant: fixum namque penes illos erat, Dominum JESUM, nocentem innocentem, pœnæ, atque etiam morti addicere, quin & jurarunt jam in mortem ejus: suetam tamen judicii formam observare voluerunt, quæ est, neminem damnare nisi auditum. Nimirùm sic consulebant famæ suæ: quia si Christum non auditum pœnæ & cruci addixissent, non justi judices, sed iniqui latrones audiissent. Verebantur

tur quoque, si Dominum non auditum, atque adeò citrà judicii formam, ad mortem proveherent, ne fortè tumultus fieret in populo, eúmque sibi eriperent. Expende, quo Christus animo tulerit hanc Principum consultationem super se, longè sane iniquissimam: idque ab eis quidem, quorum infirmos toties curaverat, quorum & mortuos suscitaverat, quorum utilitates & commoda ubique promoverat. Et nos nobis faciamus animum ferendi, quidquid mali ii, quibus benefecimus, nobis inferre studeant.

Consultatio horum Principum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus, fuerit etiam super mortis genere, quo esset interficiendus & occidendus: occiderent nempe, velut blasphemum, lapidibus; ùt Stephanus simili ei afflicto crimine Act. 7. lapidatus est. At non contenti erant eã Christi morte, quâ lapidaretur, sed morte eum ignominiosiore extinctum volebant; ea autem erat crucifixio: Dominum in cruce videdere, in eâque extingui ardebant. Ludunt cum innocentissimo JESU nocentissimi hi homines. Supplicium crucis trifurum, ac latronum erat: non eis satis, nisi Dominus illo extinguatur.

Disce, O pia anima, consultationes & consilia impiorum contra te, opprobria etiam & odia, æquo ferre animo, & quamque ignominiam, idque exemplo & amore Domini tui; gratum hoc illi erit, vicemque sic ei, ùt potes, reddes.

II. Consideratio.

TE, Caipha, convenio; de pessimo tu crimine Dominum accusas: eum blasphemiæ, ex blasphemia verò mortis reum, & judicas & proclamas. Sed unde tibi de blasphemia ejus constat? Non certè ex testimoniis alienis: arte & pretio illa comparasti: at nulla ea sunt, seu nihil probant, quia non sunt convenientia, adeóque suopte collabentia. Neque constat tibi de blasphemia ejus, ex ore ipsius proprio. Verum est, interrogatus à te est, an sit Christus, filius Dei, in quo blasphemiam ponis: respondit tibi: *Ego sum*. Sed non ideo blasphemus est, vel haberi debet, nisi constet, eum Christum filium Dei non esse: sed constat, & constat apertè quidem ac multimodè, eum esse illum; adeóque eum minimè blasphemum esse. Tu, Caipha, blasphemiæ reus, tu, inquam, blasphemus es, qui Christum, filium Dei, velut blasphemum traducis. Audi testimonium æterni Patris de eo Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Et quidem splendor ipse vultûs ejus, & candor vestis ejus, Patris testimonium confirmant. Sequitur enim: *Resplenduit facies ejus sicut Sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix.* Quin & Matth. 3. quando baptizabatur à Joanne in Jordane, Spiritus sanctus, cœlis apertis, descendit in eum specie columbæ, & vox hæc Patris: *Hic est filius meus dilectus*, palàm audita est.

O quàm alii à te sunt, Caipha, cœlestes spiritus!

tus! Tu JESUM blasphemum dicis; & à spiritibus illis Is. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, trisagium eatenùs inauditum inclamatur. Imò & ipsa ille Spirituum illorum, Chirubinorum & Seraphinorum, sanctitas & vita est. O Caipha, superbe & invide, quàm impium, quàm sacrilegum judicium tuum, quo eum blasphemum dicis. O verè impium ac perversum judicium, in quo superbia Judex est, & invidia testis, ubi vis dominatur & impietas, ubi furiæ assistunt infernales. Ergone & Petrus blasphemiæ reus, aut blasphemus, qui inclamat ei Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi?* Blasphemus Centurio, dicens Matth. 27. *Verè filius Dei erat iste?* Et ipsa quidem dæmonia eum esse filium Dei agnoscunt, velint nolint. Marc. 1. & Luc. 4. Et in Synagoga erat homo, habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magnâ, dicens: *Sine, quid nobis & tibi JESU Nazarene? venisti perdere nos: scio te, quia sis sanctus Dei.* Tu, Caipha, dæmonio illo pejor es, quia cùm rescis, teste conscientiâ tuâ, illum filium Dei esse, id agnoscere nolis, sed magis eum exinde blasphemum dicis. Filium Dei verbis se esse dixit, sed & operibus comprobavit, quæ eum esse illum clamant. Cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, leprosis munditiem, mortuis vitam restituit. Opera hæc, opera sunt filii Dei. Quin & muti, quibus loquelam dedit, si eos interroges, esse eum filium Dei, dicturi & testaturi sunt.

Judicent homines nos & condemnent pro suo libitu, & malitiâ suâ: judicent nos, si velint, in-

 dignius,

digniùs, nocentes nos habeant, cùm innocentes ſimus, pœnâ nos, eâque graviore dignos nos dicant: haud id feramus moleſtè: Dominus noſter judicatus eſt indigniſſimè. Innocentiſſimus erat, & judicatus eſt blaſphemiæ mortiſque reus, atque ùt talis damnatus.

III. Conſideratio.

QUin imò, Dominus noſter JESUS blaſphemiæ, mortiſque reus, & judicatus & proclamatus eſt. *At illi*, Caiphas cum ſuis, Pontifex cum conſiliariis, *reſpondentes*, *dixerunt*: *Reus eſt mortis*. Proh Deum immortalem! quid magis indignum: quid magis impium: quid magis ſacrilegum, quàm eum, qui auctor ac fons eſt vitæ, hominum & Angelorum, auctor fonſque vitæ omnis, dici, à toto Sacerdotum, Scribarum, Seniorumque concilio, quid? proclamari: parùm eſt, damnari mortis reum? Admirans S. Leo Serm. de Paſſion. dicit: *Qui auctor vitæ eſt, reus dicitur mortis*. Domine JESU, ſi quid mali in te, aut vel veſtigium mali, ſpecies vel umbra, ferrem, ſi quid duri in te ferretur: ſed nil prorſus tale in te eſt: nullam veriſimilitudinem reprehenſionis invenerunt in te hoſtes ipſi & peſſimè tibi affecti adverſarii, mali licèt eſſent, & multi, aſtuti & ingenioſi; adeò munda eſt vita tua, adeò tu, & omninò irreprehenſibilis. Prius in mundiſſimo quis ſpeculo aut vel in fulgentiſſimo ac puriſſimo ſole nævum deteget aut maculam, quàm vel minimum quid, quod reprehendi poſſit in vita tua. Iſaias ait de te Cap. 53. *Qui pecca-*

tum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Totus, tu Domine, innocens & justus: equidem (quis non indignetur, horreatque?) reus diceris blasphemiæ, reusque mortis. Quid, Domine? non tantùm innocens & justus, lædens neminem, sed & omnium benefactor es, omnibus benefaciens. De te ait S. Petrus Act. 10. *Qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes.* Non admisisti tantùm, quibus benefaceres, sed & ipse eos quæsivisti, totam perambulans Judæam, in Jerusalem pluries, à Jerusalem in Galilæam, nunc in Samariam, nunc ad fines Tyri & Sidonis excurrendo, tua ubique beneficia impertiendo. Nihil juvat, reus blasphemiæ, reusque mortis diceris. O pessimi & scelerati Judices! Quid? Revoco quod dixi: immeritè, O Caipha, te redargui, ipse ego magis redarguendus: non iniqua, sed æqua est sententia tua, quâ de JESU dicis: *Reus est mortis.* Imò vel maximè ille mortis reus est. JESUS, inquam, innocentissimus licèt sit, ac purissimus, nævique nihil prorsùs habeat in universa vita sua, si propria ejus spectetur culpa; reus tamen est mortis, si spectetur culpa nostra, quam in se luendam recepit. Veritatem dicit Caiphas, inquiens, *reus est mortis*, etsi veritatis Sacramentum ignoret. JESUS hanc in se recepit sententiam: Gen. 2. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: atque inde, proto-parente nostro comedente ex eo, fructu nempe vetito, reus ille factus est. Gaudeamus nos, & exultemus, quòd Dominum habeamus adeò bonum, adeò in nos affectum, ut culpam ipse nostram, suam fa-

ciat, pro eâque morte suâ, & luere voluerit, & luit.

Si tibi, O Christiane, contingat aliquando, ut noteris probrosiùs, si & tu dicaris facinorosus, si tetrior labes famæ inspergatur tuæ, Jesu recordare, ducis tui, qui velut flagitiosissimus, à Caipha, mortis quidem reus dicitur: quid? proclamatur, & damnatur.

MEDITATIO XIX.

Petrus negat JESUM, Magistrum suum.

PEtrus (ecquis, quantumvis vir!) cæterorum Dux ac Princeps discipulorum, Jesum negat, Magistrum suum, non unis quidem, sed trinis successivè vicibus. Magistrum suum Jesum, captum jam ductumque, secutus fuerat, in atrium usque Principis Sacerdotum. S. Matthæus dicit cap. 26. *Petrus verò sedebat foris in atrio.* At non bene ibi actum est cum eo, ibi namque *negavit* Jesum, *coram omnibus, dicens, nescio quid dicis, non novi hominem*, addito, quod majus est, negationi juramento. Petrus columna est in Ecclesia Dei: hæc, si titubet, quis stabit? *Error Petri*, ait hìc S. Ambrosius, *doctrina justorum est: & titubatio Petri, omnium petra est, & nostra firmitudo.*

I. Con-

I. Consideratio.

ADverte: S. Matthæus dicit cap. 26. *Petrus autem sequebatur eum* (JESUM) *à longè.* Laudo te, Petre: præstat sequi *à longè*, quàm non sequi. Fugerant jam omnes, nempe à Magistro discipuli, à Duce milites, à Patre filii. Unus cæteris, pro Magistro audacior, seu cum Magistro præfidentior Petrus, aliis jam fugâ suâ à conspectu Magistri sui subductis, insistit, trepidis utcunque plantis, Magistri vestigiis: atque eum, quem amore prosequebatur, pedibus sequitur, piaculum ratus, ab eo penitùs diffugere, qui omnium est refugium. At non proximè sequitur illum, sequitur illum *à longè.* Rapiebat mentem illius, alterno æstu, hinc amor, hinc timor. Quantùm, ut sequeretur, incitabat amor, tantùm, ut non sequeretur, retardabat timor; unde, incitante amore, timore retardante, vix poterat, nisi *à longè* sequi: attamen secutus est usque in atrium Pontificis, in domum Caiphæ, in qua jam erat captus Dominus.

Quid tunc? Vers. 69 *Accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum JESU Galilæo eras.* Petre, petram te esse memento, ac petræ instar firmus consiste. Memento te virum esse, & non esse nisi fœminam, quæ te adoritur: virum à fœmina vinci, turpe est. Ancilla est, quæ pulsat Petrum; juxta textum græcum, *ancillula*, id est, fœmina vilis & infimi ordinis, atque, ùt habet S. Joannes, *ostiaria.* Ex hoc magìs liquet infirmitas Petri, qui vilis ancillulæ interrogatione percullsus,

cussus, & prostratus, negavit Magistrum, qui postea, accepto Spiritu sancto, nec Caipham, nec totum supremumque concilium Act. 2. quidquam timuit. Hinc disce tu, quàm fragilis homo sit præfidens sibi, ideóque derelictus à Deo: ac vicissim, quàm sit fortis, si diffidens sibi, fidat Deo. *Petrus*, ait Auctor Comment. in Marcum, *sine spiritu, voci ancillæ cessit: cum spiritu, nec Principibus, nec Regibus cedit.* Petrus, videns ancillam, coram omnibus, non tam interrogando quàm asserendo, ipsum esse è comitatu JESU, se prodere timens, ne detineretur, constanter coram omnibus negat: atque ut negationi fidem faciat, jurat, adeò sibi novam & peregrinam videri hanc illius interrogationem, ut nesciat, quid dicat illa, aut interroget. q. d. Adeò nescio, quis sit JESUS, ut quid de eo dicas, aut velis, nesciam: nescio enim quis, aut qualis ille sit. Certè lapsus hic in Petro satis gravis atque enormis est. Unde lapsum illum miserans, exclamat S. Augustinus in Joan. Cap. 18. *Ecce columna firmissima, ad unius auræ impulsum, contremuit. Ubi est illa promittentis audacia, & de se plurimùm præsumentis? ubi sunt verba illa, quando ait, etiamsi oportuerit, me mori tecum, non te negabo? sed quid mirum, si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit?*

Petrus quasi per gradus ascendit in negatione suâ. Primò, à prima interrogatus ancilla, negat simpliciter, inquiens ei, *nescio quid dicis.* Secundò, interrogatus ab alia, negat cum juramento. Tertiò verò, cum magis urgeretur, negavit

gavit cum execratione. Ita Matthæus vers. 70. *Tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem.* Impletum hìc nunc, quod proximè à Domino, Petro prædictum erat: *Quia in hàc nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Tertiò Petrus tentatus est, tertio & lapsus est; atque per gradus ascendit in malitiam; ita & plerumque fit. Cautus sis, O homo labilis, à primo tibi cave peccati gradu, à peccati initio, à prima delectatione, ne altiùs in malitia rapiaris. Petrum attende, ejusque exemplo cautus reddere.

II. Consideratio.

PEtre, quid agis? quid dicis? Non novisti hominem? Imò, nosti, & optimè nosti eum. Novisti eum, hominem, sed & eum, novisti Deum, Dei vivi filium. An tua tibi exciderit de eo confessio, publica tunc, & coram collegis tuis omnibus facta? Nonne tu, Domino eos interroganti Matth. 16. *Vos autem, quem me esse dicitis?* Tu unus, promptior cæteris, respondisti: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Et dicis nunc, non simpliciter dumtaxat, sed diris te devovendo, cum juramento & execratione, te non novisse eum? noveras eum, quando ille positus, & in genua provolutus ante te, pedes tibi loturus, tu ei dicebas Joan. 13. *Domine, tu mihi lavas pedes?* noveras eum, quando Malchum, servum Pontificis, invadentem eum, ipse invaseris illum percucutiens eum gladio, Dominum defensurus. Et quomodo non nosceres eum? Domino in monte transfigurato, facie fulgente super Solem, & vesti-

vestimentis super nivem candescentibus, audita divinitùs vox est, à Patre cœlesti emissa Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; testis illius adstitisti. Et nunc dicis, & juras te non novisse. Impingis, Petre, in manifestam veritatem: parùm est: impingis manifestè in conscientiam tuam. Turbo tenebrosus columnam te antea stabilem, nunc dejecit. Quid dicam? 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Video & impletum in Petro illud Psal. 101. *Qui laudabant me, adversum me jurabant.* Laudavit Petrus Dominum, & adversus eum juravit.

Causæ porrò lapsûs in Petro assignantur variæ. 1. Illius est de se præsumptio, seu nimia fiducia. Dicit: *Animam meam pono pro te.* Item: *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Denique: *Etsi oportuerit me commori tibi, non te negabo.* Ter præsumit Petrus, ter & labitur. Nihil præsume de te, sed infirmitatem tuam considera: stanti proximus est lapsus. Et si, qui petra est, labitur, quid erit cum eo, qui non nisi pulvis, lutum, & cinis est? 2. Societas malorum non vitata. Malorum societas multis obfuit, obfuit & Petro, negat in ea & pernegat Dominum. Quærit S. Ambrosius in Luc. lib. 10. cap. 22. *Ubi Petrus negat Christum?* Respondet: *non in monte, non in templo, non in domo, sed in prætorio Judæorum, in domo Principis Sacerdotum: ibi negat, ubi veritas non est, ubi Christus captus, ubi ligatus est.* 3. Ejus in horto dormitio. Dixerat Dominus ei, aliisque duobus discipulis, Jacobo & Joanni: *Susti-*

Sustinete hìc, & vigilate mecum. Dixerat eis: *vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Contra tentationem illis tunc proximam, assignat eis vigilias & orationem: & hæc quidem arma sunt, quibus facilè vincitur, gravior etiam non raró tentatio: vincimur veró facile, si arma illa non arripiamus. Dormivit Petrus. Dicit Matthæus: *Venit* Dominus *ad discipulos suos, & invenit eos dormientes.* Petrus quidem plus semel excitatus, dormivit iterum, non vigilavit, non oravit. Haud mirum, quòd in tentatione victus sit. Ipsi Petro visum fuit incredibile, & quasi impossibile, Magistrum se negare posse: negavit tamen eum; arma neglexerat sibi assignata, vigilias & orationem.

Tu, O homo, Petri dormitione excitare: vigila & ora: lapsus Petri, quia non vigilarat, & orârat, te erudiat. *Vita tua* non est, nisi *militia*, aut, ùt alia lectio habet, *tentatio super terram*: nisi vigiles & ores, adversario in prædam cedes. Ita postmodùm ipse Petrus 1. Petr. 5. *Sobrii estote & vigilate* (orate) *quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui resistite fortiter in fide.*

III. Consideratio.

PEtrus à Deo designatus est Princeps Ecclesiæ: cur à Deo labi permissus est? Petrus petra, super quam ædificanda Ecclesia. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Instar ergò petræ firmum stare eum oportebat; & titubanti illi, cur Dominus manum

non

non supponit? cur, inquam, labi eum permittit? & velut collidi petram adeò sublimem, sublimique adeò usui admovendam?

SS. Patres varias rationes afferunt. 1. est S. Gregorii Hom. 21. in Evangel. ut Petrus, præficiendus cæteris Pastor universalis, lapsis commisereri, & non austero animo esse, disceret: *Plus*, ait, *erga corrigendos agat benevolentia, quàm severitas, plus cohortatio, quàm commotio, plus charitas, quàm potestas, cùm nemo nostrûm sine peccato, nec reprehensione vivat. Si Dominus Petrum post primam negationem judicasset, nec talem ex eo fructum recepisset.* 2. Est S. Leonis Serm. 9. de Pass. ut nemo, majori etiam ac sublimiori destinatus muneri, in sua confidat fortitudine. Ita ille: *Ut in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de sua virtute confidere, quando nec mutabilitatis periculum B. Petrus potuisset evadere.* 3. Est S. Ambrosii, & aliorum, ut ferventiùs resurgeret, & semper ei stimulus foret humiliationis majoris, imò & amoris ferventioris. Hinc etiam tertiò interrogatur de amore, *& redditur negationi trina trina confessio, ne minùs amori lingua serviret, quàm timori*, inquit S. Augustinus Tract. 13. in Joan.

Disce, quisquis conscius es infirmitatis tuæ, non præsumere, quasi lapsurus non sis, periculum licèt non caveas. Eccli. 2. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Disce, cum lapsis non agere severiùs, sed magis eis commisereri. Disce metuere de lapsu tuo, cùm lapsus non sis; sin verò, surgere ferventiùs, ut vel lapsus ipse ad virtutem tibi, salutemque prosit. ME-

MEDITATIO XX.

Petri de lapsu pœnitentia.

VIdimus Petri lapsum, videamus & pœnitentiam. Petrus Matth. 14. Christo super aquas obviàm occurrens, mergi cœpit, diffidens nonnihil timensque. At Dominus illi manum porrigens, erexit eum, & submersioni ejus ope suâ prævertit. Mergi cœpit Petrus, quando Magistrum suum negavit. Manum porrexit Dominus, quando gratiam ei largitus est, quâ pœnitentiam egit, & à submersione ulteriore servatus est. Gratulor tibi, Petre, quod lapsus ex infirmitate, ex virtute surrexeris.

I. Consideratio.

PEtrus, per galli cantum de lapsu suo admonitus, ad pœnitentiam se convertit. S. Matthæus dicit cap. 26. *Et continuò gallus cantavit, & recordatus est Petrus verbi JESU.* Prædixerat ei nempe Dominus, ante cantum galli, lapsurum se. Quilibet peccator, & quicunque lapsus est, Petrum imitans, ad galli cantum resurgat. S. Gregorius per cantum illum intelligit vocem prædicatoris: rectè sanè & opportunè; debet ergò prædicator, instar galli, peccatores forti clamore excitare & pulsare; tametsi enim ad eorum vocem non statim excitentur (neque enim Petrus, teste S. Marco, ad primum cantum excitatus est) excitabuntur tamen aliquando. Pro-

deſt, ſi excitentur, ſeriùs licèt. Peccatores eorum, quæ audiverunt à prædicante, recordantur, poſt longa ſæpe tempora, & emendantur. Moleſtus eſt cantus galli nocturnus, pigris nempe, & ſtertentibus in pigritia ſua hominibus: gratus verò lucis, laborumque amantibus. Ita & prædicatio: quæ quidem ibi utilior eſt, ubi ingrata non eſt. Galli cantus erat vox Nathan Prophetæ 2. Reg. 12. ad Davidem Regem: *Tu es vir ille*, quem morte dignum judicaſti: neque ingrata vox illa Regi. O quàm ergò ea illi utilis! motus eâ, è veſtigio ait ad Prophetam: *Peccavi Domino:* & Propheta ad illum: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Et tu ad ſimilem cantum expergiſcere, ſi non è veſtigio, quod præſtat, ſaltem aliquando; præſtat expergiſci ſeriùs, quàm in ſomno abſorberi.

Quæris: quid ultrà deſignet cantus ille? Rectè illo deſignatur occlamatio conſcientiæ, velut intùs vociferantis, & arguentis. Viderit unuſquiſque, ut, ſi fortè peccârit, & præcipuè ſi aliquantò enormiùs, ad hunc cantum, ad hanc, inquam, conſcientiæ occlamationem evigilet. Paravit ſibi quis divitias, uſuris, aliiſque modis injuſtis (ô quàm multi hìc excedunt) occlamat ei intùs conſcientia, reddendum eſſe, quod injuſte partum eſt. Ardet quis libidine, indulget illi, perſonam frequentat lubricam lubricus ipſe; occlamat ei intùs conſcientia, ponendam eſſe libidinem, à frequentatione illa lubrica eſſe abſtinendum. Rapitur indomitis quis iræ invidiæque affectibus, in iram invidiamque labitur; occlamat intùs

intùs conscientia, non dandum locum affectibus illis, resistendum eis esse. Dives epulatur opiparè, mica non superest Lazaro danda; occlamat conscientia, judicium fore sine misericordia ei, qui non facit misericordiam. Totus quis in divino torpet obsequio, tepidus totus; occlamat conscientia, utinam calidus esses, aut frigidus, sed quia tepidus es, incipiet te Dominus ejicere ex ore suo &c. Clamor ejusmodi conscientiæ velut galli cantus est, quo excitet.s. O te felicem, si ad illum expergiscaris! actum est de te, si illum negligas aut spernas. Sapere tu vis? Benè; ergò, quando occlamat sibi conscientia tua, de peccato à te commisso, de agenda à te pœnitentia, cogita apud te, gallus mihi cantat, qui cantavit Petro, ac convertere cum illo, & pœnitentiam age, sic nempe cantus ille tibi ad salutem profuerit.

II. Consideratio.

PEtrus Christum ter jam negaverat, & ideo ter infelix & miser. Petrus à Christo jam erat aversus: sed denuò ad eum conversus est, in eo sanè felicissimus. Juvit ad conversionem Petri cantus galli, sed & juvit respectus Domini. Dicit S. Lucas cap. 22. *Et conversus Dominus, respexit Petrum.* Petrus per cantum galli admonitus est exteriùs, per respectum Domini, motus est interiùs. Gallum cantare peccatori, haud satis est, nisi & Christus respiciat. Absque Dei respectu, quæ gratia ejus est, nemo convertitur; nemo vel converti potest, quidquid ei contingat exteriùs; &

quidem non solùm, cùm quis convertitur, respectus Dei, gratia, inquam, necessaria est, sed etiam est necessaria, ut quis convertatur. Galli cantus monuit Petrum conversionis, quæ & secuta est, quando Dominus gratiosè respexit illum: præter galli cantum, & respectu illo indiguit. Dominus respexit Petrum, quasi tacitè ei diceret, non audis, non advertis cantum? Solemus enim, quando aliquem clanculùm monere volumus, aliis non advertentibus, fortiore eum obtutu aspicere, quasi nutibus ei locuturi. Certè aspectu illo non parùm tactum fuit cor Petri, & emollitum. Puduit Petrum ob fragilitatem & levitatem suam, quâ sivit se vinci tam facilè, ut Dominum suum, quem publicè confessus fuerat, jam publicè negaret. Videmus & nos in fragilitate & levitate Petri, fragilitatem & levitatem nostram. Dum extra tentationem sumus, nos fortes esse arbitramur, non lapsuros, quidquid nobis accidat; & tempore tamen tentationis, vento etiam non rarò leviore dejicimur. Ita Psaltes Regius Psal. 29. *Dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*; sed mox subditur: *avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.*

Dominus respexit Petrum oculis corporalibus. Quando jam proclamatus erat à Pontifice Caipha, in domo ejus, reus mortis, videtur ex atrio interiore reductus ad atrium exterius, in quo erat Petrus; ibique vertens se ad illum, eúmque benigno oculorum suorum nutu verberans, illum lapsûs sui tacitè admonuit, & ad se revocavit. Fuit & hæc magna Dei charitas, ac misericordia,

cordia, quòd suis undique obsessus inimicis & oppressus, in mediis injuriis, horum omnium, ac sui etiam velut oblitus, curam agat Petri, de eo cogitans, ac laborans, ut eum, quasi ovem perditam, reducat in viam salutis. Respexit & Petrum Dominus oculis spiritualibus, faciens radios divinæ lucis elucescere in mente ejus, accendíque amorem, quo succensus agitatusque, egreditur illicò, ex atrio ac domo Caiphæ, desertóque malorum consortio, abiit foràs, ibique lacrymis ubertim erumpentibus, liberas habenas laxat, quibus maculas meticulosioris negationis suæ diluit. S. Hieronymus dicit de Petro hìc: *Non poterat in atrio Caiphæ sedens, agere pœnitentiam: egreditur foràs de impiorum concilio, ut pavidæ negationis sordes, amoris fletibus lavet.*

Videmus Petrum negantem Magistrum suum, & pejurantem; videmus & fletu negationem suam diluentem. Ubi negat Petrus Magistrum suum & pejurat? in consortio malorum. Ubi flet, & delictum delet? in malorum fugâ. Fuge itaque ac devita ejusmodi consortia: nullóque unquam tempore te eis sic immerge, ut & de eorum censearis numero. Roga Deum, ut intùs loquatur in te, túque intùs loquentis vocem attendas, eâque, cum Petro ad pœnitentiam adducaris.

III. Consideratio.

O Miram, O stupendam in Petro respectûs Christi efficaciam! Respectus ille lacrymas excussit ex oculis ejus, aut vel magis lacrymarum

fontes. An hic à te, petere possim Domine, quod ab Israëlitis Moyses, stans coram petra Num. 20. *Num de petra hâc vobis aquam poterimus ejicere?* Potuit id, & fecit respectus ille; & lacrymas quidem ejecit ex oculis ejus copiosissimas. Psal. 113. *Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Audi S. Ambrosium ita dicentem in Luc. lib. 10. *Quos JESUS respicit, plorant delictum. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit secundò, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit tertiò, respexit JESUS, & ille amarissimè flevit. Si ergò ita sunt necessarii oculi tui, Domine, respice in me, & miserere mei. Respice, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum.*

S. Matthæus ita refert de Petro: *Et egressus forùs, flevit amarè.* Observat S. Clemens, Petri discipulus & successor, flevisse Petrum totâ deinceps vitâ suâ, amarásque fudisse lacrymas singulis noctibus ad galli cantum, iis peccatum suum, licèt jam remissum, velut continuò diluens. Hinc etiam oculi ejus, ex continuo fletu, apparebant quasi sanguine respersi, exstaréntque in genis ejus vestigia lacrymarum. Peccamus nos cum Petro, & Dominum negamus malâ vitâ nostrâ. Nos sæpiùs peccamus, quàm Petrus, rariùs autem flemus: flemus rarissimè, & fortè nunquam. Precemur Dominum JESUM, ut sicut Petrum, ita & nos respiciat. Oculi illi, quibus Dominus Petrum respexit, nemini sunt clausi, omnibus sunt aperti. Paratus est Dominus etiam hâc

hâc horâ nos omnes respicere: & quod amplius est, nos omnes respiciendo illuminare, illuminando accendere, accendendo ad se convertere. Precemur, inquam, Christum, respiciat in nos, & misereatur nostri. Nihil est tam fœdum, quod lacrymis non abluitur, præsertim calidæ si sint amore, & fundantur tempestivè. Dictum S. Ambrosii est in eum locum: *Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur*: & S. Bernardi: *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum*, imò vinum sunt Dei & Christi.

Peccator tu quisquis es, in Petrum respicet &, si eum secutus es peccantem, sequere quoque pœnitentem. Peccatum tuum cum Petro defle, defle & amarè, & perinde ac ille, fletu tuo illud elues.

MEDITATIO XXI.

Judas pœnitentiâ ductus, pretium reddit venditionis.

T*Unc videns Judas*, ait Matthæus cap. 27. *qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos.* Videtur, quasi Judas, venditor JESU sacrilegus, non cogitasset eum à se venditum, à Judæis, sacrilegis emptoribus, damnandum & occidendum esse; sed quòd caperetur dumtaxat, & captus denuò è manibus eorum elaberetur, sicut jam antè pluries è manibus eorum elapsus fuerat. Sed jam secùs accidere videns, venditúmque à se

Dominum, damnatum jam, & quidem mortis reum declaratum esse intelligens, pungentibus illum malæ conscientiæ stimulis, facti sui eum pœnitere cœpit, utinam, ùt serâ, ita & verâ pœnitentiâ: hæc enim ei veniam sui sceleris, quantumvis gravis & execrabilis, peperisset.

I. Consideratio.

TUnc, inquit S. Matthæus, *videns Judas* &c. Magna emphasis, vis magna, magnum pondus in vocula illa, *Tunc*. Quando peccabat Judas, vendens suum Dominum, non videbat malitiam ac gravitatem sui facti; vidit autem *Tunc*, quando jam vendiderat, damnatione illius deinde secutâ, quâ reus mortis declarabatur: quando peccabat, non videbat; vidit, quando jam peccaverat. Judas, Fur erat, trifur, venditor, proditor, sacrilegus, imò (ùt eum Joan. 6. appellat Dominus) diabolus: clausi sunt ei oculi, non videt: erat in Christum [illegible] quam, in amicum [illegible]fidus, in M[illegible] us, in Patrem im[illegible]ius, quid [illegible] s: non videt, clausi ei ocu[illegible] ejus [illegible] usi ei [illegible] ven[illegible] o: non [illegible] it antesi[illegible] n, ad hor[illegible], velut dato [illegible] s, à quibus occi[illegible] uli; cæcus adhuc [illegible] dum ei patet sceleris sui

ſui malitia; ſed jam certior factus damnationis Domini, quâ reus jam mortis declaratus, *Tunc* videre cœpit: *Tunc* oculi, qui prius clauſi, aperti ſunt, *Tunc*, inquam, malitiam & gravitatem facti ſui agnovit, *Tunc* & pœnitentiâ iſtius (utinam verâ!) duci cœpit. *Talis* namque *diabolus eſt*, inquit hic S. Chryſoſtomus, *ut non permittat hominem, niſi vigilet, ante ultimum effectum, magnitudinem peccati prævidere, ne pœnitentiâ ductus, à peccato reſiliat: poſtquam autem peccatum omnibus numeris eſt expletum*, tunc *videre permittit, ut mœrore afficiat, & in deſperationem præcipitet. Tam multis enim admonitionibus Chriſti nihil flexus eſt Judas: dum verò in ultimum jam effectum rei venit*, tunc *pœnitentiâ* ducitur: *neque* tunc (quod vitium illius fuit) *utiliter, & uti oportebat.*

Nunc ad te, O peccator, me converto: *nunc*, cùm mundus tibi blanditur, cùm caro lenocinatur, cùm dæmon inſtigat, dum voluptas invitat, libido provocat, honor titillat, gloria oblectat: *nunc*, cùm ætas floret, valetudo favet, ſanguis juvenilis [illegible] venas ebullit, tegitur tibi, oppoſito velut ſ[illegible] appenſo velo, peccati fœditas, non a[illegible]litia & gravitas, nihil occurrit, quod [illegible]los, nihil, quod aures offendat, perci[illegible]l, quod corpori incommodet, prop[illegible]nia placita ſunt, amœna, jucunda. [illegible]miſſo jam peccato, & omnibus nun[illegible], *Tunc*, velut ſigno dato, effractis [illegible]um repagulis, ruunt cum arde[illegible]s infernales furiæ. O quàm mul-

tæ *Tunc* undique, & quàm triſtes rerum imagines animo obviàm veniunt! Qui conſcientiæ clamores, qui latratus? gliſcit intimè, omneſque penitùs animi receſſus pervadit inquietus horror, pavet ad omnia malè ſibi conſcium pectus. *Tunc*, cùm adſtat mors, parcens nemini, ablatura jam animam, ſiſtendam mox Chriſto judici, juſtoque judicandam judicio, *Tunc* angitur peccator & metuit, *Tunc* totis præ metu artubus contremiſcit, ne, judicio utique irrevocabili, reus declaretur mortis æternæ; atque adeò ne eâdem fors horâ, eodem fortè momento, eundum ſibi ſit in ignem æternum.

O quàm præſtet hæc, dum tempus eſt, præcogitare! Qui ſeriò præcogitat, facilè cavet. Non id fecit Judas, non cavit præcogitans; atque exinde exitium & damnationem æternam infelix incurrit.

II. Conſideratio.

POenitentia Judæ, quâ duci cœpit, haud vera, licèt pretium venditionis ſui Domini, eum ad emptores referre adegit. Ita S. Matthæus cap. 27. *Pœnitentiâ ductus* (Judas) *retulit triginta argenteos.* Diſplicebat tunc quidem Judæ factum ſuum, quòd nempe diſceſſerat à Domino ſuo, adeò ſibi addicto benefactore; quòd eum, leviſſimo & vix ullo pretio, vendiderat, qui omne pretium ſuperat, tradideratque proditorio oſculo iis, à quibus impiè ac ſacrilegè violandus, infamique erat morte occidendus. Diſplicebat tunc, quòd auctor futurus cauſaque necis illius, à quo

à quo tot priùs ac tantis cumulatus beneficiis, auctor causaque necis filii Dei, venditione & traditione suâ proditoriâ: sed illa displicentia non erat pœnitentia vera ac genuina; erat remorsus aliquis, seu occlamatio conscientiæ, eum accusantis & arguentis, qualis ad veram ac genuinam pœnitentiam non sufficit: sensus animi, dolorque cordis, pœnitentiæ, ut vera sit, adesse debet. Damnati, qui igne torquentur gehennæ, displicentiam quidem aliquam habent de peccatis suis, æternúmque habituri sunt; sed non ideò veram habent pœnitentiam, peccati remissivam; quam si haberent, damnationem solverent, ad cælum evasuri. O quanta hæc eis foret felicitas! sed manet eos infelicitas, mansura æternùm.

Verum est, Judas, dum pœnitentiâ ducitur, dicit, *peccavi. Peccavi,* inquit, *tradens sanguinem justum.* Vox peccatoris, *peccavi,* præclara est, sed non perinde in omnibus efficax Rex David 2. Reg. 12., abusus Bethsabee, uxore Uriæ, atque correptus desuper à Nathan Propheta, agnoscens peccatum suum, dixit; *peccavi.* Saul Rex, Davidis in regno antecessor, agnito commisso à se inobedientiæ delicto, pariter dixit, 1. Reg. 15., *peccavi.* David veniam mox obtinuit peccati sui, dicente ei Nathan; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; quam tamen non obtinuit Saul. In Davide, voculæ huic, *peccavi,* conjunctus fuit sensus animi, & dolor cordis. *Cor contritum*, ait Ps. 50. *& humiliatum Deus non despicies*: in Saule verò voculæ, *peccavi,* sensus talis ac dolor

dolor conjunctus non fuit. Dolor Saulis non erat nisi humanus, timens, ne ob peccatum à se commissum, vilis haberetur à populo, ac à regno fors excideret. Patet ex hoc, quòd Samueli se super peccato suo corripienti reponat: *Sed nunc honora me coram Senioribus populi mei, & coram Israël.* Dolor autem humanus sufficiens non est, ad obtinendam peccati veniam. Ut efficax sit vocula *peccavi*, à peccatore prolata, dolor internus, ex motivo procedens supernaturali, atque hoc humanum transcendens, adsit, necesse est. Manifestum jam ex hoc fit, cur Judas pœnitentiâ ductus, veniam non obtinuit: dolor ejus non nisi humanus fuit. Veræ pœnitentiæ adest & spes veniæ: defuit verò illa pœnitentiæ Judæ: quid? Adfuit ei desperatio, quæ illum infelicem (ùt mox videbimus) in arborem egit, vitamque eripuit.

Tu, peccator, vis expediri à peccato tuo? dole de illo, dolore cordis. Dic, *peccavi*, cum Davide, non cum Saule, id est, divino, non humano dolore: non cum Juda, cujus dolor, non nisi humanus fuit; *peccavi* dic, inquam, cum Davide, dolore cordis, & *Dominus quoque* (uti cum Davide fecit) *transferet peccatum tuum.*

III. Consideratio.


JUdas, mercator sacrilegus, impiis ac sacrilegis emptoribus suis, Principibus Sacerdotum & Senioribus populi, pretium redemptionis, triginta argenteos refert, dicens illis: *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Duo facit hoc illle

ille dicto suo, & Domini à se venditi proditique innocentiam contestatur, & Principes Sacerdotum impii ac iniqui contractûs arguit. S. Chrysostomus hìc dicit: *Proditor de se ipso dat testimonium, & eorum, qui condemnaverunt, oppilat ora.* Habebant emptores sacrilegi prætextum quemdam impietatis suæ, in emptione commissæ, quia Christus sibi esset venditus, à discipulo suo intimo, qui videri poterat, ob occulta forsitan Magistri sui facinora, ab eo defecisse. At nunc omnis prætextus sublatus est, quando ipse coram illis confitetur, sanguinem justum se iis vendidisse, seseque in eo peccasse. *Peccavi*, inquit, *tradens sanguinem justum.* Est illa de Christo confessio, publica de innocentia ejus ac puritate vitæ contestatio. Quid innocentius agno immaculato? quid purius illo? sed talis agnus Christus JESUS est, à Juda Judæis & venditus, & traditus.

Non possum, quin Judæ, de innocentia Christi contestanti, alios insuper innocentiæ illius testes adjiciam. En Caiphas ipse Sacerdos summus, capitalis licèt, juratúsque Christi adversarius, sic dicit de illo Joan. 11. *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Morte sublatum vult Dominum, non quòd mortem commeruerit, sed ne populus ei universus adhæreat. Illustre sane de innocentia ejus & vitæ puritate testimonium. Pilatus, qui Dominum addixit morti, exclamat ad populum, lavans manus suas coram eo, Matth. 27. *Innocens ego sum à sanguine Justi hujus.* Uxor Pilati ibidem:

dem: *Nihil tibi, & Justo illi.* Latro in cruce socius Luc. 23. *Nos digna factis recipimus: hic autem, quid mali gessit?* Centurio Matth. 27. *Verè filius Dei erat iste.* At, quod velut caput est, Judas, venditor licèt, proditor, traditor, & facti exteriùs pœnitens, & culpam agnoſcens, sanguinem ejus justum esse, id est, ipsum esse innocentem, in publico solemníque Judæorum conſessu confitetur, dicens in eo: *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Juda, cùm noveris, JESUM esse innocentem, omnísque omninò purum criminis, quomodò in animum inducere tibi potuisti, ut eum, & quidem turpi adeò & perfidâ proditione traderes, & inimicis eum traderes, & ad necem traderes? Sed novi ego: vicit te auri cupiditas, ut meritò exclamem: *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* Auri? non! vicit te cupiditas lucri perexigui, ac nullius penè. Cupiditas triginta argenteorum, quibus Dominum vendidisti, in pessimum te, horrendumque ac execrabile scelus impulit.

Cave, O Homo, tu præcipuè, qui avarus es, cupiditatem illam sordidam: cave, ne & te impellat ea, in scelus, impium forte & execrabile. Cupiditas illa malorum omnium radix est. Peccare ob leve lucrum aut breve delicium, vendere est vili pretio & Christum Judæis, & animam dæmoni.



MEDI-

MEDITATIO XXII.

Pontificum ad Judam responsum.

JUdas, qui priùs accesserat Principes Sacerdotum, & Seniores populi, ut cum eis pacisceretur de tradendo Christo, pactúsque est; jam iterum accedit illos, ut pactum rescindant. Facis id, O Juda, seriùs, quia qui à te venditus erat, jam & traditus est, atque etiam condemnatus. Pactum cùm non rescindant, pretium illis reddit venditionis, quod acceperat, triginta argenteos. Abigunt hi à se Judam, & pretium, quod solverant, recipere omninò nolunt: quare ille, projectis ante pedes eorum argenteis, recedit, nescio quibus, & quàm desperabundis cogitationibus agitatus.

I. Consideratio.

PRincipes Sacerdotum, Judæ, pactum rescissum volenti, ac, ùt videbatur, pœnitenti facti sui, respondent: *Quid ad nos? tu videris.* q. d. *Tu, quod intrivisti, exede.* Si vendideris nobis virum justum, justum sanguinem, culpamque in hoc agnoscis, tu culpæ, quam agnoscis, tuæ pœnam sustine: culpam nos nullam in nobis agnoscimus, sed JESUM, sicut Pseudo-Christum ac Pseudo-Prophetam, ita &, ùt mortis reum, existimamus; ideóque & ad mortem persequimur ac perurgemus. Nolebant illi argenteos, à Juda oblatos, recipere, ne per hoc contractus cum

Juda

Dominum, damnatum jam, & quidem mortis reum declaratum esse intelligens, pungentibus illum malæ conscientiæ stimulis, facti sui eum pœnitere cœpit, utinam, ùt serâ, ita & verâ pœnitentiâ; hæc enim ei veniam sui sceleris, quantumvis gravis & execrabilis, peperisset.

I. Consideratio.

TUnc, inquit S. Matthæus, *videns Judas* &c. Magna emphasis, vis magna, magnum pondus in vocula illa, *Tunc.* Quando peccabat Judas, vendens suum Dominum, non videbat malitiam ac gravitatem sui facti; vidit autem *Tunc,* quando jam vendiderat, damnatione illius deinde secutâ, quâ reus mortis declarabatur: quando peccabat, non videbat; vidit, quando jam peccaverat. Judas, Fur erat, trifur, venditor, proditor, sacrilegus, imò (ùt eum Joan. 6. appellat Dominus) diabolus: clausi sunt ei oculi, non videt: erat in Christum, erat, inquam, in amicum perfidus, in Magistrum ingratus, in Patrem impius, quid? in Deum sacrilegus: non videt, clausi ei oculi. Discesserat jam à Domino, à facie ejus profugus, desertor turpis: non videt, clausi ei oculi. Pactus erat cum Judæis de Christo, vendito eis illo, triginta argenteis, vili pretio: non videt, clausi ei oculi. Adduxerat, velut antesignanus, globum armatorum militum, ad hortum, ut caperent JESUM: osculo, velut dato signo, illum prodiderat hostibus, à quibus occidendus; non videt, clausi ei oculi; cæcus adhuc est, & dux cœcorum, necdum ei patet sceleris sui

ſui malitia; ſed jam certior factus damnationis Domini, quâ reus jam mortis declaratus, *Tunc* videre cœpit: *Tunc* oculi, qui prius clauſi, aperti ſunt, *Tunc*, inquam, malitiam & gravitatem facti ſui agnovit, *Tunc* & pœnitentiâ iſtius (utinam verâ!) duci cœpit. *Talis* namque *diabolus eſt*, inquit hîc S. Chryſoſtomus, *ut non permittat hominem, niſi vigilet, ante ultimum effectum, magnitudinem peccati prævidere, ne pœnitentiâ ductus, à peccato reſiliat: poſtquam autem peccatum omnibus numeris eſt expletum,* tunc *videre permittit, ut mœrore afficiat, & in deſperationem præcipitet. Tam multis enim admonitionibus Chriſti nihil flexus eſt Judas: dum verò in ultimum jam effectum rei venit,* tunc *pœnitentiâ* ducitur: *neque* tunc (quod vitium illius fuit) *utiliter, & uti oportebat.*

Nunc ad te, O peccator, me converto: *nunc*, cùm mundus tibi blanditur, cùm caro lenocinatur, cùm dæmon inſtigat, dum voluptas invitat, libido provocat, honor titillat, gloria oblectat: *nunc*, cùm ætas floret, valetudo favet, ſanguis juvenilis per venas ebullit, tegitur tibi, oppoſito velut ſipario, & appenſo velo, peccati fœditas, non apparet malitia & gravitas, nihil occurrit, quod terreat oculos, nihil, quod aures offendat, percipitur, nihil, quod corpori incommodet, proponitur, omnia placita ſunt, amœna, jucunda. At vero commiſſo jam peccato, & omnibus numeris expleto, *Tunc*, velut ſigno dato, effractis quaſi inferorum repagulis, ruunt cum ardentibus facibus infernales furiæ. O quàm mul-

tæ *Tunc* undique, & quàm triſtes rerum imagines animo obviàm veniunt! Qui conſcientiæ clamores, qui latratus? gliſcit intimè, omneſque penitùs animi receſſus pervadit inquietus horror, pavet ad omnia malè ſibi conſcium pectus. *Tunc*, cùm adſtat mors, parcens nemini, ablatura jam animam, ſiſtendam mox Chriſto judici, juſtoque judicandam judicio, *Tunc* angitur peccator & metuit, *Tunc* totis præ metu artubus contremiſcit, ne, judicio utique irrevocabili, reus declaretur mortis æternæ; atque adeò ne eâdem fors horâ, eodem fortè momento, eundum ſibi ſit in ignem æternum.

O quàm præſtet hæc, dum tempus eſt, præcogitare! Qui ſeriò præcogitat, facilè cavet. Non id fecit Judas, non cavit præcogitans; atque exinde exitium & damnationem æternam infelix incurrit.

II. Conſideratio.

POenitentia Judæ, quâ duci cœpit, haud vera, licèt pretium venditionis ſui Domini, eum ad emptores referre adegit. Ita S. Matthæus cap. 27. *Pœnitentiâ ductus* (Judas) *retulit triginta argenteos.* Diſplicebat tunc quidem Judæ factum ſuum, quòd nempe diſceſſerat à Domino ſuo, adeò ſibi addicto benefactore; quòd eum, leviſſimo & vix ullo pretio, vendiderat, qui omne pretium ſuperat, tradideratque proditorio oſculo iis, à quibus impiè ac ſacrilegè violandus, infamique erat morte occidendus. Diſplicebat tunc, quòd auctor futurus cauſaque necis illius, à quo

à quo tot priùs ac tantis cumulatus beneficiis, auctor causaque necis filii Dei, venditione & traditione suâ proditoriâ: sed illa displicentia non erat pœnitentia vera ac genuina; erat remorsus aliquis, seu occlamatio conscientiæ, eum accusantis & arguentis, qualis ad veram ac genuinam pœnitentiam non sufficit: sensus animi, dolorque cordis, pœnitentiæ, ut vera sit, adesse debet. Damnati, qui igne torquentur gehennæ, displicentiam quidem aliquam habent de peccatis suis, æternúmque habituri sunt; sed non ideò veram habent pœnitentiam, peccati remissivam; quam si haberent, damnationem solverent, ad cælum evasuri. O quanta hæc eis foret felicitas! sed manet eos infelicitas, mansura æternùm.

Verum est, Judas, dum pœnitentiâ ducitur, dicit, *peccavi. Peccavi*, inquit, *tradens sanguinem justum.* Vox peccatoris, *peccavi*, præclara est, sed non perinde in omnibus efficax Rex David 2. Reg. 12., abusus Bethsabee, uxore Uriæ, atque correptus desuper à Nathan Propheta, agnoscens peccatum suum, dixit; *peccavi.* Saul Rex, Davidis in regno antecessor, agnito commisso à se inobedientiæ delicto, pariter dixit, 1. Reg. 15., *peccavi.* David veniam mox obtinuit peccati sui, dicente ei Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; quam tamen non obtinuit Saul. In Davide, voculæ huic, *peccavi*, conjunctus fuit sensus animi, & dolor cordis. *Cor contritum*, ait Ps. 50. *& humiliatum Deus non despicies*: in Saule verò voculæ, *peccavi*, sensus talis ac dolor

dolor conjunctus non fuit. Dolor Saulis non erat nisi humanus, timens, ne ob peccatum à se commissum, vilis haberetur à populo, ac à regno fors excideret. Patet ex hoc, quòd Samueli se super peccato suo corripienti reponat: *Sed nunc honora me coram Senioribus populi mei, & coram Israël.* Dolor autem humanus sufficiens non est, ad obtinendam peccati veniam. Ut efficax sit vocula *peccavi*, à peccatore prolata, dolor internus, ex motivo procedens supernaturali, atque hoc humanum transcendens, adsit, necesse est. Manifestum jam ex hoc fit, cur Judas pœnitentiâ ductus, veniam non obtinuit: dolor ejus non nisi humanus fuit. Veræ pœnitentiæ adest & spes veniæ: defuit verò illa pœnitentiæ Judæ; quid? Adfuit ei desperatio, quæ illum infelicem (ùt mox videbimus) in arborem egit, vitamque eripuit.

Tu, peccator, vis expediri à peccato tuo? dole de illo, dolore cordis. Dic, *peccavi*, cum Davide, non cum Saule, id est, divino, non humano dolore: non cum Juda, cujus dolor, non nisi humanus fuit; *peccavi* dic, inquam, cum Davide, dolore cordis, & *Dominus quoque* (uti cum Davide fecit) *transferet peccatum tuum.*

III. Consideratio.

JUdas, mercator sacrilegus, impiis ac sacrilegis emptoribus suis, Principibus Sacerdotum & Senioribus populi, pretium redemptionis, triginta argenteos refert, dicens illis: *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Duo facit hoc


illle

ille dicto suo, & Domini à se venditi proditique innocentiam contestatur, & Principes Sacerdotum impii ac iniqui contractûs arguit. S. Chrysostomus hìc dicit: *Proditor de se ipso dat testimonium, & eorum, qui condemnaverunt, oppilat ora.* Habebant emptores sacrilegi prætextum quendam impietatis suæ, in emptione commissæ, quia Christus sibi esset venditus, à discipulo suo intimo, qui videri poterat, ob occulta forsitan Magistri sui facinora, ab eo defecisse. At nunc omnis prætextus sublatus est, quando ipse coram illis confitetur, sanguinem justum se iis vendidisse, seseque in eo peccasse. *Peccavi*, inquit, *tradens sanguinem justum.* Est illa de Christo confessio, publica de innocentia ejus ac puritate vitæ contestatio. Quid innocentius agno immaculato? quid purius illo? sed talis agnus Christus JESUS est, à Juda Judæis & venditus, & traditus.

Non possum, quin Judæ, de innocentia Christi contestanti, alios insuper innocentiæ illius testes adjiciam. En Caiphas ipse Sacerdos summus, capitalis licèt, juratúsque Christi adversarius, sic dicit de illo Joan. 11. *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Morte sublatum vult Dominum, non quòd mortem commeruerit, sed ne populus ei universus adhæreat. Illustre sane de innocentia ejus & vitæ puritate testimonium. Pilatus, qui Dominum addixit morti, exclamat ad populum, lavans manus suas coram eo, Matth. 27. *Innocens ego sum à sanguine Justi hujus.* Uxor Pilati ibidem:

dem: *Nihil tibi, & Justo illi.* Latro in cruce socius Luc. 23. *Nos digna factis recipimus: hic autem, quid mali gessit?* Centurio Matth. 27. *Verè filius Dei erat iste.* At, quod velut caput est, Judas, venditor licèt, proditor, traditor, & facti exteriùs pœnitens, & culpam agnoscens, sanguinem ejus justum esse, id est, ipsum esse innocentem, in publico solemníque Judæorum consessu confitetur, dicens in eo: *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Juda, cùm noveris, JESUM esse innocentem, omnísque omninò purum criminis, quomodò in animum inducere tibi potuisti, ut eum, & quidem turpi adeò & perfidâ proditione traderes, & inimicis eum traderes, & ad necem traderes? Sed novi ego: vicit te auri cupiditas, ut meritò exclamem: *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* Auri? non: vicit te cupiditas lucri perexigui, ac nullius penè. Cupiditas triginta argenteorum, quibus Dominum vendidisti, in pessimum te, horrendumque ac execrabile scelus impulit.

Cave, O Homo, tu præcipuè, qui avarus es, cupiditatem illam sordidam: cave, ne & te impellat ea, in scelus, impium forte & execrabile. Cupiditas illa malorum omnium radix est. Peccare ob leve lucrum aut breve delicium, vendere est vili pretio & Christum Judæis, & animam dæmoni.



MEDI-

MEDITATIO XXII.

Pontificum ad Judam responsum.

JUdas, qui priùs accesserat Principes Sacerdotum, & Seniores populi, ut cum eis pacisceretur de tradendo Christo, pactúsque est; jam iterum accedit illos, ut pactum rescindant. Facis id, O Juda, seriùs, quia qui à te venditus erat, jam & traditus est, atque etiam condemnatus. Pactum cùm non rescindant, pretium illis reddit venditionis, quod acceperat, triginta argenteos. Abigunt hi à se Judam, & pretium, quod solverant, recipere omninò nolunt: quare ille, projectis ante pedes eorum argenteis, recedit, nescio quibus, & quàm desperabundis cogitationibus agitatus.

I. Consideratio.

PRincipes Sacerdotum, Judæ, pactum rescissum volenti, ac, ùt videbatur, pœnitenti facti sui, respondent: *Quid ad nos? tu videris.* q. d. *Tu, quod intrivisti, exede.* Si vendideris nobis virum justum, justum sanguinem, culpamque in hoc agnoscis, tu culpæ, quam agnoscis, tuæ pœnam sustine: culpam nos nullam in nobis agnoscimus, sed JESUM, sicut Pseudo-Christum ac Pseudo-Prophetam, ita &, ùt mortis reum, existimamus; ideóque & ad mortem persequimur ac perurgemus. Nolebant illi argenteos, à Juda oblatos, recipere, ne per hoc contractus cum Juda

Juda initus rescindi videretur, eóque rescisso, JESUM dimittere cogerentur. Causa hujus nolitionis, erat omnimoda eorum obstinatio. Respuunt vel audire Judam, testem de innocentia Christi, omni exceptione majorem: multò minùs testimonium illius examinare volunt, ne fortè quis eis scrupulus injiciatur de dimittendo Christo, quem oderant; adeóque occidere, jure vel injuriâ, fixum habebant. Dicunt: *Quid ad nos?* q. d. nihil nostrâ interest, sive justè sive injustè pereat ille, dummodo pereat. *Tu videris*, si quid in eo mali, in te redundet illud. Disce malorum superiorum mores, quibus nihil curæ est, quomodo subditi vivant, dum ipsi commodis suis & desideriis faciant satis. *Quid ad nos? tu videris.* Responsio perinde audax & cœca. Emisse se justum sanguinem audiunt, & tamen se, extra reatum esse, credunt, in uno solóque venditore scelus totum constituunt, non intelligentes, quod, si peccârit iste, qui vendidit, & tradidit sanguinem justum, non minùs peccârint, qui emerunt, & pretium offerendo, venditorem ad vendendum & tradendum induxerunt. Attamen Pontifices suâ hâc responsione: *Quid ad nos? tu videris*, satis se condemnant impietatis & iniquitatis, cùm sic manifestum reddant, parùm sibi curæ esse, justè aut injustè, sanguis justus effundatur.

Judas, resciens quæri Magistrum suum, ab impiis, ac iniquis illis hominibus, gratificari illis voluit: & gratificatus est, Magistrum suum eis vendendo & tradendo. Pœnitens facti sui, ùt vide-

videbatur, spem aliquam in illis collocat, præsidium aliquod apud illos quærit, aut vel in mœrore suo solatium. Surgit ergò, & ad illos vadit. At frustra: nullum inde auxilium, solatium nullum refert, hoc uno abire jussus: *Tu videris.* q. d. Abi hinc, & noli nobis esse importunus: ad quod ille, aucto mœrore suo, abivit. O quot homines sunt, qui mundo placere student, & carnis desideria perficiunt! O quàm vanum, quàm nullum à mundo pretium recipiunt! ventulus fortè unus vanæ gloriæ totum illud est, aut vel voluptatula, quæ magìs sæpe cruciat, quàm delectat. Spem, si in mundo ponant, incassum id faciunt, præsidii nihil, nihil solatii, ubi jam anguntur & mœrent, obtinent. Prov. 10. *Spes autem impiorum peribit*: abire absque solatio jubebuntur. Ita ad quemlibet eorum mundus, sicut Principes Sacerdotum ad Judam: *Tu videris.*

Hoc tu, quisquis mundo deservis, mundanisque indulges desideriis, præcogita: Deo, sapere si vis, deservi, & præsidium ab eo in necessitate tua, ac solatium in tristitia, quod meritò exspectas, certò daturus est.

II. Consideratio.

JUdas, cum jam inops foret consilii, nesciretque quò verteret se: nollentque Principes Sacerdotum, pretium impiæ ac sacrilegæ venditionis, triginta argenteos, recipere in manus suas, projecit ille eos ad eorum pedes. *Et projectis argenteis*, ait S. Matthæus cap. 27. *in templo, recessit.* Retulit Judas argenteos ad domum Caiphæ,

vel certè Pilati, ad Principes, Christum jam apud Pilatum accusantes: cùmque illi nollent eos admittere, abiit in templum, in eóque projecit eos, ut à Sacerdotibus colligerentur, & Principibus Sacerdotum redderentur. Fortè etiam aliqui ex Principibus, jam à Caipha, & Pilato, in templum abierant, sacra & sacrificia Paschalia celebraturi; ad eorum ergò pedes in templo argenteos projecit, ut, quantùm in se erat, contractum rescinderet, proditionem suam damnaret, Jesuque, innocentiæ famam vitámque, si posset, restitueret. Si argenteos projecisset Judas in domo Caiphæ, aut Pilati, statim eos Principum ministri & satellites collegisset, sibíque, sine ullo Judæ fructu, vendicassent. In templo ergò eos projicit, quasi sacrum sacerrimi Jesu pretium, in pios sacrosque usus, si Principes illud admittere nollent, expendendum.

Perge, Juda, non procul, ùt videtur, abes à regno Dei: ad pœnitentiam ire incipis: doles, confiteris scelus tuum, retractas pactum, pretium refundis: non vereris emptores tuos, emptionis iniquæ tacitè admonere, & velut injustitiæ accusare. Quid restat? unum hoc, ut conteras cor tuum, & humilies: hoc si feceris unum (neque tibi ut facias, deest gratia) non est quod desperes; est quod speres, bonóque sis animo: *Cor* enim Ps. 50. *contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Sic fecit Petrus, collega tuus. Graviter & ille peccavit, eodem hoc nunc tempore: non quidem, ùt tu, Magistrum suum & vendidit & prodidit; negavit tamen eum, contra verbum suum:

suum: *non te negabo*: & iterum iterumque ac tertiò negavit, negatione trinâ, jurejurando, & execratione roboratâ. Negavit, inquam, ille Magistrum suum ac Dominum, & benefactorem maximum, & pernegavit: *nescio*, ait, *quid dicis tu. Non sum*, discipulus hominis illius: *non novi illum*. Quid? Matth. 26. 70. *Cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem.* O felicem Petrum! cor suum, gratiâ adjutus Dei, contrivit & humiliavit; doluit, inquam, corde, doloris illius testes, lacrymæ, quas fudit fletu amaro. Ita & tu, O Juda! actus hic unus tibi deest, ut doleas de corde tuo. Lacrymæ si desint oculis, dolor ne desit cordi. Hic si adsit, non minùs tu, ac Petrus, rediturus es, à peccato ad gratiam, à morte ad vitam.

Tu quoque peccator, quisquis sis, te in Juda arbitrare admonitum ad agendum pœnitentiam. Non sit tibi satis dolor oris; fuit ille & in Juda, sed non satis fuit: non sit tibi satis exterior confessio; in Juda quoque illa fuit, sed satis non fuit. Peccatum tuum & ore confitere, & defle plangéque corde, certior sis, auferetur à te.

III. Consideratio.

O Ter infelicem hominem Judam: desperabundum, suspensum, laqueo enectum! Nempè videns Judas delusum se, conscientiâ eum intùs torquente, & agitante, abiit ad laqueum, quo sese infeliciter interemit, facturus, ùt sibi imaginabatur, finem, sed reverà initium faciens miseriæ suæ. Dicit de illo S. Matthæus

cap. 27. *Et abiens, laqueo se suspendit.* Peccato venditionis & proditionis, gravissimo utique, addidit peccatum desperationis, non minùs grave, ac ipsi nocentissimum. Hoc peccatum egit eum in ima tartara. Si pœnitens verè, à Christo, à se licèt prodito, ac exinde damnato, veniam petiisset, utique & eam ab illo obtinuisset. Sed sceleris sui immanitas tantum animo ejus mœrorem, agente diabolo, injecit, ut Caini instar, fratris sui interfectoris, de venia desperaret; ideò statim & ante necem Domini, illo ipso die, se ipsum laqueo interemit, infelici suspensus in arbore, non ferens diutiùs torquentem & agitantem conscientiam. O infelix, infaustaque desperatio! scelestum tu & infelicem Judam, scelestiorem, & infeliciorem reddidisti.

Audi S. Leonem. Ita ait Serm. 3. de Passion. *Unde scelestior omnibus, Juda, & infelicior exstitisti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum.* Et post pauca: *Cur, Juda, de ejus bonitate diffidis, qui te, à corporis & sanguinis sui communione non repulit? Qui tibi ad comprehendendum se, cum turbis & armatorum cohorte venienti, pacis osculum non negavit? sed homo inconvertibilis, spiritus vadens & non revertens, cordis tui secutus es rabiem, & stante diabolo à dexteris tuis, iniquitatem, quam in Sanctorum omnium armaveras caput, in tuum verticem retorsisti, ut quia facinus tuum, omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet impietas tua judicem, te pateretur tua pœna carnificem.* Bedam, in cap. 1. Act. *Dignam sibi pœnam invenit Judas,*

Judas, ut guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret, & qui hominum Angelorumque Dominum morti tradiderat, cæli terræque perosus, aëris in medio periret, & viscera, quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent. S. Bernardum Serm. 8. in Ps. 90. *Judas in aëre crepuit medius, aëriarum collega potestatum, utpote quem veri Dei & hominis, qui de cœlo venisset operaturus salutem in medio terræ, hujus proditorem, nec cœlum reciperet, nec terra sustineret.*

Siste gradum, ô infelix Juda! cur ad laqueum, ad funem, ad malam arborem curris? cur non magìs properas ad funes, quibus Dominus constringitur? cur non ad columnam, cui alligatur? cur non ad felicem crucis arborem, in qua suspendetur? Virtute funium suorum, funium, quibus se passus est pro te constringi, solvet te à peccatis tuis. Columna sacro ejus rubet cruore, pro te effuso, emundabit te, etiam à peccato proditionis tuæ: atque ex arbore crucis remissionis fructum carpere abundè poteris. Habes ad ea adhuc refugium, certum atque securum. Patet tibi adhuc porta gratiæ, & janua misericordiæ, non minùs ac Petro collegæ tuo, non minùs quàm latroni, ejus in cruce comiti. Cur de illius diffidis bonitate, qui te, hoc eodem vespere, à corporis sui & sanguinis non repulit communione? Qui tibi venienti, hâc ipsâ penè horâ, osculum suæ non negavit amicitiæ? Frustra moneo: induratum est cor ejus, non emollitur. Frustra obtestor, per Christi etiam crucem & sanguinem. Frustra omnia. Proximus Judas, sed ex

ſua eheu pravitate ac malitia, interitui ſuo, & tantùm non perditus. Quid? Abivit, ô triſtem ac infelicem abitum! Abivit, ſed de luce ad tenebras, de vita ad mortem, de Deo ad diabolum. Quid pluribus? Abiit ad laqueum, eóque jam collo illius inſerto, ex arbore ſe ſuſpendit, ac interiit. O te ter infelicem hominem! Abiiſti, obiiſti, periiſti.

Te alloquor, homo peccator, in horrendum Judæ abitum, interitũ, inquam, oculos fige mentis tuæ: horrendum Judæ exemplum contemplare. Judas ſemel Chriſtum vendidit, & æternùm periit. Tu pluries fortè Chriſtum vendidiſti, & quoties graviùs peccaſti, non deſperes, time tamen: ſed quaſi ſecurus es, non times, ſed lætaris. Time, doléque de peccato ex corde tuo, ſicque ſecurus eſto; timenti dolentíque ſpes certa datur veniæ ac ſalutis.

MEDITATIO XXIII.

Chriſtus iterum damnatur in domo Caiphæ.

DUo, à Principibus Sacerdotum, Scribíſque ac Senioribus populi, habita ſunt concilia: bis convenerunt Principes contra JESUM. Patet Luc. 22. nocte ſemel, ac ſemel manè. Nempe, ut ſic plures in JESU damnationem ac necem conſentirent (nocte enim aliqui putantur abfuiſſe) & ut, quod nocte judicatum fuerat, de die: hoc eſt, quod judicatum fuerat in tenebris,

bris, in luce confirmaretur. Utrumque hoc concilium, concilium erat malignantium contra Dominum, JESUM ad mortem, mortemque crucis malignè quærentium. Queritur meritò ille Psalm. 21. *Quoniam circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me.*

I. Consideratio.

SAnct. Lucas, præ aliis hìc nonnihil fusior, ita ait cap. 22. *Et ùt factus est dies, convenerunt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt JESUM in concilium suum, dicentes: si tu es Christus, dic nobis.* Dicit: *Et ùt factus est dies. Cerne*, ait S. Hieronymus, *sollicitudinem Sacerdotum in malum.* Nempe Psal. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Urgebat eos ad hoc & instigatio festina diaboli, & grave eorum in Christum odium, quo eum quantocyùs volebant exstinctum. *Convenerunt*, ait, *Seniores plebis, & Principes Sacerdotum.* Fuit hoc manè feriæ sextæ, sive diei Veneris, quâ paucis post horis, ab eis cruci affixus est Christus. Itaque Caiphas, qui noctu cum paucis Christum examinaverat, & damnaverat, manè convocavit magnum plenúmque concilium, quod *Senedrin* vocant, & ex 72. viris, sive Senatoribus constabat, ut Christus à concilio illo toto, omnibusque Senatoribus damnaretur, ac à pleno tot Senatorum, sæcularium & ecclesiasticorum concilio damnatus Pilato traderetur, ne Pilatus eum alioquin (quod verebantur) utpote à toto concilio præ-damnatum, absolvere posset.

Pergit S. Lucas, dicens: *Duxerunt JESUM in concilium suum.* Hìc jam canes multi circumdant JESUM, & concilium malignantium obsidet eum. Hìc jam mansuetissimus Agnus stat ante rapacissimos lupos, ac sævissimos leones, paucis post horis ab eis discerpendus & devorandus. Ita eum adoriuntur: *Si tu es Christus, dic nobis.* Quid vos, ô Principes Sacerdotũ, & Seniores plebis, non judices, sed latrones, interrogatis? interrogâstis hoc eum in concilio vestro nocturno: & respondit vobis (ùt testatur S. Marc. ℣. 62.) verbis clarissimis, hisce nempe duobus: *Ego sum.* Quid hoc iterum audire vultis? Interrogatis subdolè & insidiosè, non sanè ut veritatem percipiatis ex ore, sed ut ex responso ejus, calumniam ei, & necem struatis: cur ergò vobis respondeat? Sacrum Ecclesiastici monitum est cap. 32. *Ubi auditus non est, non effundas sermonem.* Equidem rursum interrogant illi, Christus an sit? & an persistat in assertione illa, quod sit filius Dei? Num ergò, ô latrones, causa illa non satis examinata in concilio, quod hac eâdem nocte habuistis? Eadem illa interrogatio in concilio illo facta est. Quid ergò dixistis eum jam, & solemni sententiâ reum mortis pronunciastis? condemnatis capita vestra, & vos reos facitis præproperæ ac præcipitatæ, quid? iniquæ ac injustæ sententiæ. Sed in eam vos adegit illud ipsum, quo in Dominum ardetis, immane odium, & quo eum, quidquid sit, exstinctum vultis. Et hoc ipsum odium modò adigit vos, ut quod in nocte, velut in tenebris, judicatum est,

de

de die, velut in luce, confirmetis. Pilatus Judex, cui tradendus JESUS, excipere posset contra sententiam noctu latam, cùm nocturnum tempus aptum non sit judiciis, latamque in eo sententiam reddat invalidam. Vafrè itaque ac insidiosè, manè illi, die jam elucescente, ad judicium revertuntur, aucto ùt odio, ita & numero, ut innocentissimum JESUM, cui jam rursus illi: *Si tu es Christus, dic nobis*, sententiâ novâ, eâque non jam exceptioni obnoxiâ, reum mortis declarent.

Quid, ô Christiane; innocens tu es, vivisque innoxiè, omnibus benè, nemini malè facis, sunt tamen qui insurgunt in te, non te ferunt, & contra te, nescio quæ meditentur; necem si non personæ, famæ tuæ illatam cupiunt. Miraris id? fersne molestè? affligeris inde? JESUM aspice, totum, non innoxium dumtaxat, sed & beneficum, ipsis etiam inimicis suis; non tamen ferunt illum, sed omninò enectum volunt. Gaude, & gratias age, si agatur tecum, sicut cum Domino tuo actum est: nec desistas benefacere eis, qui oderunt te: odium magìs amore repende.

II. Consideratio.

QUid verò ad hoc: *Si tu es Christus, dic nobis.* Respondit Dominus? Ait: *Si vobis dixero, non credetis mihi: Si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* q. d. Si dixero vobis, me Christum esse, fidem mihi non habebitis. Enimverò me eum esse, dixi jam statim palàm in priore concilio; quòd id denuò interrogatis,

gatis, argumento est, vos fidem mihi non habere, frustra ergò si iterum dicam: & si ego interrogem vos, agamque vobiscum, & convincam vos, evincamque me Christum esse, neque responsum mihi dabitis, neque liberum me facietis. Non ergò hoc agitis, quod in legitimo judicio agi debet, ut cognitâ veritate condemnetis nocentem, innocentem verò dimittatis; sed hoc agitis solùm, ut necem, quam mihi inferre, æquè iniquè, decrevistis, prætextu aliquo justitiæ obveletis. Attamen Dominus, ne videatur mortis metu veritatem rejicere, confitetur, se esse Christum, magnâ id cum gravitate & modestiâ, adjungens priori dicto suo: *Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei*: ad quod cùm illi: *Tu ergò es filius Dei?* regerit: *vos dicitis, quia ego sum.* Hoc est: veritatem vos asseritis, quia ita est. Hâc parique phrasi solitus est Dominus veritatem interrogatam graviter & modestè confiteri: eâque verò illi confessione contenti, latam in priore concilio sententiam, quâ Dominus reus mortis declaratus erat, confirmârunt.

Dominus JESUS, interrogatus à summo Pontifice Caipha, supremi hujus & sacerrimi Concilii præside, cæterisque illius co-judicibus: *Si tu es Christus?* respondere potuisset: quid vos interrogatis me? interrogate infantes vestros: illi, sexta jam dies est, altâ de me voce clamaverunt Marc. 11. *Hosanna in excelsis, benedictus, qui venit in nomine Domini.* Interrogate cæcos vestros, surdos, claudos, imò & mutos ac mortuos, qui à me magno numero curati sunt, vobis illi

illi pro me respondebunt. Interrogate terram, quam aperui, dum Lazarum resuscitavi: aquam interrogate, super quam ambulavi: ventos, quibus imperavi: mari, quod sedavi: stellam interrogate, quæ, nascente me, apparuit; hæc omnia, voce si possent humanâ, resonabunt de me, *ipse Christus est, filius Dei vivi.* At noluit eos Dominus ad alios remittere, ipse eis, velut ex debita superioribus reverentiâ, ac præcipuè cùm in ipso supremo sacroque staret concilio, respondere voluit, ac respondit. Atque id quidem judices illi, leones, inquam, & lupi, unicè desiderabant; ut nempe haberent ex ore ejus, juxta quod, vel in specie justitiæ, judicarent illum, reumque mortis jam alterâ vice agerent.

Hoc tibi, Christiane, solatio sit, si, innocens cùm sis, dicaris reus: reus mortis dictus est Dominus tuus, qui erat innocentissimus.

III. Consideratio.

DIscursum suum Dominus ad Judices in concilio congregatos, teste S. Lucâ, ita prosequitur: *Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Dicit, *ex hoc*, id est, *amodò*, sive, extremo mundi die, tunc videbitis me, judicem in nubibus cœli, ùt habet S. Matthæus, sedentem, quem jam stantem videtis ante vos: ego tunc vos stantes videbo ante me: & sententiam tunc vestram, etiam de hoc crimine vestro, quo me reum mortis agitis, & à me exspectabitis, & accipietis. Videbitis tunc me, (qui vobis nunc videor non nisi filius hominis) esse & filium Dei, pro-

proprium quidem & naturalem. Tunc,inquam, (quando in die judicii me considere videbitis à dextris virtutis Dei, patris mei omnipotentis) me videbitis æqualis cum Deo, patre meo, dignitatis, majestatis, & gloriæ. Ego nempe sum ille, de quo David præcinit Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Porrò Christus non tantùm quà Deus, sed etiam quà homo â dextris meis sedet.

Proponit Dominus Caiphæ Pontifici, cæterisque co-judicibus futurum suum àmodò judicium, in quo & ipse judicaturus est, & illi judicandi. Terrere illos vult recordatione istius. Et profectò saxeus est, & adamantinus, qui judicio isto non terretur. Nihil terribilius est, & potentius ad permovendos hominum animos, eosque à patrandis sceleribus cohibendos, quàm seria istius recordatio. In judicio illo jacitur cuique alea æternitatis, vel beatissimæ, vel miserrimæ: Judicium illud, ultimum est, & decretorium; est horizon æternitatis, qui probos ab improbis disterminabit, & longissimè separabit; probos cumulabit omni felicitate, improbos omni calamitate. Non terret vos, ô Caipha! non vos horrore percellit judicium illud, ô Anna, cæteríque hujus antistites Concilii? Notum est illud Hieronymi, viri sanctissimi: *Quoties diem judicii cogito, toties corde & corpore contremisco.* Non terret id, inquam, vos? non tremefacit? à scelere vestro, quo innocentem morti addicitis, non compescit? Actum sic, vereor, de vobis est, conclamatum est, salus vestra desperata est. Et certè

non

non terrentur illi, pergunt in scelere suo perversissimo, quo innocentem JESUM, (ô scelus, quod omne scelus superat!) mortis reum pronuntiant.

Et tu, ô homo audax ac dissolute, qui tibi indulges liberiùs, tuæque laxas habenas libidini, nec compungeris, nec coërceris: qui audaciùs effundis te in scelus quodlibet; qui, quod libitum est, licitum habes, in judicium amodò futurum, mentem dirige: judicium illud timore configat carnes tuas, terreat te, metúque illius à malo abstine te. Mens durior etiam eo flectetur; & tu, si timeas ab illo, & à vitiis certiùs coërcebre, & majorem virtuti operam daturus es.

MEDITATIO XXIV.

JESUS illusionibus, ignominiis, aliisque injuriis afficitur.

FIguram habemus Judic. 16. in Samsone. Illuditur hîc à Philistæis, ignominiis injuriisque afficitur. Abradunt ei crines, oculos excœcant, in molam eum alligant, derident eum & divexant. Samson typus est JESU, illusionibus à Judæis, ignominiis, aliisque injuriis affecti. Traditus erat Dominus militibus, ministrisque Pontificum: illuditur ab illis, conspuitur, velatur, palmis & colaphis cæditur, omnique alio ignominiarum & injuriarum genere obruitur. Elusio à Philistæis Samsoni injecta, rediit deni-

denique in caput eorum, ita & elusio à Judæis Christo facta, irrisio, divexatio, in caput eorum recidet, dicente Domino Jerem. 24. *Dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus terræ regnis, in opprobrium & in parabolam, & in maledictionem, in universis locis, ad quæ dejeci eos.*

I. Consideratio.


DOmine JESU, traditum te video militibus, ac ministris Pontificum. O quàm te tractant illi petulanter, & indignè: quàm crudeliter & barbarè! Ita S. Matthæus cap. 27. *Tunc exspuerunt in faciem ejus.* Fuit hæc fœda sordidaque ac crudelis barbaries petulantium nebulonum, Christo, qui jam mortis reus declaratus erat, insultantium. Fuit & hæc fœda scurrarum, putidorumque hominum atrox contumelia. Exspuunt in faciem JESU, id est, in faciem adeò Venerabilem ac adorandam: in faciem, in quam & Angeli prospicere desiderant. Intorquent sordidi putidique homines in illam, sordida putidaque phlegmata ex hesternâ collecta crapulâ: ea in faciem JESU, tanquam in angulum fœtidissimum, ejiciunt: sordes suas, ex imo extractas pectore, in os ejus evomunt. Num barbaries magis fœda, fœdiorque contumelia excogitari potuisset? in faciem illam, in qua ipsorum Cherubinorum & Seraphinorum deliciæ sunt, exspuunt, quid? sputis illam suis, fœtidis putidisque operiunt. Ita ipse, velut queribundus Dominus If. 50. *Faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Et Luc. 18.

Filius

Filius hominis illudetur, flagellabitur, & conspuetur. Et olim Job vir sanctissimus Jobi 30. *Faciem meam conspuere non verentur.* Exclamat Euthymius: *Horrete cœlum & terra, universaque creatura, in quam faciem, quam intulerunt injuriam!*

Profectò, quæ conspuimus, ea velut vilissima & abjectissima, despicimus. Atque in V. T. conspuebantur, qui despectu contemptuque maximo digni habebantur, maximoque digni dedecore, quales tunc censebantur inter alios, qui uxorem defuncti fratris accipere nolebant, quia id in lege expressiùs præscriptum erat, ac ideò hujusmodi conspui debebant. Deut. 25. *Accedet mulier ad eum, & tollat calceamentum de pede ejus, spuatque in faciem illius.* Conspuitur hìc nunc JESUS. Patet & Num. 12. maximam fuisse ignomiam, si pater spuisset in faciem filii. Vers. 14. *Si pater ejus spuisset in faciem ejus, nonne debuisset, saltem septem dierum rubore suffundi?* Quid ergò erit spuere in faciem Dei? Atque hoc nunc faciunt insolentissimi milites, & Pontificum ministri; sordida putidaque pectoris phlegmata in faciem ejus illi ejiciunt.

Tu, O impure, conspuis in faciem JESU, quando sordidis cogitationibus, animam tuam conspurcas. An non horres conspuere JESUM? imò: horre itaque sordidis cogitationibus animam tuam conspurcare.



II.Con-

II. Consideratio.

PErgunt petulantissimi & insolentissimi nebulones in suis petulantiis & insolentiis, & jam nunc faciem JESU fulgentissimam, sed consputam à se, detrito insuper sordidoque peplo obvelant. S. Marcus, cùm dixisset: *Et cœperunt quidam conspuere eum*, quasi hoc minimè satis foret, addit: & *velare faciem ejus*: hoc & dederunt illi petulantiæ & insolentiæ suæ. Facies hæc, quando dominus in monte Thabor erat, Matth. 17. *Resplenduit, sicut sol.* At nunc facies illa solis instar resplendens, turpi velo obtegitur. Hæc facies, in qua deliciantur spiritus cœlestes, jam absconditur. O quanto desiderio aspicere amant, & quanto solatio aspiciunt faciem illam omnes tribulati, infirmi, obsessi! Quin & Gentiles ipsi aspicere illam desiderabant, dicentes Joan. 12. *Domine, volumus JESUM videre.* O quot votis flagitabant videre eum se posse SS. Patres! Ita David Ps. 79. *Domine, ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus.* Ps. 43. *Quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopiæ nostræ.* Moyses Ex. 33. *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Erat facies JESU amabilis & speciosa, quid ni omnes, votis omnibus, videre eam desiderent?

At nunc quid est, quod scurræ hi, milites ac ministri, eam velent, veloque abscondant? Audi S. Chrysostomum Hom. 86. *Tam gratiosa & benigna erat facies Domini, ut hostes, quamvis crudeles essent & eum odio prosequerentur, non possint, in*

eam

eam cernentes, in eam sævire, sed emolliti commiserebantur. Ideo consilium eorum fuit, faciem ejus velare, quò atrocius illum cæderent. Velant ergò illi faciem Domini, ut liberiùs petulantiusque in eam sævirent, aut vel insanirent. Et illi quidem, facie JESU jam velatâ, quasi jam nullus esset, qui eos videret, nihil non faciebant: & certe faciebant totum, quod lubebat, ac quod petulantia eorum, furor, rabiesque dictabat; unde audet S. Chrysostomus dicere, nocte illâ, patefacta esse inferorum claustra, ipsumque Luciferum cum cæteris dæmonibus, fractis vinculis ac repagulis, eò convolasse, instigasseque sordidam hanc hominum fœcem, ut rabiem suam furoremque in eum effunderent: Et certè rabiem omnem ac furorem petulantissimè in eum effuderunt.

O Vos fœx petulantissima, impudentissimi satellites, irruitis in JESUM liberiùs, quia velata à vobis facies ejus: petulantiæ vestræ impudentiæque libera laxatis fræna, quòd oculi ejus velut clausi sint, nec ea videat, quæ quisque agat, ac quam ignominiam inferat, rati, vos ex velatis oculis, impunè agere. Erratis furibundi nebulones. Facies JESU, quidquid velata sit, non absconditur, non impeditur, quò minùs, quæcunque agatis vos, perspiciat: videt enim in abscondito, pervidetque, ac de singulis vindictam à vobis sumpturus est, aut vel rationem exacturus. O quot in mundo sunt homines horum similes! Persuadent sibi, quasi & Deus nunc velatâ facie sit, eaque non intueatur, quæ ab illis fiunt, ut pravis desideriis suis liberiùs satisfaciant.

II. Conſideratio.

PErgunt petulantiſſimi & inſolentiſſimi nebulones in ſuis petulantiis & inſolentiis, & jam nunc faciem Jesu fulgentiſſimam, ſed conſputam à ſe, detrito inſuper ſordidoque peplo obvelant. S. Marcus, cùm dixiſſet: *Et cœperunt quidam conſpuere eum,* quaſi hoc minimè ſatis foret, addit: & *velare faciem ejus*: hoc & dederunt illi petulantiæ & inſolentiæ ſuæ. Facies hæc, quando dominus in monte Thabor erat, Matth. 17. *Reſplenduit, ſicut ſol.* At nunc facies illa ſolis inſtar reſplendens, turpi velo obtegitur. Hæc facies, in qua deliciantur ſpiritus cœleſtes, jam abſconditur. O quanto deſiderio aſpicere amant, & quanto ſolatio aſpiciunt faciem illam omnes tribulati, infirmi, obſeſſi! Quin & Gentiles ipſi aſpicere illam deſiderabant, dicentes Joan. 12. *Domine, volumus JESUM videre.* O quot votis flagitabant videre eum ſe poſſe SS. Patres! Ita David Pſ. 79. *Domine, oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus.* Pſ. 43. *Quare faciem tuam avertis? obliviſceris inopiæ noſtræ.* Moyſes Ex. 33. *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam.* Erat facies Jesu amabilis & ſpecioſa, quid ni omnes, votis omnibus, videre eam deſiderent?

At nunc quid eſt, quod ſcurræ hi, milites ac miniſtri, eam velent, veloque abſcondant? Audi S. Chryſoſtomum Hom. 86. *Tam gratioſa & benigna erat facies Domini, ut hoſtes, quamvis crudeles eſſent & eum odio proſequerentur, non poſſint, in*

eam

eam cernentes, in eam sævire, sed emolliti commiserebantur. Ideo consilium eorum fuit, faciem ejus velare, quò atrocius illum cæderent. Velant ergò illi faciem Domini, ut liberiùs petulantiusque in eam sævirent, aut vel insanirent. Et illi quidem, facie JESU jam velatâ, quasi jam nullus esset, qui eos videret, nihil non faciebant: & certe faciebant totum, quod lubebat, ac quod petulantia eorum, furor, rabiesque dictabat; unde audet S. Chrysostomus dicere, nocte illâ, patefacta esse inferorum claustra, ipsumque Luciferum cum cæteris dæmonibus, fractis vinculis ac repagulis, eò convolasse, instigasseque sordidam hanc hominum fœcem, ut rabiem suam furoremque in eum effunderent: Et certè rabiem omnem ac furorem petulantissimè in eum effuderunt.

O Vos fœx petulantissima, impudentissimi satellites, irruitis in JESUM liberiùs, quia velata à vobis facies ejus: petulantiæ vestræ impudentiæque libera laxatis fræna, quòd oculi ejus velut clausi sint, nec ea videat, quæ quisque agat, ac quam ignominiam inferat, rati, vos ex velatis oculis, impunè agere. Erratis furibundi nebulones. Facies JESU, quidquid velata sit, non absconditur, non impeditur, quò minùs, quæcunque agatis vos, perspiciat: videt enim in abscondito, pervidetque, ac de singulis vindictam à vobis sumpturus est, aut vel rationem exacturus. O quot in mundo sunt homines horum similes! Persuadent sibi, quasi & Deus nunc velatâ facie sit, eaque non intueatur, quæ ab illis fiunt, ut pravis desideriis suis liberiùs satisfaciant.

ciant. Vox illorum de Deo eſt Job 22. *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Ex hac impia perſuaſione, Deum non intueri, aut attendere quæ hìc fiunt, mala fiunt innumera: *Maledicta* (Oſ. 4.) *mendacia, homicidia, furta, adulteria.* Dan. 13. Senes Suſannæi, eam, ad impuros ſuos amores pellicientes, ita inquiunt: *Ecce, oſtia pomarii clauſa ſunt, nemo nos videt.* Ex impia illa perſuaſione evertuntur judicia, leges pervertuntur, farciuntur crumenæ, pecuniæ emunguntur. Erratis peccatores: Deus abſconditus eſt, ſed & videt in abſcondito: non velatur facies ejus, quin videat, etiam abſcondita cordis. Prov. 15. *In omni loco contemplantur oculi Domini, bonos & malos*, bonos, ut præmiet, malos ut puniat.

Abſit itaque à mente Chriſtiana cogitare, quaſi Deus non intueatur omnia, quæ hìc fiunt, aut vel attendat. Hoc putare, eſt quaſi cum Judæis JESU oculos velare.

III. Conſideratio.

JESUS jam nunc totus totus conſputus eſt, craſſiſque ac virulentis phlegmatibus, à ſpurillis ſatellitibus conſpurcatus: facies ejus peplo, neſcio quâ camini fuligine nigricato, tecta eſt. Haud id ſatis inſolentiſſimis iſtis ſcurris: pergunt in ſuis inſolentiis, & JESUM jam non in facie tantùm, ſed & in toto reliquo corpore, palmis & colaphis cædunt. Ita S. Matthæus: *Et colaphis eum ceciderunt.* Colaphus eſt verber, quod pugno, ſeu manu contractâ, in collum,

caput,

caput , vel dorsum alicui impingitur: palma, quod manu impingitur explicatâ in maxilla; unde palma plus habet ignominiæ, ruboris & verecundiæ; colaphus verò plus afflictionis, tumoris & doloris.

Dominus autem cæditur utrísque & palmis & colaphis. Addit enimverò S. Matthæus: *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt.* Domine, nonne tu ille es, de quo dicitur If. 40. *Qui mensus est pugillo aquas, & cœlos palmâ ponderavit?* imò verò, & hìc nunc pugnis, & palmis, à perditis nebulonibus, ab infimis hominibus cæderis? Dixit olim Sapiens Prov. 30. *Oculum, qui subsannat patrem effodient corvi de torrentibus, & comedent eum filii aquilæ.* Quid porrò dixisset de istis, qui subsannant, qui conspuunt, qui velant, qui pugnis palmísque cædunt Deum?

At, dic mihi, cur ista omnia Dominus pati voluit? Respondeo: quia Redemptor noster est, idcircò luit peccata nostra. Nos Deo fecimus, & facimus, quæ hìc nunc à servis ac ministris Pontificum patitur. Nos conspuimus Christi faciem, cùm Dei imaginem, animam, inquam, nostram, peccatis nostris deformamus. Nos velamus Christi faciem, dum tenebras & latibula quærimus, ut peccemus liberiùs. Nos cædimus JESUM, quoties in eum peccamus: & cùm peccatis peccata addimus, pugnos palmásque in eum congerimus. Præterea, voluit Dominus noster omnia illa pati, quia erat Doctor ac Magister noster. Docuit nos ante, verbis, ferendas esse injurias, opprobria, contumelias: nunc id docere

vult factis, ferens quidquid injuriarum, opprobriorum, calumniarum sibi accidebat, permittensque, ut sævi illi milites pro suo libitu tractent illum, tradens ad libidinem eorum totum corpus suum. Ait Is. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Atque etiam totum, quod passus est, pati voluit, absque ulla impatientiæ specie patientissimè.

Ne mireris, pia anima, si & tu aliquando injuriis, opprobriis, & calumniis afficiaris, ab iis etiam (ùt fit non rarò) quibus benefecisti: non melior es Domino tuo. Quid non feras ista? necdum conspueris, aut cæderis colaphis. Patientem te demonstra ad exemplum Domini ac Ducis tui, patientem verbo, patientem & facto. Perfer omnia patienter, & hoc ipso ea superasti.

MEDITATIO XXV.

Aliis insuper JESUS afficitur injuriis.

PErgunt adhuc, Satanæ dicam, aut Pontificum? ministri, suis Dominum vexare ac onerare injuriis. Et quî non pergant? pergunt odisse eum, irascíque ei, odio quidem irâque non nisi morte ejus sopiendâ. Consputum, velatúmque ac cæsum JESUM divexant ulteriùs & affligunt, sub probrosis eum, ac acerbis nominibus irridendo. Propinant illum ac irrident, velut personatum Hariolum, ac lusorium Prophetam. Inter colaphos ac verbera, inquiunt ei illi: *Pro-*

phetiza

phetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? q. d. Prophetam te vendidisti, Prophetæ verò occulta, aperta sunt. Alapam hanc tibi impingimus: oculi tibi velo licèt tecti sint, noveris authorem: dic ergò, quis eam ex nobis impegerit. O insani! non recordamini eum passim à turbis, ùt Prophetam habitum? Non meministis eos dixisse de illo palàm Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis?* Non meministis, quod Samaritana dixerit de eo Joan. 4. *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci?* Quid ergò obstet, quo minùs velatus licet sit, authorem impactæ sibi alapæ, revelet?

I. Consideratio.

O Jesu, Fili Dei, quàm aliter hìc, ac in cœlis existis? In cœlis medius es inter Patrem & Spiritum Sanctum: hìc medius es inter impios milites ac satellites: quid? medius hìc es, inter horrida hominum monstra. In monte Thaboræo Matth. 17. medius eras inter Moysen & Eliam: atque id quidem decebat majestatem tuam: hìc jam medius es inter scurras & nebulones. In cœlis à Cherubinis & Seraphinis, ter Sanctus diceris; hìc falsus, à postrema hominum fœce haberis propheta; atque, ùt talis videris & luderis; dicunt illi colaphos tibi palmasque impingendo: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Q. d. Si Propheta es, qualem te dixisti, velum facile pervides, quo tecti sunt tibi oculi, nec te latet quod occultū est. Edic ergò nobis, quis te nostrū percutit? quis primus, quis secundus, quis ter-

tius? Cæci homines, cæcum putant Dominum, quòd ei à se velati sint oculi: sed velamen, ô vos cæci mente, à vobis Domino injectum, non impedit eum, quin videat, pervideatque, quis vestrûm eum in facie, quis in collo, quis in dorso; quis, inquam, quo ordine, ac qua in parte cædit. At parcit vobis modò, ne revelet, amodò revelaturus, in suis minutatim circumstantiis, in confusionem dedecusque vestrum, & utinam non in damnationem æternam.

Domine JESU, Christe Deus, ad omnes has injurias, opprobria, irrisiones & ignominias, perstas immotus, sustines eas, sustines & superas. Nempe, qui exemplar omnium refers virtutum, perfectæ hìc nunc imprimis refers exemplar patientiæ. Exemplar refers, Domine, humilitatis, mansuetudinis, obedientiæ, charitatis, constantiæ, ac virtutis cujuslibet: eas in te omnes conspicimus perfectissimè. Si quis exemplar desideret perfectioris patientiæ (generalis hæc virtus est, ac omnibus necessaria) in Dominum JESUM, qui has nunc injurias, opprobria, irrisiones, & ignominias immotè sustinet, & superat, intueatur, ac quòad potest, imitetur, juxta illud Ex. 25. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi ... monstratum est.* Præclarè S. Bernardus Serm. de Pass. *Mirabilis passio tua, Domine JESU, quæ passiones omnium nostrûm propulsavit, propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli unquam petitioni nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tuâ morte salvetur? Hâc igitur passione, fratres, tria specialiter con-*

convenit intueri : opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Observa: *in opere quidem patientia commendatur.*

O quàm invitus tu, Christiane, quàm difficilis, ad ferendam quamlibet injuriam, ad levissimam non raro ignominiam! Si quæ contingat tibi, quæ non in animo tuo commotio? irasceris, excandescis: & , si occasio tibi sit, vindictam sumis. In Christum, inquam, intuere: magno ille & immoto animo omnigenas injurias, ignominiasque tulit. Docuit sic te exemplo suo, qui eas patientissimè & perfectissimè toleravit, tolerare illas dein patientiùs & perfectiùs, quàm hactenùs fecisti. O te felicem, exemplum tui ducis, si vel coneris imitari.

II. Consideratio.

O Admirabilis patientia Christi! Necdum stetit horum impiorum ac insolentium nebulonum barbaries: ascendit ea semper: nunc Domino crines evellunt capitis ac barbæ, ut propterea dicat per Prophetam quasi queribundus Is. 50. *Dedi genas meas vellentibus.* Conspuunt Dominum sordida illa monstra, velut despectissimum quoddam mancipium: Cædunt illum pugnis ac colaphis: ludunt illum ùt falsum Prophetam. Non hoc satis feritati ac barbariei eorum; crines insuper capitis & barbæ ei evellunt. Proh, feram barbaramque ignominiam! Neque sanè quod ignominiosius est, viro honorato inferri potest. De hac Christi vellicatione, seu crinium evulsione, ac depilatione nihil quidem ha-

bent ſacri Evangeliſtæ; ſed S. Propheta Iſaias, qui Evangeliſta quodammodò cenſeri poteſt, ob diſtinctam, quam habet, perfectamque ſingulorum, quæ Chriſtus paſſus eſt, enarrationem, de ea habet, quando Chriſtum ita loquentem inducit ſupra: *Dedi genas meas vellentibus.* Omni genere pœnarum & injuriarum affectus & afflictus fuit Dominus. Conſpurcatio faciei, ex ſputis phlegmatiſque ei injecta, inſignem certè contumeliam habet; At pilorum evulſio, criniumque depilatio, præter contumeliam inſignem, inſignem quoque habet dolorem. Ammonitæ, populus ita dictus, barbam (2. Reg. 10) raſerant mediam legatis David; quod ille certè ùt ſummam contumeliam accepit, ob quam & eis bellum indixit. Etquidem Alexander Magnus (Plutarcho narratore) curabat ſuos milites radere barbam, ne ſi ab hoſte caperentur, ſimilem vellicationis vel depilationis barbæ ignominiam ſubirent.

Samſon dux Iſraëlitarum, vir fortiſſimus, ac cujus admiranda fortitudo in ſuis ſita crinibus, raſus caput à Dalila, cui myſterium panderat crinium ſuorum, iis detonſis ſimul & fortitudine ſuâ ſpoliatur. Judic. 16. *Statim ab eo fortitudo diſceſſit.* Samſon terrori erat Philiſthæis ob fortitudinem ſuam: erat ea ad miraculum uſque magna. Judic. 14. Dilaceravit leonem quaſi hædum. Judic. 15. Mandibulâ aſini interfecit mille viros. Judic. 16. Portas urbis Gazæ in montem detulit. Nunc verò raſus Philiſthæis redditur ludibrio. Magna Samſoni accidit ignominia. Tondetur

ab

ab inimicis, consusque videtur ab eis, probris ac contumeliis in eum jactis. Dominus noster, uti Samson à Philistæis, tractatur: luditur ab illis, & ridetur; jactis in eum probris ac contumeliis; atque inter alia velluntur ei crines capitis ac barbæ, ac fatui instar, ab omnibus decachinnatur. O ludibrium atrox & stupendum! crines abradunt Domino: at quid putes, ex hoc capitur documenti? Peccata in SS. Scripturis crinibus nonnunquam comparantur. Crines vix aut ne vix quidem numerati possunt, sed & peccata velut innumera sunt. Psaltes Regius dicit Psal. 39. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ... multiplicata sunt super capillos capitis mei.* Crines Absolomi fuêre ei instar laquei; iis namque (2. Reg. 18.) in arbore pendulus infeliciter interiit. Laqueus ejusmodi etiam peccata sunt, quibus qui irretitus est, interit.

Peccata tua, peccator, pœnitentiâ abole, quâ, si vera sit, abolentur etiam innumera. Istius te memorem reddat abrasio crinium in Domino tuo. Abole, inquam, peccata tua, ne iis innexus, non corpore, ùt Absolon, sed & animâ, infeliciter pereas.

III. Consideratio.

ADdit denique S. Lucas, ad supra-relatas injurias, quibus Dominum affecerunt, & afflixerunt cap. 22. *Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.* Ingredere, anima pia, in aulam Pontificis, & voca in memoriam, quid egerit

nocte totâ fœx militum ac servorum; & quid ab eis passus sit Dominus. Theophylactus ait, eos ex hesternâ crapulâ ebrios multa in illum petulantissimè effudisse, juxta illud Psal. 68. *In me psallebant, qui bibebant vinum*; & quia Evangelista, multa illa petulantissimè effusa, nocte illâ totâ, paucis absolvit, tu recole Prophetarum vaticinia, quæ de iis sunt, ex quibus hæc affero. Is. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Faciem meam posui, ut petram durissimam.* Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Job 16. *Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* Hæc, aliaque vaticinia significant, totum Christi corpus diris modis fuisse percussum, fustibus, pugnis & calcibus verberatum, atque in terram dejectum, pedibus conculcatum, sicut & barbam crudeliter evulsam, faciem consputam & cruentatam, vultum pugnis contusum & lividum, varia sannarum, illusionum, & irrisionum genera. Et quidem de voluntate Pontificum, Dominus, sic à ministris eorum exceptus fuit hâc nocte, ut licèt cruci non affigeretur, vitam tamen diutiùs prorogare naturaliter non posset. Unde mirandum non est, quod citiùs, quàm Pilatus opinabatur, ex hac vita discesserit. Tu porrò, in Christum ipsum intuere, vide faciem ejus benedictam & amabilem, oculósque spirantes amorem, ad verbera expositos, eóque majorem præ se ferentes charitatem, quò magis Domi-

Dominus verberibus contundebatur. Pontifices ipsi jam ad quietem discesserant, & vicissim ministri ad somnum se componebant, soli Domino somnus non concedebatur, neque danda ei quies, quàm in lecto crucis.

Blasphemias, quas evomuerunt scurræ illi ac nebulones, inter irrisiones & illusiones suas, quis enumeret? non minor blasphemiarum, quàm verberum, erat numerus. S. Lucas solummodò dicit: *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum*. Quidquid potes fandi vel nefandi ad ignominiam, ludibrium, opprobrium, non tantùm animo concipere, sed vel fingere, minùs erit, quàm quod hìc à pessimis illis nebulonibus in Dominum effutitum est: non solùm cædendo, verberandóque, sed & blasphemando, odium suum, invidiam, rabiem, iracundiam, furorem, in Dominum evomere voluerunt. Quid dicam? domus Caiphæ, in qua hæc contingebant, quædam gehenna erat; quot impii ministri, tot in humana figura dæmones, aut vel blasphemantes diaboli: omnes in Dominum perinde inflammati odio insigniore. Ponitur hìc Dominus gloriæ, in quem ejaculentur, ex imis visceribus flava atráque phlegmata, ex manibus colaphos ac verbera, ex corde odii sui, & furoris spicula, ex ore linguáque contumelias & blasphemias. At sicut Dominus colaphos & verbera sustinuit, ita & contumelias & blasphemias, lubenti hilaríque animo, devoravit. O noctem Domino molestissimam! nulla in ea Domino quies, divexatio continua.

Roga

Roga Dominum, ut hæc ejus nocturna inquietudo, animæ tuæ quietem adferat æternam, utque occultas hujus noctis pœnas, tibi incognitas, ſed ipſi ſoli notas, Deo Patri, pro occultis & ignotis peccatis tuis, offerre dignetur.

MEDITATIO XXVI.

JESUS ducitur ad Pilatum.

SAnct. Matthæus dicit cap. 27. *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.* Dominus JESUS ducitur à Caipha ad Pilatum, id eſt, à tribunali ſacro, ad profanum, à Judæis ad Gentiles, brevi ad ſupremum educendus ſupplicium. Videmus hìc innocentem Joſephum tradi (Gen. 37.) à fratribus ſuis Iſmaëlitis: & fortiſſimum Samſonem tradi à Dalila (Judic. 16.) à Synagoga, inquam, in manus Philiſthinorum. Tria hìc conſideranda, nempe, duci JESUM ad Pilatum: accuſari eum apud illum, & denique examinari.

I. Conſideratio.

ECce, JESUS à ſummo Pontifice Caipha, à quo declaratus erat *Reus mortis*, tranſit ad Pilatum, præſidem Romanum, à quo, confirmatâ Pontificis ſententiâ, morte afficietur. Tranſit à Judæis ad Gentiles, ut qui pro omnibus moreretur, in mortem ejus omnes conſpirarent. Vinctus ducitur Dominus, quia moniti ductores à Juda, ut ducerent eum cautè.

At

At cur Principes Sacerdotum, totumque concilium, id est, uterque magistratus ecclesiasticus & sæcularis, Dominum JESUM, à se declaratum mortis reum, atque ex eo occidendum, tradidere Pilato, Præsidi Romano, homini gentili? Causa erat, quia Judæis licita non erat alicujus occisio. Ita illi Joan. 18. *Nobis non licet interficere quemquam.* Gladius justitiæ, sive potestas occidendi, eis à Romanis, quibus Judæa subjecta erat, erat ablatus. Et licèt Pilatus eam potestaté illis concedere voluerit, dicens illis: *Accipite eum vos, & secundùm legem judicate illum*, eam tamen illi accipere noluerunt, cùm, ut crimen injustæ cædis, à se in Pilatum transferrent, quasi non ipsi occiderint eum, sed Pilatus, tùm ut Christus videretur justiùs condemnatus, ceu non ipsorum tantùm Judæorum, sed Romani etiam præsidis judicio; tum ut à Gentilibus, qualis erat Romanus præses, duriùs tractaretur; adeòque & crucifigeretur; tùm denique ex Dei consilio, ut indicaretur, Christum à Judæis ad Gentes migraturum, cum Evangelio & regno suo: & quidem jure merito, quoniam eum illi à se ablegarunt, & gentibus tradiderunt. Ita Joseph venditus à fratribus (Gen. 37) ductus in Ægyptũ, ei saluté attulit, famescentibus interea fratribus. Pilate, vide quid agas, & ne quid agas temerè, redundetque id in caput tuum. Innocentissimus est JESUS: fixum autem est hominibus istis, à te eum ad mortem: satis non est; ad crucem postulare, haud destituri, nisi eum actum in crucem videant. Si morti eum, & morti crucis addicas

Pilate,

Pilate, in tuam, nedum in justitiam, peccabis conscientiam. Sin verò, incurres eorum offensam. O quàm prudenter fecisset Pilatus, & quàm bene sibi consuluisset, si JESUM sibi traditum, aut non acceptasset, aut remisisset! sed frustra, acceptat illum, nec remittit; atque adeò difficultatibus se pluribus, molestiisque perinde ac periculis involvit.

Tradiderunt illum Pontio Pilato Præsidi. Impletum hìc videmus, quod ab ipso eo, de se prædictum est, *Tradetur enim gentibus.* Luc. 18. Gratias age, Christiane, non quod JESUS traditus sit Pilato, homini gentili, sed quod à Judæis ad gentes transierit, eumque roga, ut qui per gentium manus pœnas mortemque oppetere ac subire voluerit, Gentes à gratia, teque in Gentibus, non excludat, in sceleris eorum vindictam, sed te magis eâ perfundat, ut mortis illius particeps, ad fructum mortis ejus, qui vita æterna est, pertingas.

II. Consideratio.

JESUS à Judæis, traditoribus suis, apud Pilatum accusatus est. Luc. 23. *Cœperunt autem illum accusare, dicentes: hunc invenimus* &c. *Hunc* ajunt, *invenimus.* q. d. non ab aliis audivimus, ipsi vidimus. Accusatio à visis efficacior sanè, quam quæ ab auditis est. Tria capita habet hæc præsens accusatio eorum.

I. *Hunc invenimus* inquiunt, *subvertentem gentem nostram.* Sese Messiam venditat, majoribus nostris à Deo promissum, sicque populum ad se cogit,

cogit, ac gentem nobis commissam subvertit. Apertum mendacium, quod Christo illi imponunt. Christus non subvertit gentem, sed convertit. An exciderit illis, quod dicunt ei Matth. 22. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Profectò, magistrum esse veracem, & in veritate docere viam Dei, non est gentem subvertere: subvertere gentem, est plebem ab observantia legis abducere; & Judæos quod spectat, est eos abducere ab observantia legis per Moysen à Deo datæ: sed nullatenus id fecit Dominus, qui dixit & plebi inculcavit Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Quin & ipse legem usque ad mortem observavit.

II. Addunt: *Et prohibentem tributa dari Cæsari.* Alterum hoc mendacium est, æquè ac præcedens, apertum. Matth. 17. Solvit ipse didragma tributi pro se & Petro: & quamvis ostendat se ad illud non teneri, equidem solvit, creato in ore piscis statere, quem jussus Petrus inde tulit, & pro se ac Magistro suo exactori dedit. Hoc non est prohibere tributum dare Cæsari, sed præcipere illud ipso exemplo suo. Et quando ex illo sciscitati sunt, Matth. 22. *Licetne censum dare Cæsari, an non?* idque in solemni deputatione, respondit incunctanter, ac palàm: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

III. *Et dicentem se Christum Regem esse.* Tertium mendacium. Quot accusationes, tot mendacia. Quod sibi Dominus regnum Judæorum arrogaret, aut vel titulum Regium usurparet, contra decretum Imperatoris; qui à Judæis abstule-

ſtulerat regiam dignitatem, dividens Judæam in quatuor tetrachias, hoc quoque falſiſſimum eſt, quia regnum, aut vel regium titulum nunquam ſibi arrogavit, aut uſurpavit, quin & Joan. 6. *Cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.*

Diſce, diligere veritatem, mendacium verò odiſſe & averſari. Vide, ne in falſas aliorum accuſationes proruas, aut falſitatibus utaris contra alios, etiam inimicos: invidia eò non rarò impellit. Et ſi tu fortè ab aliis tibi invidentibus falsò accuſeris, abſit, ut excandeſcas, aut indigneris, & vel maximè ne de vindicta cogites. Si reſpondendum ſit; reſponde, ſed modeſtè: & ſi modeſto reſponſo nil obtines, aut te obtenturum putes, impera tibi, ac ſile, & falſam accuſationem ab invido homine in te jactam ſilentio tuo facilè vinces, falſitate ſuopte evaneſcente.

III. Conſideratio.

DIxi jam, Pilate, vide quid agas: res à te tractanda, res periculoſa eſt: JESUS, qui tibi à Principibus Sacerdotum, ſupremóque Judæorum Magiſtratu traditus eſt, atque à te ad examen acceptatus eſt, certè cautiſſimè examinandus eſt. Potentes ſunt accuſatores, invidiâ inſuper, irâque excæcati, JESUM, quantumvis innocentem, ipſoque ſole puriorem, jure vel injuriâ damnatum à te, actúmque in crucem volent. Judicem te eſſe memineris, à juſtitia, cujus poſtulaberis, ne deflectas, cave. Interrogat

Pilatus

Pilatus Dominum Matth. 27. *Tu es Rex Judaeorum?* Hanc unam ex tribus allatis accusationibus arripit, quæ maximè urgebatur à Judæis; reliquas negligit, vel quia falsas existimabat, vel quia minùs ad eum pertinere videbantur, minusque habere ponderis. Hæc verò: *Tu es Rex Judaeorum?* vel maximè ad Pilatum, velut Regium ministrum, Regiæque dignitatis vindicem pertinebat. Si enim JESUS Rex, Cæsari per hoc maximè præjudicaretur; ideò id ex reliquis objicit & urget. Refert S. Joannes, Pilatum priùs interrogasse Pontifices, JESU & traditores & accusatores cap. 18. *Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc?* eósque respondisse Pilato: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Ut superba, ita & vaga responsio: vel non tam responsio quàm illusio. Timuerit, ùt videtur, Pilatus homines illos, alioquin eâ offensus fuisset, sed nunc offensionem dissimulat, aitque illis: *Accipite eum vos: & secundùm legem vestram judicate illum.* Reponunt illi: *nobis non licet interficere quemquam.* Vanus is prætextus est. Volunt JESUM judicatum à Pilato Romano judice, quia volebant eum crucifixum: crucifixio Romanis usitata; Judæis vero in tali causa præscripta in lege lapidatio: non satis eis lapidari Dominum, non id satìs ignominiosum: crucifixum volebant, & in cruce enectum. Est hic genius, hæc indoles est hominum odientium & invidorum, ut iis, quos oderunt, & quibus invident, maximam quàm possunt infamiam, injectam velint.

Pilatus quidem non ita ſtatim aſſentitur Pontificibus, JESUM accuſantibus, primæ quantumvis illi dignitatis: neque fidem ſtatim exhibet eorum accuſationibus. Conceperat Pilatus magnam (quis dubitet?) de Chriſto opinionem: multa de eo audierat miracula: multa ex fama publica hauſerat præclara opera, multa de doctrinis ejus, atque etiam de integritate vitæ. Erat Chriſtus in omnium ore & admiratione: ſolum ea latêre poſſent Pilatum? Quare parvi faciebat, quæ accuſatores Pontifices, de Chriſto afferebant; pleraque, ſi non omnia, velut conficta ex odio & invidia, negligebat, & deſpiciebat: id unum interrogat: *Tu es Rex Judaorum?* Benè cœpit Pilatus, ſed malè finiit. Reſtitit initio accuſatoribus, ne quid graviter ſtatueret in innocentem JESUM; victus tamen aliquando, importunis & pertinacibus eorum poſtulationibus aſſenſit. *Non eſt conſuetudo* (ait Feſtus Act. 25.) *Romanis, damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defenſionis accipiat ad abluenda crimina.* Juxta illam conſuetudinem cœpit Pilatus Judex Romanus, utinam & finiviſſet, quod non fecit, initio eis reſiſtens, non diu poſt aſſentiens. Debet Judex attendere ad juſtitiam, & non ad perſonam: & ſi in hoc arctetur, debet potius ſe abdicare officio ſuo, quàm iniquè id adminiſtrare.

Vide tu, Chriſtiane, ut ſi cœperis benè, Deo ſerviendo, ſalutemque bonis operibus procurando,

rando, benè pergas, & perseveres: neque cœpisse benè, & perrexisse, nisi perseveres, proderit.

MEDITATIO XXVII.

JESUS interrogatur à Pilato, & respondet.

SAnct. Matthæus dicit cap. 27. *Stetit autem JESUS ante Præsidem*, nempe tanquam reus ante judicem, exspectans sententiam. Ecclesiastes ait cap. 10. *Vidi servos in equis, & Principes ambulantes super terram, sicut servos.* Vidit id Ecclesiastes ac miratus est, & tanquam prodigii aliquid refert. Plus prodigii habet, quod hìc nunc videmus, nempe Pilatum sedentem ùt judicem, & JESUM stantem velut reum: sedentem hominem, stantem Deum. Pilatus JESUM interrogat, non unam interrogationem, ut eliciat aliquid ab eo, quod sententiam Pontificum, quo JESUM reum mortis declarant, confirmet: JESUS verò Pilato interroganti respondet.

I. Consideratio.

PRima Pilati interrogatio ad Christum hæc est: *Tu es Rex Judæorum?* q. d. fierine potest, ut tu pauper & miser, totque afflictus modis te Judæorum regem dicas? Ita, Pilate, Rex Judæorum est, quem veri Judæi recipiunt, hoc est, qui peccata sua agnoscunt, & confitentur; hi e-

nim Regi huic parere volunt, ut de peccato edu-ćti, ac de manu inimicorum liberati, serviant illi. Pilate, non miror, quod non adeò Rex tibi appareat, ornatus si spectetur. Reges auro splendescunt, gemmis irradiant, ostro nitent. Hic verò sputis & phlegmatis totam faciem conspurcatus, horrorem potius quam splendorem emittit; vix aut ne vix quidem homo apparet, nedum Rex. Ps. 21. *Opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Erant tamen, quibus Pilatus in dubitationem aliquam rapiebatur, an fortè Rex foret. Videbat, & mirabatur altum in eo silentium, in accusationibus quidem adeò gravibus, modestiam videbat in eo plus quàm humamam, vultu illius interea (ùt observat S. Hieronymus) fulgente, ac velut divini aliquid eradiante, quo adigebatur Pilatus, ut nescio quam de eo opinionem conciperet, ipsumque, non lusoriè, sed seriò, num Rex esset, interrogaret. Quod Pilatus alienus non fuerit ab illa opinione, quod JESUS, Judæorum fortè Rex esset, manifestius redditur ex hoc, quod cruci, in qua pependit, hunc titulum, quasi causam necis ejus continentem, inscripserit, patique noluerit, ut tolleretur, aut mutaretur: *JESUS Nazarenus, Rex Judæorum.*

Dominus interrogatus, *Tu es Rex Judæorum?* Respondet, graviter ac modestè: *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Interrogationi Pilati reponitur interrogatio Christi. *A temetipso hoc dicis?* q. d. An ex temetipso opinionem habeas de me, quod Rex sim Judæorum; an verò ex suggestione aliorum id me interroges?

cui

cui Pilatus, velut commotus tantisper: *nunquid ego Judaus sum?* id est, ex me non concepi illam opinionem, quia non sum Judæus, qui ex Judæorum libris investigare possim, quis sit, aut qualis esse debeat Judæorum Rex, sed Pontifices tui, qui te mihi tradiderunt, te desuper apud me accusant, & ex eo pœnam postulant. O quàm felix Pilatus, qui jam ipse dubitare incipiebat, si animo sincero, sciendique veritatem cupido, Dominum interrogasset, Rex an foret; & ita, ut si convinceretur, Regem agnosceret. Sed non eo interrogat animo: tantùm interrogare vult, & officio suo, quasi interrogando satisfacere; idcircò, non sine commotione aliqua replicat, se, non privato veritatis indagandæ studio (quia nihil sibi cum sectâ Judæorum) sed tantùm accusatorum postulationibus motum esse, ad interrogandum. Replica autem illius, quâ utitur, (ùt jam retulimus) hæc erat: *Numquid ego Judæus sum?* Sed & illam Dominus, alto modestoque silentio, ac velut ad rem non facientem, præterivit.

Disce hìc, quàm difficile sit corrigere & emendare Principes & Magistratus, qui magis volunt arroganter interrogare, quàm humiliter discere: & malunt negotia agere publica, quàm propriæ intendere saluti. Sic & multi non emendantur, aut proficiunt ex admonitionibus, instructionibus, concionibus, quia animo instructi non sunt, quo emendari & proficere cupiunt.

II. Consideratio.

ALtera Pilati ad Christum interrogatio, est hæc Joan. 18. *Quid fecisti?* Traditus es mihi à gente tua, & à Pontificibus tuis, velut malefactor insignis: ex te ego, quid feceris, audiam. Videor mihi audire JESUM Pilato respondentem, recensendo opera sua: Ego unus, ac enermis (Joan. 2.) flagello è funiculis facto ementes & vendentes in templo, ejeci ex illo. In templo ego prædicavi ac in Synagogis, ubi omnes conveniunt: prædicavi in locis publicis ac privatis: miracula patravi plurima. Nosti cæcum natum (Joan. 9.) à nativitate: oculos ei aperui, quod à sæculo non est auditum. Quid claudos, surdos, mutos referam, quos sanos reddidi? mortuis vitam restitui. Jairum interroga, principem Synagogæ (Matth. 9) dicet ipse tibi, filiam mortuam à me in vitam revocatam; quod idem dictura est vidua celebris ex urbe Naim, cui filium vivum, cùm mortuus efferebatur ad sepulchrum, dedi. Lazarus frater Marthæ & Magdalenæ (Joan. 11) nobilium sororum, mortuus erat, & non tantùm mortuus, sed in morte quatriduanus, sepultus & jam fœtens. Hunc, sublato à sepulchro lapide, in frequentissima plurimorum, imorum summorumque hominum coronâ, ingenti omnium admiratione & stupore, resuscitavi. Sorores ejus ipsas interroga, & dicent tibi. Ego (Matth. 8) imperavi ventis ac mari, & facta est tranquillitas magna, Ego non semel multa hominum millia panibus, piscibus, sed paucissimis saturavi in soli-

tudine.

tudine. Hæc aliaque, Pilate, atque horum majora, ad tuam hanc interrogationem, *Quid fecisti?* facile potuisset reponere. Sed noluit ipse prædicare opera sua: opera ipsa abundè superque prædicant illum.

Respondet Dominus ad hoc, quod præcipuum erat, nempe de affectato à se regno, & dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* q. d. Rex quidem sum, sed non mundanus Rex, quod mihi imponitur, aut terrenus. Minimè; regnum meum non mundanum aut terrenum est, consistens in multitudine satellitum, aut ministrorum; non in splendore externo, aut pompa ac magnificentia, sicut regna mundanorum & terrenorum Regum. Imò regnum meum non est tale, quod Regem aut Principem quempiam à suo dominio aut potestate expellat, ut inde Cæsaris censeri potentiæ me adversari velle, possim, aut jus illius usurpare. Verè, Domine, Regnum tuum non est de hoc mundo, quandoquidem nasci pauper volueris in stabulo, & cum matre paupere ascendere in Bethlehem, ad profitendum subjectionem, & solvendum censum Cæsari. Regnum tuum non est de hoc mundo, quandoquidem famem, sitim, frigus, & omnia in illo adversa pateris, omnibusque te subdis miseriis & incommodis. Regnum tuum non est de hoc mundo, quandoquidem in illo non nisi coronam spineam pro diademate. & baculum arundineum pro sceptro geris, ut illudaris. Regnum tuum non est de hoc mundo. Ventus est tibi omnis celsitudo regia hujus mundi, & splendor vanus. Tu

Rex verus es, nec vento pasceris vanitatis. Et quia regnum tuum de hoc mundo non est, ideò qui verè tui sunt, qui veri sunt Christiani, celsitudinem hujus mundi, splendoremque non ambiunt, non desiderant, non quærunt, sed ad regnum tuum, ad regnum cœli, gaudiumque cæleste, magis aspirant & contendunt.

Quid ergò, Domine? dicis Luc. 17. *Regnum meum intra vos est.* Regnum tuum internum & spirituale est. Regnas tu in animis fidelium per gratiam tuam, quâ illis, sed suavi dulcique ac minimè violento imperio dominaris, quâ regis eos ac ducis ad bonum, dirigisque ad cæleste regnum ac æternum. Rom. 14. *Regnum Dei non est esca ac potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Regnum itaque tuum in justitia, pace, gaudioque spirituali situm est. Domine JESU, te agnoscimus Regem nostrum, tibi nos subjicimus, à te regi, dirigique amamus, ut à regno gratiæ veniamus denique ad regnum gloriæ.

III. Consideratio.

TErtia interrogatio Pilati ad Christum, est, quâ ille ei dicit Joan. 18. *Quid est veritas?* Dixerat Christus Pilato: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati.* Tunc Pilatus ad Christum: *Quid est veritas?* sed quod meritò miremur, vix Pilatus id interrogarat, & vertit se ac abit, responsum ad interrogationem hanc suam non exspectans. Sequitur enim: *& cùm hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos.*

Quid dicam? Veritas nimis videbatur Pilato

gra-

gravis, quàm ut eam ferret; ideò ausus non fuit exſpectare, ut diceretur, aut excipere illam ex ore Domini, de quo facilè arbitrabatur, quod eam apertè rotundéque dicturus foret; atque adeò ſe mox inde proripit. Multi ſunt Pilato in hoc non diſſimiles: multi quibus, ùt Pilato, veritas gravis, atque etiam odioſa eſt, lux nempe odioſa eſt ægris oculis. Si enim vel in publica prædicatione, vel in peccatorum confeſſione, vel in privata admonitione veritas dicatur eis apertiùs: Si vita eorum & vitia arguantur ſine diſſimulatione, arguenti recalcitrant, & ſuccenſent. Si homini avaro ac injuſto, illicitâ negotiatione implicato dicat quis, periculum ſalutis imminere, niſi reſtituat, quod injuſte acquiſivit, & poſſidet, non fert hoc, ſubducit ſe, & proripit. Atque ita etiam cum aliis eſt, aliis vitiis defectibus ac peccatis involutis. Ut lux, inquam, ægris oculis, ita & hominibus vitioſis, veritas odioſa eſt, eâque auditâ facilè offenduntur, aut cum Pilato abeunt. Tales erant Judæi, coram quibus Dominus ipſe prædicaverat, quos monebat, arguebatque, privatim ac publicè: non ferebant admonitiones, quaſi non crederent admonitori. Unde Dominus, non ſine exprobratione dicit illis Joan. 8. *Si veritatem dicò vobis, quare non creditis mihi?*

Liceat hìc mihi attexere, quod ex antiquis quidam, verè æquè ac eleganter, poëtico repreſentat ſymbolo. Depingit ille veritatem, tanquam cœli ac Dei filiam, divino velut ex ſemine prognatam, è cœlo, juſſu parentis ſui, in terram ad

mortales descendentem, sed ab illis ubique inhumaniter admodùm tractatam; ita quidem, ut tota vulneribus conspersa, fugâ sibi consulere coacta sit, tandemque redire ad cœlum, solo suo in terris relicto pallio, quo mendacia ac falsitates tegerentur. Inducit ille veritatem ita loquentem & conquerentem, de singulis seorsim hominum statibus. Invasi vastum pelagus, vixque illud attigeram, navesque conscenderam, ac tantam scelerum colluviem & turpitudinem conspexi, quanta vix persuaderi posset: cúmque hæc reprehenderem, illicò omnes in me consurgunt, impetuque facto remis contísque suis abegerunt me: atque his primis ego pulsata malis, cruoréque non modico respersa, ocyùs me inde proripui; ac terras petii, vidensque patentes campos, vineas, prata, hortos, in iisque insudantes agricolas, eos conveni, sperans illos, ob simplicitatem morum, in me fore humaniores. Verum, rem ibi contemplata, vidi & ibidem regnare injustitias, ac deceptiones, simplicitate tectas. Unde vix eos salutaveram, & statim ligones furcásque intorquent in caput meum. Discessi ergò, & in urbem, quasi in tutum confugi diversorium: & quia omnium modestiores & sanctiores in urbe mihi videbantur Sacerdotes, ac Religiosi, suo ipso habitu ad modestiam & sanctitatem compositi, ad templa eorum, claustraque accessi, eósque contemplatus, primo eorum conspectu, congressuque sum delectata; sacra sua solvebant pensa, Deum laudabant invocabántque, pro viventibus pacem, pro defunctis requiem

quiem implorantes. Placuit mihi hæc exterior vitæ morúmque facies; sed in strictiorem illorum veniens familiaritatem, & ingrediens secretos eorum thalamos, interiora vidi non respondere exterioribus, & multos, divinas dum persolvebant laudes, concitato ac prærupto oris motu ferri, biblientísque instar amphoræ, multa magìs obmurmurare quàm proferre. At cum mihi hoc displicere ostenderem, ipsa sua Breviaria, aliósque precum libros tantùm non conjiciebant in me: & quæ sexûs erant fœminei, (quarum perplurimæ sunt) rosariis suis ac corollis abigebant me. Egressa ergò fores templorum, nec videns, quò me tutò conferrem, evolavi in plateas viásque publicas. Verùm, eheu! quanta ibi vendentium, ementiúmque mendacia? Mercatorum quanta & perjuria, & proxenetarum involucra, & institorum fraudata lucra? quanta ubique ac quàm enormia deceptiones & scelera? Quid igitur? cùm arguerem illa, ipsæ in me insurgunt mulieres, fusisque & colis in me projectis, expellunt me. Quid referam innumeros ex omni genere artifices? Quid fabros ferrarios, lignarios, murarios? Quid laniones, caupones, textores, sartores, sutores? suis quique artis suæ instrumentis facilè in fugam abigebant me. In domum civicam, forumque deveni, ubi intuens præsides ac prætores, mira præditos gravitate, multámque togatorum turbam, judices, judicúmque administros, nonnihil cœpi respirare, quia sapientiam & gravitatem, vultu habitúque ostentabant, & spirabant velut justitiam. Putabam

bam ergò hìc me portum reperisse. Sed accedens propiùs, in scyllam me incidisse vidi, latrantibus canibus circumseptam. Nam quot ibi inveni vidique judicum sententias ac definitiones, haud justas? quæ non iniqua causidicorum patrocinia? quas non fraudes tabellionum, scribarumque injustas exactiones? At verò omnia ista mihi displicere, ubi agnoverunt, calamis atramentariisque in me conjectis, me vel tantulùm illic consistere non sinunt. Maturavi igitur fugam, & ad unicum, qui restabat, locum, ad aulam Principum me contuli. Sed regnantem ibi vidi ambitionem, ac luxum; quid? vanitates omnigenas, atque etiam libidines. Mox illi ad me, facesse hinc mala bestia; atque inde volens nolens discedere debui & discessi. Quid ergò? videns veritas, invisam se ubique exosamque, nullibique se, sedem habere posse stabilem, in cœlum, ad parentem suum Deum redire coacta est, solo suo in terris pallio, casu decidente, relicto, quo mendacia nunc ac falsitates frequentissimè teguntur.

Tu, ô Christiane, ama veritatem, fuge mendacium ac deceptionem, in te ipso maximè. Grave ducis, ab alio te decipi, alium ergò ne decipias. Vide, ne & decipias te ipsum. Nefas judicas decipere amicum, aut ab amico decipi: majus nefas est, si te decipias, aut à temet decipiaris, quia quisque sibi maximè amicus est: decipis autem teipsum, si nomine Christiano contentus, de virtutibus Christianis minùs sis solicitus. Ama, inquam, veritatem, fuge mendacium, & in Deo, qui ipsa est veritas, invenies asylum.

MEDI-

MEDITATIO XXVIII.

Pilatus JESUM excusat.

JESUS, qui stabat ante Pilatum, ùt reus ante judicem, steterat sic priùs ante Caipham Pontificem: prius in sacro, deinde in prophano stetit tribunali. Et certè mitius in se nunc reperit tribunal prophanum, quàm priùs repererat sacrum: mitiorem reperit in se Pilatum judicem gentilem, quàm Caipham Sacerdotum Principem. Caiphas præcipitabat judicium; statu causæ non inspecto. Pilatus inspicit illam accuratè: quærit, interrogat, discutit & examinat; quin &, quantum in se est, contra Judæorum accusationes, JESUM excusat. Ita Pilatus Matth. 27. *Quid mali fecit?* Luc. 23. *Nihil in eo invenio causa.* Et Joan. 19. *Ecce, adduco eum vobis foràs, ut cognoscatis, quia nullam in eo invenio causam.*

I. Consideratio.

GRatulor tibi, Domine JESU; Caipham Pontificem priùs habuisti adversarium, Pilatum Præsidem nunc habes patronum: Caipham accusatorem, Pilatum excusatorem. Utinam hic constet sibi, & non se à Judæis, adversariis tuis, in adversam sententiam abduci sinat. Pilatus sciebat, JESUM esse innocentem, sibique non nisi ex invidia traditum; quid ni partes illius in se tantisper sumat, defendatque eum cōtra adversarios

suos?

suos? At quidem omninò verisimile non est, id agere Pilatum propter Jesum, ne quid pœnæ ei irrogetur injustæ, sed magis propter se ipsum, ne impingens in justitiam, damnando innocentem, se indignationi exponat Cæsaris, cujus vices obit, ac cui muneris administrati à se reddenda aliquando ratio, à quo & timenda correctio. Dicit Pilatus accusatoribus: *Quid faciam de JESU?* Quid eos putatis respondisse? Videte præcipitatam eorum malitiam, ac capitale odium: *Dicunt omnes, crucifigatur.* In tribunali Caiphæ JESUS ab omnibus dictus fuerat *reus mortis*, sed genus mortis expressum non fuerat; hìc nunc illud exprimitur, quod est crucifixio: *crucifigatur*, inquiunt; genus mortis, utì pœnosissimum, ita & ignominiosissimum. Non erat satis accusatoribus istis, invidiâ simul ac irâ in Jesum ardentibus, ut quâquâ ille morte afficeretur, sed morte crucis, pœnosâ perinde ac ignominiosâ affectum volunt. Instat verò Pilatus, urgetque eos, ut si quid sceleris ab eo commissi resciant, id sibi revelent. Verba Pilati sunt: *Quid mali fecit?* q. d. Ego non possum damnare illum, nisi malum mihi sit revelatum, consteque mihi, quod pœnâ dignum sit, & dignum morte, si velitis eum crucifixum: ex me de illo nihil tale rescio: resciam id itaque ex vobis, qui eum ad crucem postulatis. *Quid mali fecit?* neque vel rumor malus, de eo sparsus, ad me unquam devenit. Bona audivi de illo plurima, de quibus fama, longè latéque exiens, ad me etiam delapsa est. Num ob bona illa vultis ut condemnem illum, & infami furcæ addicam?
Quis

Quis hoc credat de vobis, quantumvis eum oderitis? Mala itaque proferenda sunt, si vultis, ut ego vobis assentiar, votoque vestro, ut in crucem agatur, satisfaciam. Sententiam vultis, ut feram mortis: parùm est, vultis, ut eam accelerem. Quid ergò cunctemini? accelerate & vos, malaque ab eo commissa, quibus sententia nitatur, proferte. Insto, urgeo, quia urgeor, & à vobis urgeor: *Quid mali fecit?* Frustra instas urgesque, Pilate, nihil proferent mali, nisi illud fingant, quia mali nihil commisit.

Domine JESU, bono adhuc animo esse potes de sententiâ tibi non adversâ: Judicem adhuc tibi faventem habes. In te reperit innocentiam, quæ eò magis patefit, quò minùs tui accusatores ab eo postulati, mali quid de te proferre queant: in accusatoribus autem tuis, reperit invidiam; quid? in testimoniis eorum contra te reperit inconvenientiam, in omnibus nequitiam. Altum interea Pilatus videbat in Domino, & admirabatur silentium, optabat, ut & pro se loqueretur ipse, ad loquendum provocabat & excitabat eum, dicens: *non audis, quanta adversùm te dicunt testimonia?* Siles equidem, Domine, nec verbum seris in causa tua. Paulò ante culpabatur Magdalena à Juda, ob effusum à se unguentum, & loquebaris pro eâ. Accusabatur (Joan. 8.) mulier, deprehensa, ùt dicebatur, in adulterio, & loquebaris pro eâ. Et jam, qui in aliarum causa loqueris & facundus es, in causa tua propria siles ac velut mutus es. Siles Domine? verbum in hac causa tua profers nullum? Tuo tibi præjudicas, nocésque silen-

silentio: agitur de honore tuo, de famâ tuâ, de vitâ tua. Siles tamen, quasi eorum nescius. *Ego* [ais Ps. 38] *tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutionem.*

Considera, ô tu homo loquax, altum silentium Domini tui! Pilatus quidem gentilis, in silentio illius, admirabatur occultam sapientiam: Judæi verò hostes, ex eo ad plures, gravioresque accusationes reddebantur audaciores. Tu & admirare illius patientiam, qui tam variis, tamque gravibus tuis, aliorumque hactenùs peccatis offensus, non tam silet, quàm quod te multis equidem bonis cumulet, ut hâc ejus liberalitate, & bonitate tandem resipiscas. Disce tu silentium, etsi agatur de honore famâque tuâ. JESUM silentem imitare, ut saltem, ubi agitur de honore famâque tuâ, si silere penitùs non expediat, loquendo non exorbites, aut excedas.

II. Consideratio.

Pilatus, Accusatores palàm adoritur, palamque JESU accusati innocentiam contestatur. *Ait Pilatus* (inquit S. Lucas) *ad Principes Sacerdotum & turbas, nihil invenio causa in hoc homine.* Dicere, nihil se in JESU causæ, id est, culpæ invenire, est illos, qui sibi eum tradiderant, iniquæ traditionis tacitè sugillare, ac velut in faciem resistere. Non miror, Pilate, quod causam nullam, ne vel levem, in eo invenias: causa nulla in eo est; & quod non est, inveniri non potest.

potest. Hoc Pilati dictum: *Nihil invenio causa in hoc homine*, alterum, illudque perinsigne de innocentia Christi, ac vitæ integritate testimonium est; nam primum Judas dederat, dicens: *peccavi, tradens sanguinem justum.* Jam opus non est ejusmodi testimonia aliunde quærere, aut ab aliis emendicare: satis est, quod Judas proditor, & Pilatus Judex ea dederint. Patet hic in Pilato aliquid magnanimitatis animique imperterriti, quo palam apertéque & Christi innocentiam, & accusatorum injustam accusationem contestari veritus non sit. Fortem te hucusque præstas, Pilate: perge porrò, quo cœpisti, pede: justum ac innocentem fortiter defende; in ejusque te defensione, aliis quoque judicibus, illustre exemplum præbe.

Expende, prudens piáque anima. Pilatus nullam in JESU invenit causam, nullam culpam, aut vel culpæ umbram. Pilato in hoc præ aliis habenda fides, ceu gestorum Christi examinatori. Causa tamen in JESU est, veráque & gravissima causa. Ecquæ illa? Est ea, expiatio peccatorum nostrorum ad salvandas æternùm animas nostras. Animæ nostræ, animæque omnium hominum æternæ obnoxiæ erant damnationi, ex primævo Adæ peccato, manebántque, peccatis nostris, per personam dignitatis infinitæ, non expiatis. JESUS filius Dei, misertus nostri, ac ut damnationi illi eximeremur, & ad salutem restitueremur, expiationem illam, aut vel potius ipsum, cum aliis, primævum peccatum in se recepit expiandum; atque adeò causa mortis in

Christo, est ipsa peccati illius, aliorúmque nostrorum peccatorum expiatio, ut salvemur. Hæc ipsa, hæc vera mortis, Christo in cruce inferendæ, causa est.

O quanto nos amore JESUM, adeò in nos benignum, adeò nobis adfectum diligere debemus, quantásque ei agere gratias! nos peccavimus, & in Proto-parente nostro, & in nobis ipsis; & ille peccata nostra, morte quidem in cruce obitâ, expiat. Deum roga, & vide, ut sicut peccata nostra Christo fuerunt mortis causa, ita & mors Christi sit nobis causa vitæ.

III. Consideratio.

Pilatus è re fore arbitrabatur, JESUM in publicum producere, ac se, & coram summis Sacerdotibus, & coram turbis, protestari, nullam se in eo culpam deprehendisse, quò magìs hoc omnibus constaret; iíque desisterent, ad pœnam eum postulare. *Ecce* (inquiebat Pilatus Joan. 19.) *adduco eum vobis foràs, ut cognoscatis, quia nullam in eo invenio causam.* Examinaverat Pilatus jam JESUM, non publicè coram turba, sed privatim in domo sua. Sufficere hoc putabat, si modò sceleris aliquid in eo deprehenderet, ob quod eum damnare posset, etiamsi id privatim deprehendisset. Itaque privatim eum priùs examinat. Sed privato illo examine nihil deprehendens, prodit in publicum, Domino secum adducto, convenitque, & Sacerdotes & turbas, quò cognoscant, nihil criminis, facto privato, accurato tamen, examine, fuisse deprehensum,

sum, nec vitio aut culpæ verterent ei, si integrum illum suæ libertati restitueret. En, Pilatus privatim egit cum JESU. Tu similiter, Christiane, si vis agere cum Christo, (& par est, te agere cum illo quotidiè) fuge turbas, & tumultus negotiorum, ingredere in conclave cordis tui, ut & clariùs audias Dominum tecum loquentem, & tu coram eo confidentiùs effundas cor tuum.

Videor mihi, & videre me JESUM stantem ante summos Sacerdotum Principes, turbasque, id est ante adversarios suos, & dicentem ad illos, quod aliquando eis in templo dixerat Joan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Putà, & Pilatum hoc dicere ejus nomine. Q. d. Examinavi hunc hominem, à vobis mihi traditum, privatim apud me, seu in interiore tribunali meo, sed nullam, ne vel levissimam culpam, atque adeò nullam prorsus pœnæ, nedum mortis causam in eo deprehendi. Nunc persto paratus, eum examinare publicè, vobis, quiqui vultis, adstantibus. Si quis ex vobis eum arguere potest de crimine aliquo: si quis vestrûm sit, qui delictum, grave aut leve, de eo noverit, depromat illud, eum in finem illum vobis adduco. Agite itaque, proferte, si quid habeatis, ut habeam ego, unde illum damnem, damnaturus illum ad mortem, atque etiam ad crucem, quod vos postulatis, si quid eâ pœnâ dignum proferatur. Satìs diu inter vos versatus est: docuit in templo & Synagogis vestris, annis omninò tribus; docuit in montibus & agris: docuit publicè in plateis: docuit coram summis & imis, & sæpissimè coram con-

fertiſſima hominum promiſcuorum multitudine, ad illum audiendum confluente. Prodigioſa patravit opera, quæ nemo alius, eáque innumera, uſque ad reſuſcitationem mortuorum: ſicubi delicti aliquid vel levioris, aut quod vel ſpeciem habeat, aut vel ſuſpicionẽ parere poſſit delicti, commiſſum ſcitis, edicite id nunc coram me & illo. Proderit id edixiſſe & cauſæ veſtræ, ac meæ: veſtræ, quia jam eum reum mortis dixiſtis: meæ, quia ſic eum, abſque quod labem inferam juſtitiæ, potero plectere. Multa de eo, plurima, enormia ſparſiſtis, mihique plurima in aures inſuſurraſtis, ſed à tergo, abſente illo; nunc præſens eſt, & faciem præbet, auſcultaturus vos, & culpam, ſi qua ſit, agniturus. Tacent omnes, ſuâ taciturnitate illâ, & JESUM culpâ eximunt, & ſe eâ involvunt.

Vide, ô anima pia, Dominus cœli & terræ, Dominus univerſæ creaturæ, ceu reus adſtat præſiſidi gentili, rationem vitæ ſuæ ei redditurus. O quàm facilè eam reddere potuit! Neque vel jurati hoſtes objicere ei quidquam potuêre: accuſari vita etiam Angelica, & puriſſima poteſt, ab hoc immunis nemo eſt. Accuſatus fuit JESUS, dictúſque reus ab hoſtibus ac æmulis, ſed in nullo probatus, nihil proinde aut accuſatores ſuos, aut judicem veritus. Tu quoque ſic vive, ut non erubeſcas aut verearis, de actionibus tuis cuiquam reſpondere, innocentiâ interea in te, & vitæ tuæ puritate relucente.

MEDI-

MEDITATIO XXIX.

JESUS coram Pilato iterùm accusatur.

ACcusatio illa, coram Pilato, iterata, hæc erat. Luc. 23. *Commovit populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc.* Protestatus jam publicè erat, nihil se in JESU deprehendisse culpabile, grave aut leve. Rectè sic, Pilate; nullum in innocentia crimen est, nulla in sanctitate labes, nulla in vita ejus macula. Verè & Dominus discipulis suis jam ante dixerat Joan. 14. *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Instant tamen contra JESUM suprema & Sacerdotum, & populi capita, Pilatum opportunè, importunè inducere volentes, ut suam contra JESUM sententiam, quâ dictus jam erat reus mortis, confirmet, mortéque eum afficiat. Hi nunc dicunt, accusantes eum: *Commovit populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc.*

I. Consideratio.

PEssimi hi, & in malo suo obstinatissimi homines, nihil ita curant, cordique habent, quàm ut indant Pilato, JESUM à se ei traditum, turbarum ac tumultuum suscitatorem, quin & factiosorum ac tumultantium hominum esse ducem: id persuasus Pilatus, JESUM facilè ad votum eorum condemnasset. At verò hæc eorum

accuſatio: *commovit populum* &c. quàm vano ac quàm nullo nititur fundamento? Fundatur ea in doctrina JESU, *docens*, inquiunt, *per univerſam Judæam.* Sed doctrina JESU ſanctiſſima & præclariſſima. O quantis, ante eam, in tenebris hærebat mundus, quantiſque implicitus erat erroribus! Pars mundi quanta, & ſuum & rerum omnium ignorabat opificem Deum! Divinam ignorabat providentiam ac gubernationem, vitam mortemque æternam, cælum infernumque, atque etiam animarum immortalitatem. Ignorabat virtutum Chriſtianarum, bonorumque operum præſtantiam ac dignitatem, & peccatorum malitiam. Mundus velut cæcus currebat in mortem, ſempiternumque animæ interitum. JESUS docens in mundo doctrinâ ſuâ diſpulit tenebras, mundum illuminavit, detectis erroribus, viamque ad ſalutem, per virtutes omnigenas, omnibus demonſtravit. Impletum in eo illud Iſ. 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in umbra mortis, lux orta eſt eis.* Doctrina JESU beneficium erat mundo, uti ſingulare, ita & neceſſarium; unde in eâ, contra JESUM, non niſi ſtolidiſſimè & iniquiſſimè fundatur accuſatio: ea eſt doctrina illa, quæ illum meritò amabilem omnibus, & commendabilem reddit.

Et profectò, ſi quis vel hoſtis advertat, obſervetque, quæ hìc ſacris ſuis annalibus conſignent ſacri Evangeliſtæ, doctrinam JESU ſanctiſſimam & præclariſſimam fuiſſe, vel invitus fateri compelletur. Præclariſſimus ille ſermo eſt (Matth. 5.) quem

quem in monte, (ascenderat docendi ergò illum) habuit ad discipulos suos, turbasque, quæ eum secutæ erant: omnium virtutum Christianarum & prælectionem & methodum complectitur. Et ùt sermo iste præclarissimus fuit, ita non minùs præclari sermones ejus cæteri, iique & plures, & quotidiani; non ad saporem quidem hominum mundanorum, sed perfectionem verorum Christianorum. Docebat JESUS eos paupertatem spiritûs, rerumque omnium abdicationem Matth. 9. Dilectionem, etiam inimicorum Matth. 5. Obedientiam integram, suique mortificationem Luc. 14. Orandi studium Luc. 18. Jejunia & Eleemosynas, & quidquid virtutum nomine venit, pro tempore & loco tradidit & commendavit. Proh, præclarum facinus, ad publicum communemque totius orbis, seu mundi in tenebris jacentis commodum, utilitatemque adhibitum! Attamen pessimi Judæi, & qui, si spectentur in se, ut doceantur, digni non sunt, invidiâ suâ excœcati, quod JESUS ex munere, & præclarissimè facit, crimen interpretantur, & scelus esse volunt, ob quod eum ad mortem & crucem postulant. An crimen, cæcum docere populum? An scelus, sedentibus in tenebris afferre lucem? An crimen sceluśque est, errores ex tenebris natos, corruptosque mores, veritatis cataplasmate dispellere & sanare? Quid? id non facere, crimen & scelus est.

Vide nunc pessimos Judæos. Pessimè in Christum affecti sunt, ideòque optima ejus opera pessimè interpretantur, in ipsâque Christi præclarissimâ

rissimâ doctrinâ causam ponunt necis ejus, quam postulant. Amandus Dominus ob doctrinam suam; & pessimi illi homines ob illam oderunt eum, parùm est: ob eam illum ad supplicium, ad mortem, ad crucem petunt. Solatio hoc tibi sit, qui ex munere populum doces, si ob ea, quæ benè, quæ optimè, quæ ad sanandos malos mores, doces, liberiùs fortè aliquandò, malè vapules.

II. Consideratio.

ADdunt illi de Christo, quo accusationem suam roborant: *Commovit populum.* Ita est: commovit Dominus populum. An fortè ad mutuas discordias inter se? an ad rebelliones contra Superiores, & Magistratus? an ad factiones, rebus publicis perniciosas? haud certè. Grande piaculum, ac graviter plectendum, ad discordias, rebelliones, factiones populum commovere: perturbant illæ reipublicæ pacem, quin & tollunt eam: urbes, provincias, regna illæ pessumdant, evertúntque. Commotores ejusmodi, homines turbulenti sunt: in carceres illi compinguntur & vincula, capitis non raró afficiuntur supplicio. Ex illis fuit Barrabbas, ab ipso Pilato, ob ejusmodi crimen, in carcerem & vincula compactus, supplicio supremo afficiendus, nisi populus, ne Christus, quocum commissus est, dimitteretur, eum dimitti postulasset. Crimen ejusmodi commotionis, rebellionis, inquam, Domino impactum volunt, quando dicunt: *Commovit populum.* Impositores estis vos pessimi Judæi: com-

commovit populum non ad factiones & discordias, sed eas, sicubi ortæ erant, sedare sategit.

Quid invehor in pessimos Judæos? dicentes de Christo, *Commovit populum.* Ignorantes ac inviti veritatem dicunt. Commovit Dominus populum, sed ad vitæ morúmque mutationem: commovit plures, ut abdicatis mundi voluptatibus & vanitatibus, virtutum studiis se dederint. Tu, Domine, commovens populum, monasterìa imples Religiosis utriusque sexûs, deserta Anachoretis, carceres Confessoribus, Martyribus carnificinas. Te movente, Domine, matronæ virginesque ornatum abjiciunt, divites paupertatem amplectuntur, nobiles, suíque ipsorum domini, aliorum se voluntati subjiciunt, adolescentes puellæque, voto se religionis obstrictos, tibi in holocaustum offerunt. Tu, Domine, commovisti (Matth. 4.) Petrum & Andream, Jacobum & Joannem, ut relictis retibus, relictâ naviculâ, relictis omnibus, quæ habebant, statum amplecterentur perfectionis, sequentes te. Commovisti Matthæum (Matth. 9.) ut, qui avaritiæ priùs, & fortè dolis, fraudibusque injustis studebat, jam lucro intenderet animarum. Commovisti Zachæum (Luc. 19.) Publicanorum Principem, ut fraudes suas in quadruplum fraudatis redderet. Commovisti Magdalenam (Luc. 7.) ut vanitatibus, libidinibúsque nuntium remitteret; commovisti eam ad lacrymas, quibus rigavit & pedes tuos, & conscientiam suam abluit à peccatis. Commovisti, Domine, & commoves millena corda, saxis duriora, ad pœnitentiam, &

 à mo-

à morum corruptelâ ad meliorem vitam. Verè itaque, licèt ignorantes, dicunt de te hostes tui: *Commovit populum.*

Et vos perversi, obstinatique Judæi, ad pedes Domini provoluti, rogate eum, ut & vos commoveat, ut desistatis, innocentem JESUM, in malam crucem actum velle. O quàm vobis expediret ea commotio! At spes istius vix apparet, ut commoveamini, quovis ferro vos, ac chalybe duriores. Tu, quisquis es, homo Christianus, roga, ut & te moveat Dominus. Odium fovisti in fratrem, moveat te, illud ut deponas. Injustum possides, moveat te, ut illud restituas. Periculosa tibi conversatio est cum persona lubrica, periclitatur tua fama, & non tantùm fama, sed & anima tua; moveat te, ut ei renuncies, famam serves, & animam salves.

III. Consideratio.

DIcit S. Lucas supra: *At illi invalescebant, dicentes: commovit populum.* Nota: *invalescebant.* Quia per viam Juris nihil se impetrare vident, rem suam viâ facti, id est, clamoribus agendam censent. Ita nempe turbulenti ac contentiosi homines, clamoribus & minis obtinere volunt, quod per justitiam non possunt: atque utì litigantes, præ impotentiâ animi, modò hoc, modò illud crimen objectant, nulla nixi veritate, & ea sæpè criminantur, quæ potius merentur laudari, ita hìc faciunt accusatores Christi: ad multa, nunc ad hæc, nunc ad illa delabuntur. Juxta S. Marcum cap. 15. *Accusabant JESUM*

in

in multis. Sed quænam illa? nova an vetera? relatu certè indigna. Commovisse eum ajunt populum. Si commotio intelligatur, quæ ad turbas, ad tumultus, ad sediriones spectat, mendacium est; populum malè commotum sedat. Sin verò, ùt par est, intelligatur commotio, quæ spectat ad animum, qui eâ flectitur in bonum, res maximè laudanda est: sed neque eâ tunc accusatio eorum roboratur, sed destruitur.

Inter clamores illos invalescentes, stabat immotè JESUS, immotus corpore, immotus animo. Aures quidem ejus verberabantur clamoribus istis, lingua autem non solvebatur. JESUS à latere Pilati, sublimi in loco, velut scopus erat expositus, in quem jaculabantur pessimè affecti homines, vocibus invalescentes, aut vel magìs clamoribus, qui non minùs immotum illius animum fodicabant, & sauciabant, quàm flagella, quæ postea accepit, corpus. Nemo erat ex tota illa multitudine, qui perdendum illum, agendumque in crucem, non clamabat. Videbat illic fortè JESUS aliquos ex quatuor illis millibus, quos in deserto paverat & satiaverat, multiplicatis, in commodum eorum, panibus pisciculisque: ex illis, quibus sæpiùs jam locutus fuerat verba vitæ æternæ: ex illis, quos sanaverat à variis languoribus; ex omnibus verò videbat neminem, qui contra eum non clamabat, & clamore suo eum ad furcam non postulabat. Conceptus erat JESUS inter illos, natus, educatus, annisque pluribus conversatus: quidquid habuerat sudoris, pro illis esudârat,

rat; quidquid lacrymarum, effleràt; quidquid ſanguinis habebat reliquum, pro illis effuſurus erat: nil juvat; auctis continuò clamoribus, ad infame illum poſtulabant ſupplicium. Clamabant Marc. 7. *Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui*; nunc verò, quaſi peſſimè feciſſet omnia, clamantes contra eum, & clamando invaleſcentes, perditum eum volunt, cruceque enectum. O vos feræ, ingratæque beſtiæ, quàm acriter, veſtris iſtis clamoribus, aut, ut veriùs dicam, vociferationibus, feritis ac lancinatis cor ejus, adeò huc uſque in vos benevolum, amoréque in vos plenum? eſt iſthæc in vobis immanis ingratitudo, ac ſæva barbaries.

Intuere, ô pia anima, JESUM, hìc omnium, ſummorum, imorumque oculis expoſitum, & ab omnibus ad ſupplicium, ad mortem, ad crucem poſtulatum: &, ſi quid tibi accidat moleſtum, etiam ſi crudele: ſi falſa tibi, te coram adſtante, impinguntur crimina, eaque graviora, & ad pœnam poſtularis, ab illis etiam, quibus benefeciſti, non te id turbet, aut dejiciat; innocens JESUS ſolatio tibi ſit, & gaudio, quod Dominum tuum imitari poſſis.

MEDITATIO XXX.

JESUS à Pilato mittitur ad Herodem.

JUdex unus non ſufficit, non unus Annas, non Caiphas unus, non unus Pilatus, ut innocens JESUS condemnetur. Non ſufficit unum tribunal, Steterat ad tribunal Annæ: ſteterat ad tribunal

bunal Caiphæ: steterat ante tribunal Pilati; non hoc sufficit, inquam, mittitur JESUS à Pilato ad Herodem, judicandus in tribunali illius. S. Lucas ita dicit Cap. 23. *Et ut cognovit* (Pilatus) *quod* (JESUS) *de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem.* Vide humilitatem Domini tui, qui duci se sinit ab uno judice ad alium: vinctum quidem, quasi fur foret aut latro, cùm totus sit innocens, omnisque prorsus criminis immunis.

I. Consideratio.

QUid est, quod Pilatus mittat vinctum JESUM ad Herodem? Dubitandum haud est, quin id fecerit, ut iniquum ipse declinet judicium, viamque JESU, quem novit innocentem, aperiat ad libertatem. Facilè conjiciebat Pilatus, non destituros invidentissimos & pertinacissimos illos Judæos, nisi JESUS damnetur; quod factum mavult ab Herode, quam à se; mittit ergò illum ad eum. Nolebat etiam Pilatus in jurisdictionem Herodis involare, sed jus ei suum inviolatum relinquere: neque enim falcem mittere oportet in messem alienam. Sed cur, ô Salvator, non reclamas contra remissionem hanc? Væ tibi apud Herodem, notæ crudelitatis hominem: nosti, quid fecerit amico tuo Baptistæ Joanni, cujus caput, justum licèt eum esse sciret, addixit leviter & dedit saltatrici puellæ: non poteris eum in te exspectare meliorem. O innocens Domine, amore nostri omnia devorare amas: nullum fugis tribunal, nullum judicem, tuâ securus innocentiâ: æquo animo te jactari sinis instar pilæ de

lusore

lusore ad lusorem, ut nos, cùm pari nobiscum modo ludat mundus, pariter feramus. Pilatus magis volebat æquus videri, quàm æquus esse, volens sic benefacere Christo, ut non malè faceret populo: inter sacrum & saxum, nunc hàc, nunc illàc animū partes diversat in omnes. Condemnare innocentem JESUM, ipsi videbatur grave; offendere verò Judæos, liberando Christum, videbatur non leve; quare ut Labyrintho illo extricaret se, statuit JESUM mittere ad Herodem, qui tunc Jerosolymis, ob Paschales dies, præsens erat; atque adeò JESUM vinctum ad Herodem misit.

Quid ad hoc Judæi, qui eum Pilato tradiderant judicandum? Gratum ipsis an ingratum fuerit, JESUM à se Pilato traditum, à Pilato mitti ad Herodem? non ingratum sanè, quia spes ex eo illis magna affulgebat potiundi voto suo, quod erat innocentis JESU damnatio. Ab Herode homine crudeli & iniquo, faciliùs quàm à Pilato, damnationem Christi extorsuros se sperare poterant. Erat hic Herodes interfector (quod jam dixi) Joannis Baptistæ, filius Herodis infanticidæ. Deus immortalis, quàm variè hìc cum JESU agitur, quàm violenter & iniquè! Extrahitur ex horto, raptatur ad Annam, protruditur ad Caipham, deducitur ad Pilatum, ablegatur ad Herodem. Neque hoc factum absque divino numine, ut tot in causa JESU judices essent profani, quot sacri, ejus testes innocentiæ. Sacri duo, Annas & Caiphas; duo profani, Pilatus & Herodes, ut nempe utrimque (Matth. 18.) *In*

ore

ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Hæc omnia tolerat patienter, atque ùt mansuetus Agnus, vadit, quocunque ducitur. Pessimus homo Herodes, pessimè ab eo tractandus JESUS: ad eum equidem, quia illuc ducitur, promptissimè vadit, paritérque & redit: nusquam non it, vel redit, suis ubique ductoribus, pessimis licèt, morem gerens, qui nullo eis negotio poterat resistere, imò & solo eos nutu demergere posset in profundum inferni.

En, Christiane, Christus, dux tuus, it, redítque velut Agnus, quocunque ducitur. At cur illud? ut te nempe liberet ab illo, qui 1. Petr. 5. *Circuit tanquam leo rugiens, quærens, quem devoret.* Et tu, ô Christiane, i, redi, quocunque te vocet interior Dei inspiratio, aut revocet; erit id imitari ducem tuum.

II. Consideratio.

JESUS, Pilati cinctus satellitio, tandem pervenit ad Herodem. Dicit S. Lucas cap. 23. *Herodes autem viso JESU gavisus est.* Ecquis non gaudeat viso eo, qui gaudium est universæ terræ? Magi, qui venerant ex Oriente, visâ tantùm stellâ, quæ ducebat ad JESUM, Matth. 2. *Gavisi sunt gaudio magno valde*: quantò majore gaudio gavisi sunt, viso ipso JESU? Herodes nunquam ad JESUM accesserat, nunquam loquentem audiverat, nunquam miracula patrantem viderat, multa tamen, cùm ex publica fama, tum ex privato aliorum sermone, de eo cognoverat; unde & multùm jam diu, videre eum & au-

& audire, desideraverat: nihil itaque miri, gaudere eum, occasione ultrò occurrente, illum & corã intuendi, & oretenùs cum illo colloquendi. O beatũ te, Herodes, si rectè, si sincerè, conspecto à te JESU, gaudeas! Aspectus IESU, si aspiciatur internè, fons est omnis boni; si externè, fons omnis solatii est. Quotquot tribulati, afflicti, tristesque sunt, IESUM intus aspiciant; tribulatio & afflictio in solatium, & tristitia vertetur in gaudium. IESUS (dixi jam) gaudium est universæ terræ. Parùm est: si quod gaudium in cœlis est, Patriarchis & Prophetis: si quod Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Sanctísque reliquis: quid? si quod est Angelis, Angelorúmque Principibus, Cherubinis ac Seraphinis, gaudium hoc, est gaudium super omne gaudium, videre IESUM. Gaudium quidem est, & magnitudine immensum, & tempore infinitum. Iam verò rivi illi omnes gaudii, per Angelos omnes, omnésque mentes beatas, longissimè latissiméque diffusi, ex viso clarè IESU profluunt. O pia anima, vel ab Herode excitare, ut appetas, ardeasque videre IESUM, totisque id desideres animi tui votis. Neque enim alium in finem ex nihilo eductus es, creatus es, redemptus es, nisi ut aliquando videas IESUM, eum tunc æternùm visurus.

Dixi jam, ô beatum te, Herodes, si rectè, si sincerè, viso à te IESU, gaudeas. Sed obtusa in te mens, rectum solidúmque gaudium, ex fonte hoc divinissimo, ex viso, inquam, IESU non percipit, non illud in eo advertit: rectè, solidéque

gaude-

gaudere nescis. Gaudet Herodes, quod videat JESUM (quem oderat & metuebat) captum, ligatum, multóque apud se cinctum milite. Desiderium illius, eum videndi, atque adeò videndi signum aliquod, quod faceret, erat curiositas. S. Lucas de Herode dicit cap. 23. *Erat enim cupiens ex multo tempore videre JESUM, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Utinam motus fuisset Herodes videre JESUM desiderio & spe salutis suæ, non cupiditate aut curiositate videndi aliquod signum. Sed Regi adultero, qualis erat Herodes, habens uxorem fratris sui Philippi, signum non dedit Dominus. Nempe margaritæ non sunt mittendæ ante porcos, ne fortè eas pedibus conculcent. Dominus non faciebat ad ostentationem signa & miracula; non faciebat ea, nisi quando aut gloria Dei, aut hominum salus id exigebat. Frustra ea fecisset JESUS coram Herode, qui cupiebat tantummodò eis pascere oculos, non animam: nullum ergò coram eo facit signum, magis eligens (ait S. Gregorius hìc) *à superbientibus despici, quàm à non credentibus vacuâ voce laudari.*

Vide in Herode, morem hominum sæcularium & politicorum, qui est, libentiùs videre nova, quæ oblectent, quàm audire salutaria, quæ moveant. Tu, quæ oblectent nova, aliis relinque; salutaria, quæ moveant, nempe, ad pietatem & virtutem, quære. Disce à JESU, qui personam aut purpuram Herodis non respexit, ut propterea signum faceret, nemini adulari, aut facere in

votum alterius, quod fieri non expedit, aut inutile futurum est.

III. Consideratio.

MIratur Herodes, JESUM nihil vereri personam suam, nihil revereri purpuram, nihilque eum facere in votum suum. Vereor ego, Domine JESU, ne Herodes Rex, tibi inde magis indignetur. At haud tibi curæ est, dignetur ille tibi, vel indignetur. *Interrogat te* Herodes, *multis sermonibus, & nihil ei respondes.* Domine, si Herodes te solus non moveat, ut respondeas quid, aut facias, moveat aut vel potius con-moveat adstantium nobilitas. Qui adstant, viri sunt regii, optimates sunt, magnates, selectissimi totius Galilææ proceres, Regem suum Jerosolymas comitati: sermonem si non mereantur integrum, vel verbum mereantur, aut extorqueant. Sed verbum nullum seris, nihil respondes, pisce perstas mutior. O Grande mysteriū! æternum patris verbum altum servat silentium. Si vel semel loquaris, Domine, clamabunt indubiè, & tibi acclamabunt omnes Joan. 7. *Nunquam sic locutus est homo*: vel Act. 12. *Dei voces, & non hominis.* At non erat, aut tempus, quando; aut locus, ubi; aut personæ, quibus judicabat aut convenire aut expedire, ut loqueretur. Nihil itaque JESUS, quidquid rogatus, quidquid interrogatus, quidquid blanditiis, aut minis actum, respondit: verbum, quid? murmur nullum ex ore ejus auditum est.

Rationes, ob quas JESUS interrogatus, nihil

nihil respondit, variæ sunt. 1. Ne verba sua, sacra utique ac divina, hominibus propinaret indignis, & qui ea fortè ad risus suos, ac cachinnos postulabant. Observat Christus, quod dixit Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus: neque mittatis margaritas ante porcos.* 2. Ne semen suum in ventum spargeret. Auditores futuri, partim erant aulici, partim hostes, partim Rex ipse Herodes. Primi in via erant positi, ubi conculcandum erat semen, & à volucribus devorandum. Secundi cor habebant petrosum, odio induratum, carens humore. Tertii cor spinosum habebant, ut si quid oriretur, facilè voluptatibus & deliciis suffocaretur. Quid miri, si semen non jaciat suum, ubi terra nulla bona est, ferendo fructui disposita? 3. Quia vel inania erant, vel ludicra, quæ interrogabantur, responsum à viro prudenti non merentia. Dicit Proverbiastes cap. 28. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Liceat mihi adjungere non inscitam quorundam piorum meditationem, JESUM ideo non respondisse Herodi, quia Herodes vocem ejus abstulerat, nempe Joannem Baptistam. Vox JESU Joannes erat Joan. 1. *Ego vox clamantis in deserto.* Herodes autem Joannem decollaverat.

Ecce, JESUS non dignatur alloquio suo hominem Principem, Regem Herodem. O quoties dignatus illo est homines plebæos, qui illum sequebantur turmatim, exeuntem nunc in deserta, nunc ad littora maris! O quoties sedebat nunc in montibus, nunc in agris, ubique loquens!

Neque loquebatur solummodò, quando turbæ multæ confluxerant, & in eum irruerant, ut audirent eum; sed & paucis, imò & uni non raró locutus est. Luc. 10. Loquitur uni Magdalenæ, sedenti ad pedes suos. Erat hæc mulier nobilis; sed & ignobili loquitur mulieri, ac quidem adulteræ, Ioan. 4. loquitur illi uni, secum ad fontem sedenti. Locutus est uni Nicodemo Ioan. 3. viro inter suos magno: locutus & cæco mendicanti Luc. 18. Herodem verò suo non dignatur alloquio: interrogatus ab illo, ne vel respondit.

Disce, personas non respicere, divitem & pauperem pari, pro utriusque conditione, habere loco. Ita Dominus. Prov. 3. *Cum simplicibus sermocinatio ejus*. Et tu simplex esto, humilis parvúsque in oculis tuis, & donabere præ Rege, interiore à IESU alloquio. Quippe pluris apud eum est pannosus humilis, quàm purpuratus superbus.

MEDITATIO XXXI.

JESUS apud Herodem accusatur, spernitur, illuditur.

PRincipes Sacerdotum ac Scribæ, accusatores JESU apud Pilatum, eum, quando mittebatur ad Herodem, secuti sunt, ùt personis, ita & accusationibus suis, usque in Herodis palatium. Erat hoc quidem infra eorum dignitatem, non tamen hoc curant illi. Adesse volunt, ne fortè præda illa eis elabatur. Steterant contra JE-

JESUM accusationibus suis apud Pilatum, stant nunc eis contra illum apud Herodem. S. Lucas dicit cap. 23. *Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ, constanter accusantes eum.*

I. Consideratio.

O Vos Sacerdotum Principes ac Scribæ, quid dicam de vobis? utì canes rabidi feram, ita vos Christum insectamini. Non elabetur vobis: vinctus est, multoque cinctus milite, qui eum custodiant. Metuebant tamen, ne Herodes, si quid fortè in gratiam ejus aut diceret, aut faceret, illum dimitteret. Sed Dominus nec fecit tale quid, nec dixit, & quidem interrogatus, non respondit. Hoc expendens Venerabilis Beda, dicit: *Dominus apud Pilatum pauca, apud Herodem nulla respondit. Justum erat, ut Pilato, qui invitus ferebat sententiam, aliqua in parte responderet: Herodem verò, & Judæorum optimates, qui contra legis suæ decreta, innoxium condemnabant, indignos suo responso duceret. Ubi ergò tacebat, quasi agnus pro toto grege immolandus, patientiam præstabat. Ubi respondebat, quasi pastor bonus, pro creditis sibi ovibus, contra luporum latronumque insidias pugnabat.* Hæc Venerab. Beda sapienter. Constanter illi JESUM accusabant apud Herodem; JESUS verò constanter apud illum tacebat. Totum JESU apud Herodem patrocinium, erat constans illius silentium. Principes Sacerdotum constantes, pertinaces dico, ferreique accusatores, sub quorum labiis venenum aspidum latebat, virus suum omne in eum evomunt: JESUS re-

cipit illud. Illi accusant, audit ille: illi loquuntur, tacet hic. Illi crimina ei exprobrant, calumnias illi in eum expuunt; vocem ille nullam edit. Sed, ô JESU, timeo: crimina, quæ tibi objiciunt, si non negas, dicent illi, quod admittas. At dicit S. Ambrosius hìc: *Quis compelleret ad loquendum, cùm silentium sufficeret ad vincendum?* O silentium JESU omni eloquentiâ facundius! omni clamore vocalius, omnique tubâ sonorius! ô silentium, quod ut omni lingua prædicetur, dignum est, dignumque, quod imitemur omnes!

O quàm veloces sunt ex nobis plures ad loquendum, & ad tacendum quàm tardi! secùs sanè quàm Apostolus Jacobus præcipit, dicens Epist: suæ Cap. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum.* Et quàm frequenter, qui ad loquendum veloces sunt, ore & linguâ offendunt! Tacere nesciunt. Sed dicitur Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est:* dictumque hoc, ùt præclarum celebratur inter Sapientes: *Tacere quisquis nescit, hic nescit loqui.* Observant aliqui, Deum homini aures dedisse apertas, nempe ut semper audire possit; linguam verò ei dentibus ac labiis, velut duobus claustris, circumsepsisse, ut nempe, velut tardior reddatur in loquendo. S. Chrysostomus dicit in Ps. 50. *Os nostrum perpetuò custodiamus, rationem ei velut clavem adhibentes.* Et S. Bernardus in punctis perfection: *Bis ad limam veniant verba, quàm semel ad linguam. Plus diligas audire, quàm audiri, ut interrogatio magis aperiat os tuum, quàm ad non interrogata respondere.* En,

En, Dominus noster, etiam interrogatus ab Herode, conticuit, nec verbum profert, quo se defendat. Interrogata ab Herode inutilia fuerint, & curiosa; siluit ergò ad illa, tanquam responso indigna. Tu disce à Christo, tacere opportunè, & opportunè loqui. Opportunè tacuit coram Herode, coram Pilato opportunè locutus est. Dedisce verò ab Herode inutilia & curiosa interrogare, aut quærere: quære utilia à Domino, rogáque eum, ut quærenti tibi, ad animæ salutem, & consolationem, respondeat.

II. Consideratio.

INterrogationes ab Herode JESU factæ, hæ putantur fuisse, aut similes; an fortè ipse esset Joannes Baptista à morte redivivus? an templum demoliri posset, & in triduo reædificare? an sui causâ parens ipsius infantes occiderit? &c. Herodes responso indignus, silentio tamen JESU offensus fuit, & indignans eum sprevit. Dicit S. Lucas: *Sprevit illum Herodes cum exercitu suo.* Considera hìc pia anima: JESUS, qui non minùs verè, quàm magnificè gloriatur Prov. 8. *Per me Reges regnant:* qui dicitur à Joanne Apoc. 5. *Princeps regum terræ*, ille ab impio ac sacrilego Herode, impiisque, impii Regis ministris spernitur. *Sprevit illum Herodes cum exercitu suo.* Sperni se, immeritè tamen, Herodes putabat à IESU, quòd responsum non obtineret ab eo; ergò, velut par pari reddendum, IESUM spernendum censuit. Non sprevit te, ô Herodes, Dominus, tibi non respondendo:

dendo: ex divino id consilio factum est ab eo, ex cujus vultu divinitas relucebat, & quam ex eo relucere, videbas. Tu eum spernis? Væ tibi: spernis tu in terris, quem Angeli honorant in cœlis. Forsitan etiam ideo Herodes sprevit JESUM, ut hoc acutiore telo eliceret ab eo, quod priùs non poterat verbo. Sed patientia Domini murus aheneus est, & inconcussus, nullo telo dejicitur. Pergit JESUS coram Herode silere: & pergit Herodes JESUM spernere. Homo superbe! quàm tuo id molestū animo, sicubi spernaris? ac præsertim id, coram aliis si contingat, excandescis vehementiùs: & si spernentem impedire nequeas, concidit tibi animus & exeditur. In JESUM respice: spernitur ille ab impio & sacrilego Herode, & coram toto ejus spernitur satellitio.

JESUM, spretum à Rege, sprevit & regius exercitus: id est, regium, nobile ignobile satellitium; numerosum & armatum, stipans latus ejus. Et non tantùm exercitus ille sprevit JESUM, sed & scommata, probra, dicteria in illum conjecit, volens despectum vindicare, quo regem suum affectum putabant. Ecquid magis obvium, quàm ut aulici regiique ministri imitentur exemplum Regis sui? spernebat IESUM Herodes Rex, quid ni spernant illum Regii ministri, aulici, Palatini? Genus hoc hominum est adulatorium, suis adulationibus à Regibus ac Dominis suis gratiam inire volentium. Audent, faciuntque quidlibet, si regibus suis gratum id fore arbitrentur. IESUS à summis Sacerdotibus, Anna &

Cai-

Caipha, interrogatus de discipulis, ac de doctrina sua, respondebat cum quadam quidem spiritûs libertate, sed & simul cum gravitate & modestia; unus verò ex ministris, gratum se facturum Dominis ratus, gravem ei impingit alapam. Ita & nunc Palatini Herodis, aliique ministri ejus, cum eo IEUM spernente, illum pariter spernunt, suisque & eum scommatis, probris ac dicteriis onerant. Aulici mores Principum suorum imitari, etiam in excessibus & vitiis, genus esse obsequii judicant. Quid? nunc illi IESUM, quia non respondet Regi, insanum ducunt ac stolidum. Quo tu, inquiunt illi, pariete excussus, aut quâ in hara educatus es? Nihil in te hominis, nedum humani aut urbani, qui nec verbo, dum interrogaris à Rege, eum dignaris. Si regiam non reverearis personã, regiamque majestatem, revereare potestatem. At stolidior tu, quàm ut hæc capias. Abi ergò, & cum scurris de trivio, tibi æqualibus, non cum viris regiis & honoratioribus, rem habe, homo tu agrestis & rusticus. Abi; sed mox, spretum illusumque, ùt insanus & fatuus, redi tu ad Pilatum. Hæc & similia scommata ac dicteria IESUS deverare debuit, & devoravit, nec propterea recessit à taciturnitate sua.

Imitare tu miles Christiane, exemplum tui Principis ac Ducis: & si quando ludibrio haberis, scommatis dicteriisque afficiaris, licèt gravioribus, devora: neque illa, quidquid alioquin amara sint, insipida tibi erunt, si Principem te tuum, ducemque in hoc imitari, recogites.

III. Consideratio.

ET quidem Herodes Rex JESUM, qui interrogatus licèt ab illo pluribus, nihil ei respondit, veste ridicula indutum, velut fatuum, ad Pilatum remisit. Ita S. Lucas Cap. 23. *Et indutum veste albâ .. remisit eum ad Pilatum.* Audis? Herodes JESUM, veste albâ indutum, remisit ad Pilatum, velut fatuum, ac mente captum, velut hominem risorium. Davidem hìc video, regio (2. Reg. 6) exutum paludamento, indutumque *Ephod lineo.* Non id curat David, Rex licèt, sed ait: *Vilior fiam.* Ita & IESUS Rex hominum & Angelorum, veste albâ indutus, velut fatuus, omnibus velut ludibrium factus. Ridetur à Rege, ridetur à Regio comitatu, ridetur à popello, fœceque hominum, à pueris quoque balbutientibus. At verò cum Davide, fieri vilior, paratus fuit. Exclamat hìc S. Bernardus: *Quantò* tu Domine, *pro me vilior, tantò carior.* IESUS erat ille, *in quo* (Coloss. 2.) *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*; qui & ipsa sapientia Patris; cujus, cùm puer esset duodennis (Luc. 2.) sapientiam mirati sunt Pharisæi, ac Scribæ doctissimi, hìc nunc velut qui mente captus est, amens, ac fatuus illuditur. Sed benè habet. Dicit Apostolus 1. Cor. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens; sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum.* Stultus & tu mundo sis, & apud Deum sapiens eris.

O Herodes, remittisne IESUM ad Pilatum, qui

qui ad te illum miserat ? remitt'isne illum à te ? certè, non hoc facturus esses, si scires, quis ille sit. Dicebat ipse olim mulieri Samaritanæ Ioan. 4. O mulier, *si scires Donum Dei: & quis est, qui dicit tibi &c.* Si & tu id scires, ô Herodes, non eum à te dimitteres. Est ipse, de quo dicit cœlestis Pater Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* ac ille, de quo Petrus Matth. 16. *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Et tu, Herodes ipse, etsi vocem non edat, si modò eum intueri velis, in ipso esse aliquid divinum, ac humano majus, facilè videbis. Frontis color constantissimus, vultûs amabilitas, dignitas oris, oculorum serenitas, corporis totius speciosa compositio, satis id supérque indicat. Frons, inquam, oculi, vultus, totaque corporis compositio, ex eâque sublucens majestas, eum supra hominem esse loquuntur. *Speciosus* ipse (Psal. 44.) *formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis ejus.* Sed eum tu agnoscere non vis, ut spernere possis, & ad Pilatum remittere, velut insanum amentémque hominem; indutum nempe albâ veste; non albâ, ùt in rupe Thaboræa Matth. 17., quæ tunc alba vestis, vestis erat gloriæ; hæc verò vestis alba, vestis est ignominiæ. Veste hac albâ Dominus indutus est, ut vestem innocentiæ, quam perdidimus in Paradiso, peccante Proto-parente nostro, recuperet, nobísque restituat illam.

Fac tu, pia anima, ut albam vestem tibi compares. Moneris Eccl. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Vestem, inquam, albam tibi compara, id est, mundam conscientiam. Si maculam

culam contraxeris, ora Dominum cum Regio Vate Psal. 50. *Aspergas me hysopo, & mundabor: laves me, & super nivem dealbabor*; maculam conscientiæ injectam, pœnitentiâ elues.

MEDITATIO XXXII.

JESUS ab Herode ad Pilatum remittitur.

HErodes Rex, desperans de obtinendo à IESU signo aliquo, atque etiam de obtinendo responso, remittit eum, cinctum eodem, quo missus fuerat, satellitio, ad Pilatum, contentus, se eum sprevisse, risisse, illusisse. Offensus quidem Herodes silentio IESU; minùs tamen quàm Pontifices, qui eum mortis reum pronunciabant; magis verò, quàm Pilatus, qui ex silentio IESU, prudentem ejus gravitatem admirabatur. Ex iisdem rebus alii aliis labuntur graviùs. Stultus & cæcus Herodes, IESUM coram se habens, nescivit quem habebat: thesaurum in eo habebat divinum, sed illum æstimator infaustus, ac, quasi inutile pondus, à se remittit.

I. Consideratio.

O Quantâ Dominus JESUS corporis sui defatigatione, duris ligatus, aut vel onustus vinculis, vias ambulat varias, raptatus tractusque! ô quot conficit itinera, inter varios clamores, opprobria, irrisiones, blasphemias, percussiones & fortè lapidum sordiumque injectiones,

pro-

prout insania solet ac furor insanientium & furentium popularium hominum! Totâ die ac nocte hàc illacque raptatur ac impellitur: nulla ei conceditur requies, dum nocte ab horto ad Annam, ab Anna ad Caipham perducitur, ibique inter ministros ac milites, ad lucem usque matutinam divexatur. Manè autem rursus trahitur ad concilium Judæorum; de concilio ad Pilatum, de Pilato ad Herodem, de Herode rursùs ad Pilatum. Si olim fatigatus circa meridiem (Joan. 4) *sedebat sic supra fontem*, quantò magìs nunc fatigatus est, post inquietudinem totius noctis, postque varias gravissimasque exagitationes: præsertim cùm sanguine penè omni jam ante exhaustus erat? Certè non imminuebatur rabies luporum, exagitantium hunc agnum, quin potiùs augebatur, in hoc jam quidem suo itinere per plateas publicas, publicaque urbis compita à prætorio Pilati ad aulam Herodis; & ab aula Herodis ad prætorium Pilati: ipsa vestis alba, quâ jam indutus erat, ludebaturque tanquam notæ ludio insaniæ, fœcem populi omnem evocabat. Domine JESU, unicum tibi adhuc restat iter, nempè ex prætorio Pilati ad montem Calvariæ, in quo infami suffigeris furcæ, spiritum vitamque tuam Patri in redemptionem, vitamque nostram, redditurus.

Quid verò ad hoc Pilatus? An fortè gaudeat, quod JESUM receperit, remissum sibi ab Herode? Haud id credibile est: gavisus indubiè fuisset, si Herodes negotium hoc, intricatum adeò & periculosum, suo tribunali reservasset, absolvissetque

ſerque. Et certè, Dominus non poterat vel facilè abſolvi, vel facilè condemnari: non abſolvi facilè, ipſis & Sacerdotum Principibus vel populi Senioribus, id eſt, ſacris ac profanis ex ſupremo magiſtratu viris, eum pertinaciſſimè ad pœnam poſtulantibus; neque facilè condemnari, quia totus innocens & innoxius, culpâ procul omni: neque enim qui innocens & innnoxius, quidquid ſecùs petatur, niſi nocenter condemnatur. Hinc Pilatus gratulabatur ſibi, gaudebatque in ſinu ſuo, quod JESUM poſſet, eò quod Galilæus audiret, mittere ad Herodem Galilææ Tetrachum. Et non minùs quidem Herodes viciſſim gaudebat, quod eum ad Pilatum, ceu cui tanquam ſuperiori judici, nomine Romani Cæſaris, cui Judæa ſuberat, gladium portanti, Iudæi judicandum tradiderant, remittere poſſet. Ecce, Pilatus vult Herodi, & Herodes Pilato ſanguinem juſtum propinare bibendum. Vult, inquam, Pilatus, ut Herodes: & Herodes, ut Pilatus, innocentem JESUM judicet, & condemnet, ratus uterque immunem ſe fore à ſcelere, ſi alteruter id faciat, Falleris, Pilate, licèt Herodes judicet, damnet, occidat, non ſufficit, ut à ſcelere immunis ſis, feralem ſententiam in innocentem non tuliſſe; reus eris, ſi innocentem tibi traditum, quantùm poſſis, contra injuſtas accuſationes, violentaſque ad pœnam poſtulationes non defendas.

Pilate, recepiſti jam JESUM, nunc quidem remiſſum ab Herode, ſed priùs tibi à Judæis traditum. Urgebere denuò ad damnandum illum majore, ùt videbis, quàm priùs violentiâ: vide etiam,

ut

ut justum te ostendas Judicem. Non à justitia abducant te vel Sacerdotum principes auctoritate suâ, vel Seniores populi, clamoribus suis, vel fœx plebis suâ multitudine: justum ac innocentem non opprimas, sed fortiter defendas. At quid te admoneo? paucis post horis patebit, quid facturus sis, & quam sententiam laturus. Stat interea innocens JESUS, sententiam suam, jussaque, Pilate, tua exspectans; sed eam, ipse Judex tunc futurus, revisurus est: æquè te tunc judicabit ille, si tu eum nunc iniquè judices. Te ergò rogo, Domine, ut, si nunc iniquum durumque patiaris judicium, me judices inde benigniùs, & justificer in conspectu tuo.

II. Consideratio.

QUis non miretur? *Facti sunt amici* (Luc. 23.) *Herodes & Pilatus, in ipsa die, cùm antea inimici erant ad invicem.* Factum hoc, quia Pilatus honorem detulit Herodi, consulendo juri ejus. Sìc beneficia devinciunt, & conciliant inimicos. Sìc Iacob [Gen. 32.] mittens munera Esau fratri suo, iram ejus fregit, sibique reconciliavit illum. *Facti sunt amici Herodes & Pilatus.* Duplex mysterium; unum, quod impii adversùs Christum, ejusque sectatores conveniant: sicque Hæretici impugnantes Ecclesiam, dæmones infestantes hominem justum. Alterum, quod passio Christi & mors pacem conciliaverit inter Judæos & Gentiles; adeòque quod primum & præcipuum Dominicæ Passionis officium fuerit, pacem adferre. Itaque statim à Resurrectione sua Chri-

Christus dixit discipulis suis, primo & secundo ad eos ingressu, *Pax vobis*. Voluit nos pacem habere cum Deo, pretium peccatorum solvit: cum conscientia, quam à peccato liberavit, & internâ gratiâ refecit: cum proximis, quos divinâ charitate, cordibus nostris infusâ, jubet diligi. Quoties igitur intestinum bellum in membris tuis sentis: quoties te vides pacem cum Deo amisisse; quoties proximum tibi adversantem advertis, aut odium proximi in te experiris, te protinùs ad Christi crucem converte, ut, qui est verus & unicus mediator tuus, tibi pacem cum omnibus restituat. Certè perfacile Deo est, componere pacem, animosque sedare maximè turbatos.

Ora igitur Dominum, ut reipublicæ Christianæ tranquillitatem adferat, bellorumque motus sedet, atque constantem Ecclesiæ reddat pacem.

III. Consideratio.

Pilatus, qui remissum ab Herode JESUM jam recepit, & causæ se illi libenter exemisset, sciens innocentiam ejus, & quod per meram invidiam, à summis Pontificibus sibi traditus esset; convocat ergò Pontifices illos: convocat magistratum & plebem, consultatque cum illis de JESU dimittendo pœnâ leviore affecto. Sìc ad illos ait Luc. 23. *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum: & ecce, coram vobis, interrogans, nullam causam invenio in eo. Sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte, actum est ei. Emendatum ergò*

illum dimittam. Herodes, tametsi in JESU nihil viderit morte dignum, non tamen eum innocentem liberavit, quod facere & potuisset & debuisset. Sed ad gratificandum Pontificibus, cæterisque Judæis, necem JESU postulantibus, remisso illo ad Pilatum, cognitionem causæ ei integram commisit. Ita fit, ut omnes studeant hominibus placere, pauci Christo. Vide, quemadmodum Pilatus, ita neque Herodes, causæ aliquid in JESU invenit, nedum quod mortem, aut vel vincula mereretur. Tu ad Christi imitationem sic vitam tuam institue, ut in mortis horâ nihil in te dæmones, dignum damnatione inveniant. Ita igitur quotidianâ conscientiæ discussione, crebrâque peccatorum confessione, animum purges, ut nihil nisi purum sanctumque tecum ex hac vita emigret.

Dicit Pilatus: *Emendatum ergò illum dimittam. Emendatum*, id est, leviore pœnâ castigatum. Sed, Pilate, cùm JESUS totus sit innocens, ùt tibi constat, nullius prorsùs noxæ reus, nec graviore nec leviore pœnâ castigari potest. Cogitat quidem Pilatus dimittere Dominum, sed castigatum; non quod castigari mereatur, sed in gratiam insanientium Judæorum, ac furentis plebis, ut castigatione ejus, flagellis indubiè & verberibus, sedentur. Sed Judæi, summi imi, sedari non poterant, nisi sanguine & nece JESU: sed eo sedatus est cœlestis Pater, motus in humanum genus, ob delictum primi hominis. Pilatus quidem meditabatur opus bonum, dum statuit IESUM dimittere liberum, non tamen

 purum,

purum, sed cui magnum malum, cujusmodi vel levis erat castigatio, admixtum erat. Atque eum tu imitaris, quoties bona quædam aggrederis, sed mixta peccatis aut vel imperfectionibus. Eleëmosynam das, sed ex pecuniis injustè partis: templum adis, sed ut videaris Religiosus, aut aliud quid facis intentione minùs rectâ ac integrâ. Eleëmosynam dare præstat ex partis justè pecuniis. Templum adi, ut honores Deum. Fac opera tua intentione piâ & sanctâ. Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Pilatus deficit paulatim à justitiâ, dum consentit in pœnam leviorem, quâ innocens afficiatur. Minora cavenda sunt, ne in majora devolvamur. Nemo repentè fit pessimus, quasi per gradus ascenditur ad culmen malitiæ. Pilatus non cavens leviorem damnationem incidit paulatim in graviorem & gravissimam. Cave & tu minora peccata, lapsurus alioquin in majora & maxima. Eccli. 19 *Qui spernit* (non cavet) *modica, paulatim decidet.*

MEDITATIO XXXIII.

JESUS Barabbæ postponitur.

PIlato, de liberando IESU cogitanti, hic occurrit modus imprimis opportunus, ut eum, cum insigni aliquo latrone, populo exponeret, datâ eis optione, ut quem liberatum vellent, eis illum donaret. Recepta erat consuetudo,

do, ut circa Paschale tempus, in memoriam liberati populi ex servitute Ægypti, unus ex vinctis ac incarceratis malefactoribus, restitueretur libertati. Pilatus itaque consuetudinem illam eis in memoriam revocat, IESU, & cum eo simul Barabbâ, homicidâ, Ducéque seditiosorum hominum, proposito, aítque illis Luc. 22. *Quem vultis vobis de duobus dimitti ?* Non dubitabat, quin IESUM petituri forent. Sed ecce, præter ejus opinionem & exspectationem, petunt Barabbam; qui & præ IESU dimissus est.

I. Consideratio.

BArabbas homo sceleratus & pessimus, qui Teste S. Marco cap. 15. *In seditione fecerat homicidium*: Teste S. Joanne cap. 18. erat *Latro*: teste S. Matthæo cap. 27. *Latro insignis*. Erat itaque Barabbas homo insigniter sceleratus; & propter insignia scelera sua conjectus in vincula, re nullâ dignior, quàm ut in infamem furcam ageretur, tollendus ex hominibus. Hunc Pilatus nebulonem, ex nebulonum grege haud postremum, educit è carcere, & producit in omnium conspectum, ratus eum omnibus, ubi illum conspexissent, diris devovendum. Cum eo componitur IESUS: IESUS, inquam, qui Prov. 8. *Melior est cunctis pretiosissimis, cui omne desiderabile non potest comparari*: IESUS, cujus minimus capillus capitis, dignior est, quàm bona omnia, quæ cœli terræque complexu continentur: IESUS, de quo S. Joannes cap. 1. *Cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam cal-*

calceamenti; & cui Isaias cap. 49. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Hic componitur cum Barabba, fure, trifure, prædone, latrone, homicidii ac seditionis reo. Proh immanem despectum, ac plus quàm stupendum! Autor vitæ componitur cum turbulento homicida; & indignaberis (erubesce tu arrogans ac superbe) si tibi quid de honore tuo, aut titulis detrahatur?

S. Matthæus narrat de Iesu cap. 17. *Assumpsit Petrum, Jacobum & Joannem, & duxit illos in montem excelsum deorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix.* Videbatur Iesus in monte hoc sub glorioso ac amabili schemate, ita ut Petrus raperetur extra se, ac cum Petro, Jacobus & Joannes. Videbatur ibi Iesus in medio virorum magnorum, Moysis & Eliæ, in gloriosis apparentium corporibus. Hìc nunc Iesus videtur in habitu lacero, ac figurâ tristiore, semi-fortè vestitus, vinculis constrictus, ac catenis alligatus: & certè non in medio magnorum virorum Moysis & Eliæ, sed à latere hominis scelestissimi, à latere Barabbæ, seditiosi homicidæ, quasi compar esset ac similis illi. Deus immortalis! optimus hìc nunc componitur cum pessimo: qui super Angelos in cœlis supremus est, cum hominum hìc omnium postremo, Iesus cum Barabba. Gaude tu Barabba, fœx ac scurra de trivio: gloriâ tu per hoc, Iesus verò ignominiâ.

utrimq;

utrimque maximâ, afficitur. Homines offenduntur passim, & ægrè admodùm ferre solent, si qui minoris sunt notæ, componantur cum illis, aut perindè cum illis æstimentur. Quid indè offenderis? quid id feras ægriùs? ecce componitur JESUS, hominum omnium & Angelorum dignissimus, cum seditioso latrone, homine maximè scelerato. Ferunt ægerrimè pii etiam sanctique non rarò viri, si quâ ignominiâ notentur, si quâ calumniâ petantur. Dicit Ecclesiasticus cap. 7. *Calumnia perturbat sapientem*, & Psaltes Regius Psal. 118. *Redime me à calumniis hominum.* At, num major JESU calumnia aut ignominia evenire potuisset, quàm ut componatur cum sceleratissimo latrone, cum pessimo Barabba? comparem huic illum, aut vel eo pejorem, quis non dixerit?

Haud ægrè feras, tu superbe, illatam tibi injuriam, aut impactam calumniam. JESUM intueare, cum Barabba infami publicoque nebulone compositum. Quod si facias, illatam injuriam, impactamque calumniam haud molestè, quid? libenter feres.

II. Consideratio.

PArùm est, Dominus JESUS non tantùm componitur cum seditiosorum duce & homicida, Barrabba, sed ei postponitur. Enimverò Pilato interrogante: *Quem vultis vobis de duobus dimitti: Barabbam an JESUM?* Respondet universa multitudo, uno velut ore, *Barabbam.* Proh cæcos insanosque electores! præ Jesu Barabbam,

abbam, id est, præ justo furem, præ Salvatore interfectorem, præ datore vitæ, vitæ ademptorem eligunt. Non hoc speraverat, aut vel exspectaverat Pilatus; sed vel magis ipse sibi electionem JESU promiserat, ac Barabbæ repudium. Videbat Pilatus non succedere medium, quod rebatur pro liberando JESU opportunum. Timeo, Pilate, tibi, arctiùs immisces te obstinatissimis istis hominibus. Majoris foret prudentiæ & minoris periculi, si exemplum Herodis imitatus, qui JESUM ad te impunem remisit, tu quoque eum ad Judæos, à quibus tibi traditus est, impunitum remitteres: & hoc nisi facias, videbis te non facilè expedire te posse à violentis eorum postulationibus, à quibus destituri non sunt, quibus desideratam à se postulationem tibi extorqueant. Et quidem timidioris animi tui signum paulatim prodis, cùm metuens displicere populo, eum, quem novisti innocentem, absolvere non audes. Vide, ne mox graviùs impingas, & à justitiâ penitùs discedas.

At quomodò fieri potuit, ut turba populi Barabbam præ JESU peteret? præ mortuorum resuscitatore, vivorum interfectorem? Pilatus haud sanè cogitarat, vel unum fore ex omnibus tam audacem impudentemque, ut Barabbam infamem latronem, & quo inter vinctos, qui plures erant, pejor nemo, dimitti vellet potiùs, quàm JESUM communem omnium benefactorem: & quem turba ipsa hactenùs, ùt communem benefactorem habuit, & visis tot ab ipso patratis miraculis, & ægrorum suorum curationibus, ùt talem

talem non potuit non habere. Dicit S. Matthæus: *Principes autem Sacerdotum & Seniores persuaserunt populo, ut peterent Barabbam.* Quid non potest principum auctoritas, præsertim cùm ad malum ducunt? & rursum quando tanto cum furore agunt? Si Pilatus illorum furore correptus est, ita ut non audeat facere, quod faciendum judicabat, quantò magis turba popularis? Dicit Pilatus ad illos: *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam aut JESUM?* Et addit disertè, *qui dicitur Christus.* JESUM disertè vocat *Christum*; nempe ut illos commonefaciat opinionis illius, quam hactenùs de JESU habuerant, quod Christus esset, velut sic digito illis ostendens, & suffragio commendans, quem vitâ donatum, ac libertati restitutum velle debeant. Sed & hic modus à Pilato adhibitus absque effectu fuit: pergunt porrò illi Barabbam petere.

Disce, auctoritatem superiorum valere plurimùm, sive in bonum, sive in malum. Mirare & populi ingratitudinem. Maximum suum benefactorem publico nebuloni postponunt. JESU compatere, qui postponitur illi, cum publica sua infamia; tuamque tu, si quæ tibi contingat, perfer, exemplo Domini, ignominiam.

III. Consideratio.

Judas JESUM vilissimo pretio Judæis vendiderat, nempe triginta argenteis. *Decorum*, (ait ipse JESUS Zach. 11.) id est, quasi nullum *pretium*. Judæi JESUM pretii adhuc minoris faciunt, dum illum Barabbæ, homini nullius frugis, adeóque & nullius pretii, postponunt.

O quot sunt ex Christianis hominibus, qui Iudæis similes, Barabbam præ IESU eligunt! Sunt, qui magis deflent amissum aurum, quàm amittendum cœlum; magis jacturam pecuniæ, quàm jacturam gratiæ. Sunt, qui magis student comparandis honoribus, quàm acquirendis virtutibus. Sunt, qui corpus curant sedulò, animæ vix curam habent. Sunt, qui ob ditiùs Matrimonium, ob pingue in magistratu munus, à fide abeunt, & sectam amplectuntur, vitæ temporariæ, non salutis æternæ soliciti &c. Hi similes Judæis, Barabbam JESU præponunt. Et vos, adolescentes, qui libellis delectamini impudicis, quibus pietas destruitur, piis post scamnum missis: qui canticis delectamini impuris, neglectis penitùs spiritualibus. O quàm frequentia illa sunt in promiscuis juvenum puellarumque cœtibus! Abest recreatio, nisi adsit impuritas, eáque ex verbis canticisque resultet. Libellos impudicos piis præponere, canticaque impura spiritualibus, est Barabbam præponere JESU. Non ita sit inter vos, JESUM præponite Barabbæ, quod erit, si cœlum terræ, animam corpori, cœlestia terrenis, virtutes vitiis præponatis.

Non satis est pessimis Judæis, Barabbam præponere JESU; sed sicut Barabbam postulant dimitti, ita JESUM postulant crucifigi. Interrogante Pilato: *Quid igitur faciam de JESU?* Clamant omnes, *Crucifigatur.* Non unus sic clamat, non alter, non aliqui, sed omnes sic clamant: vox omnium communis est: *Crucifigatur.* Acerbo Judæos hìc S. Chrysostomus perstringit laco-

laconiſmo, dicens: *Latrones petierunt latronem; Dominum autem crucifixerunt.* Exclamat & hìc contra clamantes illos, *Crucifigatur*, S. Anſelmus: *O iniquum judicium! bonus deſpicitur, & malus præponitur: Juſtus punitur, & peccator liberatur: Agnus occiditur, & lupus acceptatur: Vita deſeritur, & mors reſervatur.* Et S. Auguſtinus: *O cæcitas Judæorum! noli dimittere hunc* (JESUM) *ſed Barabbam. Quid fuit hoc aliud dicere, quàm occidatur ille, qui ſuſcitat mortuos, & dimittatur latro, ut occidat vivos?* Huic conformiter S. Leo dicit: *Interfectorum eligunt ad vitam, Salvatorem mundi petunt ad pœnam. Tanta eſt furoris eorum cæcitas, & inſania.* O qualis commutatio, ut Barabbas cum IESU committatur: ut Barabbas eligatur, Ieſuſque rejiciatur! ô quàm acerbo mœrore, in hac comparatione, cor IESU ſauciatur! Non abſimiliter facit peccator, qui Deum ſuum, & gratiam ejus, velut in bilance conſtituens, ex una parte, cum fœda voluptate, aut lucro, aut honoris puncto; ex altera parte Deum rejicit & gratiam Dei, peccatum autem præfert & eligit, deplorandâ profectò cæcitate.

Vide, Chriſtiane, & inconſtantiam hominum mundanorum, & eorum ingratitudinem. Paulò ante acclamabant ei Matth. 21. *Benedictus, qui venit in nomine Domini*: nunc, mutato clamore, non clamant, ſed vociferantur: *Crucifigatur*: & quidquid benefecerit illis, abjectâ omnis penitùs beneficii memoriâ, ſic vociferari pergunt. Tu fac conſtans ſis in amando & ſerviendo Deo, memor beneficii omnis, à te ab eo accepti, &

dignus reddêris, cui nova deinde à Deo beneficia conferantur.

MEDITATIO XXXIV.

JESUS iterum à Judæis ad crucem postulatur.

PIlatus, in sua adhucdùm persistens mente, quod IESUM innocentem, & quem sciebat per solam invidiam ad crucem postulari, liberare vellet, Iudæos rursus adoritur, dicens ad illos Marc. 15. *Quid ergò vultis, faciam Regi Judæorum?* Respondent Luc. 23. *Crucifige, Crucifige eum.* Pilate, non rectè consulis illos, quid tibi cum IESU faciendum sit: fixum eis est, illum ad mortem ac crucem postulare, non destituris, donec eum in crucem actum videant: alios consule, vel legis-peritos, vel æquitatis amantes, & dicent tibi, IESUM innocentem suæ libertati esse restituendum: aut, si mavis, consule conscientiam tuam, & dicet tibi perinde, (ringantur licèt, crepentque invidiâ adversarii) impunem abire debere. Tutiùs tu te, quàm alios consules.

I. Consideratio.

QUid hìc adfertur novi? Advolat nuncius ad Pilatum, sedentem pro tribunali suo, missus ab uxore ejus. At quid hæc illi? *Misit* (inquit S. Matthæus Cap. 27.) *ad eum uxor ejus, dicens: nihil tibi, & justo illi. Multa enim sum passa hodie per*

per visum propter eum. SS. Patres non conveniunt hìc inter se, aliis admonitam uxorem Pilati, per visum, à bono Angelo, ut maritum suum avocaret à damnando viro innocente; aliis verò eam admonitam à malo Angelo, ut mortem Christi impediret, sentientibus. Dicit: *Nihil tibi & justo illi*, q. d. Non te, marite, immisceas negotio cum viro hoc justo, ne condemnes eum, ad quod exigeris, missum eum à te fac, à pœna immunem, quam non meruit. Memineris te judicem esse, justitiam te debere administrare: atque ùt judicis est, nocentem plectere, ita ejus est, innocentem absolvere, liberumque dimittere. Vide verum ac pulchrum IESU epitheton, *justo illi*, quia ipse est justitia nostra, in se perfecta, justus sine omni injustitia, operaque edens undequaque justissima, quibus & iræ paternæ pro nobis satisfacit, & nobis exemplum imitandum relinquit.

Sed licèt uxor Pilati, per visum admonita, quin &, (ùt communior interpretatio est) multùm territa & afflicta, conata fuerit persuadere marito suo, ne se immiscendo penitiùs præsenti negotio, & malo gravi involveret, & periculo majoris exponeret; magis tamen moverunt eum minæ Iudæorum & terriculamenta. Quamvis igitur connisus sit ad Domini libertatē, dum rursùs affatur eos dicens; *Quid ergò faciam de JESU?* tamen non aliud potuit obtinere responsum, quàm illud: *Crucifige Crucifige eum.* Et quidem, licèt rursùs ejus alleget innocentiam: dicens ad illos: *Quid enim mali fecit? Ego nullam in eo invenio*

venio causam, nihil proficit, illis magis magisque clamantibus, *Crucifige, Crucifige eum.* Jer. 2. *Obstupescite cœli, & portæ ejus desolamini vehementer*, super duritie atque obstinatione populi Judæorum, justum ac innocentem JESUM, obstinatè adeò ac implacabiliter, ad crucem postulantis. Obstupescite & super pusillanimitate Pilati, JESUM, qui nihil (quod affirmat ipse) fecit, ac in quo causam non invenit ullam, propter minas ac terriculamenta insanæ plebis, dimittere non audentis.

Mariti hìc exemplum habent, ut auscultent uxoribus suis, æqua & justa suadentibus, si nescio quibus expositi periculis ac lapsui, ex ira, aliaque malâ fortè passione agitati in se proximi, de cavendis illis moneantur. Et pariter exemplum hìc habent uxores, ut viros suos, ubi admonendi sunt, non acerbè aut indignè moneant, sed suaviter ac blandè, alioquin nihil inde exspectandum est, quàm ut viri magis exasperentur, & excedant graviùs. Concitatos eos placare præstat, quàm placatos concitare.

II. Consideratio.

PIlatus, (quod jam supra observavi, & consideravi) ad Principes Sacerdotuum, id est, ad JESU traditores, accusatores, & ad mortem postulatores ait: *Quid ergò faciam cùm JESU?* quasi capturus ab eis consilium, quid cum JESU sibi faciendum sit. Pilate, vacillare incipis, & argumentum præbere haud leve, te duritiem eorum & obstinationem, in postulando JESUM

ad

ad crucem, non superaturum, sed iturum in votum eorum, quidquid eum innocentem rescias. Alterno velut æstu fluctuas, incertus, cui vento vela daturus sis. Vis JESUM dimittere, sed non vis inimicos ejus offendere: incertus ergò, quid vel lubeat, vel liceat, absolvas JESUM, vel damnes, dicis: *Quid faciam cum JESU* ? Adeóne, Pilate, JESUS res vilis est & abjecta, ut quasi ad omnia foret inutilis, nesciatur quid oporteat cum eo fieri? Quid faciam de hac re, peti solet de putido aliquo cadavere, de cane mortuo, aut vel de inutili terræ pondere, de cassa nuce, de re nauci, flocci, nihili. Fac cum Jesu, quod munus, quo fungeris, & quod est administratio justitiæ, à te exigit: & nisi hoc facias, parvi tu, ac nullius Judex audies animi. Timeo equidem, imbellis homo, ut hoc facturus sis; certè plus animi uxori tuæ, quàm tibi inesse videtur. Sed exitum præstolemur, quid facturus tu sis, brevì videbimus.

S. Chrysostomus ad hoc dictum Pilati, ita ait: *Ponit rem in eorum potestate, ut clementiæ eorum totum attribuatur, ita obsequio illos captans.* Sed incassùm: jam enim Principes in suo concilio decreverant, non desistere à postulatione sua, quâ eum in crucem actum volunt, tùm quia crux erat atrocissima, tùm quia & maximè ignominiosa, utpote apud Romanos, latronum, seditiosorum, tyrannorum, regnum affectantium & invadentium commune supplicium est, ut hâc nempe ignominiâ, omnem præteritam Christi famam, quæ sanè maxima erat, abolerent, atterent,

rerent, pessumdarent. S. Chrysostomus hic: *Quare tantoperè hanc ejus mortem affectabant? Quia*, inquit, *ignominiosa erat: veriti, ne ejus ergò postea memoria servaretur, hanc probrosam mortem elegerunt, nescii, quod cùm impeditur, magis apparet veritas.* Certè, nimis periculosum est, Pilate, ut hos præoccupatos homines, ac in suâ præoccupatione & malitiâ omninò obfirmatos, consulas, quid tibi cum JESU faciendum sit. An tibi alii desint consiliarii? an unus tu tribunal tuum conficis? eos consule, aut vel uxorem tuam, quæ multùm passa est propter ipsum, per visum nocturnum, à bono Angelo, ùt communior opinio est, excitatum; ex ea ab Angelo illustrata, facilè intelliges, JESUM, quidquid accusetur, quidquid damnatio ejus postuletur ac urgeatur, quidquid & accusatores potentes sint, esse innocentem, adeóque & impunè dimittendum.

Tu, ô anima pia, te ipsam interroga, ac consule, *quid faciam cum JESU?* IESUM accipis, quoties communicas: IESUM possides, possidebisque servatâ cordis munditiâ. O quot sunt, qui IESUM vix accipiunt, & eum mox ejiciunt! Cor cura habere mundum, dum IESUM accepturus es. Dic cum Psalte Regio Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus*, & rectè fructuoséque accipies; cor cura servare mundum, & IESUM retinebis in corde tuo. Ita fac cum IESU, & rectè feceris cum illo.

III. Con-

III. Consideratio.

PIlatus, Judæis, ad hanc suam interrogationem: *Quid faciam cum JESU?* vociferantibus, *Crucifigatur*, dicit ad illos: *Quid igitur mali fecit?* q. d. vultis, ut hominem hunc, à vobis mihi & traditum, & ad crucem postulatum, damnem, & in crucem agam: non id mihi licet, nisi & ipse; de malo à se commisso convictus sit, & ego de eo convincar: requirit hoc justitia, quam ego administro. Ego eum iterum iterumque & sæpius examinavi vobis præsentibus: nullum in eo malum inveni. Vos itaque mihi illud dicitote. Sed nullum prorsus malum, nullam vel levissimi mali umbram, proferre potuerunt. Agis adhucnum, Pilate, qualemcunque innocentis JESU Patronum: perge porrò, huicque tuæ inhæresce instantiæ, *Quid mali fecit?* Hærebunt muti, malúmque nullum, clament licèt & vociferentur, proferre poterunt: túque, indignentur licèt illi, frendeant, ringantur, eum absolvere poteris, liberúmque dimittere.

Dicit S. Matthæus. *At illi magis clamabant, dicentes, ut crucifigatur. Magis*, id est, vehementiùs. Pilato, innocentiam Christi magis magisque urgente, magis magisque instabant illi, ut cruci addiceretur, *Non deponentes*, ait Origenes hìc, *sed augentes iram, animositatem, blasphemiam.* Judæi contra innocentem JESUM impleverunt hoc Jer. 12. *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva: dederunt contra me vocem suam.*

ſuam. Et illud Davidis Pſal. 21. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens*, illudque Iſ. 5. *Exſpectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & juſtitiam, & ecce clamor.* Quæris, Pilate, *quid mali fecit?* reſponſum non accipis: nihil miri: nihil prorſùs fecit mali. Si interrogares: *Quid boni fecit?* in promptu foret reſponſio: fecit enim omne bonum: Marc. 7. *Omnia benè fecit*, idque vobis præſertim Judæis. Pſ. 147. *Non fecit taliter omni nationi.* Dicit S. Petr. Act. 10. *Pertranſiit benefaciendo omnibus.* Vos ipſi, non ſine admiratione confeſſi eſtis: *Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Dedit cæcis viſum, mutis loquelam, claudis greſſum, leproſis munditiem, quin & mortuis vitam. Quis boni aliquid ab eo aut unquam aut uſpiam poſtulavit, & repulſam paſſus eſt? meritò ergò, & conſcientiâ vos urgente, confitemini: *Omnia bene fecit.* Expoſtulat ipſe vobiſcum Iſ. 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Judaica ex ſtirpe prognatus JESUS, Judæos inter converſatus eſt, ipſis itaque magis quàm aliis proximus, magis quoque eis quàm aliis beneficus. Attamen Judæi eum ſublatum hinc & crucifixum volunt: *At illi magis clamabant, dicentes: crucifigatur.*

O quàm vox hæc, clamor hic, inquam & vociferatio, ab imis ſummiſque, à principibus & turba edita, *Crucifigatur*, animum JESU percuſſerit! Certè ob vocem illam barbaram, aut, ut veriùs dicam, ob tantum, tamque immane dilecti populi ſui ſcelus, magis quàm ob ipſum cru-

cis

cis tormentum, commotus fuit. Tu eum devotâ oratione solare, abrenunciatoque diabolo, pompisque ejus, totum te ei in servum, mancipiumque trade.

MEDITATIO XXXV.

JESUS flagellatur.

SAnct. Joannes dicit Cap. 19. *Tunc ergò apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit. Tunc*, id est, postquam Judæis dixerat, (ut nempe eorum in JESUM furorem exstingueret) *Corripiam eum, & dimittam.* Duæ fuêre causæ, cur ad flagellationem venerit Pilatus. Una, ut hominum illorum rabies, viso JESU sanguine, ex dilaniato verberibus corpore, undequaque depluente, aliquid mitesceret. Durissimũ adamantem liquefacit hirci sanguis. Altera, ut si non mitesceret, sed persisterent illi in sua postulatione ac malitia, flagellatio præmitteretur ad crucifixionem, ùt moris erat apud Romanos Tria hìc veniunt consideranda, denudatio JESU, alligatio ejus ad columnam, ac denique verberatio.

I. Consideratio.

DOminus IESUS, castissimus purissimusque, aut vel magis castitas ipsa & puritas, vestibus suis exuitur, ac denudatur ad flagellationem. ô quantâ ignominiâ! flagellari quidem ad sensum non poterat, ac cædi, nisi vestibus exueretur. Mysterium quis intelligit? Nostin' perso-

nam, ac quis sit? Est (Matth. 26.) *Filius Dei vivi.* Est unus, idemque cum Patre. Ioan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Atque adeò est ipse ille, qui operit cœlum nubibus, qui vestit arbores frondibus, terram floribus, campos gramine, aves plumis, quadrupedia lanis & pellibus: & ecce, hic ipse vestibus exuitur & denudatur. Et certè denudatio, si eam consideremus, fatebimur facilè, homini verecundiam adducere, præsertim ingenuo. Hinc Adam & Eva, licèt præter ipsos nemo adhuc in mundo esset, erubuerunt tamen ob suam nuditatem, & Gen. 3. *Consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata.* Et hoc quidem nō contentus Adam, abscondit se, cùm vocem Dei audiret. Et vide, ii, coram quibus nudatur IESUS, plurimi sunt; cohors militum integra, cum pluribus Pontificum servis; erant inimici & irrisores, homines erant viles & sordidi, ex quibus sanè denudationis verecundia maximè aucta fuit. Sed quam ob causam Dominus non ulciscitur tantam injuriam? cur inultè tantam fert ignominiam? Nonne Bethzamitæ (1. Reg. 6.) quia arcam haud tectam curiosiùs inspexerant, gravissimè, multâque morte puniti? Veram igitur arcam denudatam impunè aspiciant reprobi mortales, sordidi milites? Ita enim, inter alias injurias, hanc Dominus recenset specialiùs Ps. 21. *Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me.*

At verò ignominiam istam subire, ac sustinere voluit, ut fœdam illam nuditatem, quam humano generi peccatum Adæ adduxit, in se puniret; sic enim per peccatum nudatus est homo Dei

gra-

gratiâ, remansitque fœdus & abominabilis, ut boni nihil, quo apud Deum mereretur, præstare posset. Vestiendus itaque jam denuò erat homô gratiâ Dei: ut eâ vestiretur, nuditatem illam, quidquid inde verecundaretur, subire amavit, & subivit. Habes, Adam, jam nuditatis tuæ socium, ipsum Dei Filium. Si memineris, audivisti ex ore Dei in paradiso Gen. 3. *Adam, quasi unus ex nobis factus est.* Iam tu illi impropera: Ecce Deus, ecce Dei Filius, quasi unus ex nobis factus est. Ego homo, & Deus-homo: ego nudus, & Deus nudus. Et nos filii Adæ, nudi egredimur ex utero matris: sed tamen nudi non admittemur in regnum Patris. Illìc enim nudo dicitur illud Evangelii, Matth. 22. *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Et tunc dicet Iudex tortoribus: *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Qui ergò nudi nascimur, providendum est, ne nudi moriamur. Ut nudi non simus gratiâ Dei, virtutibusque cum eâ exercitis, atque adeò ut vestiti simus duplicibus (Prov. 31.) sicut domestici Dei, Dominus noster suam nuditatem subivit, ac sustinuit.

Et nos certè etiamnum Adamum Proto-parentem nostrum sequimur: peccare non erubescimus, erubescimus peccata confiteri, & vitam emendare. Compendio dictum sit. Admisit Dominus JESUS hanc nuditatem, ut per hoc nobis redderet vestem gratiæ, quam Proto-parens noster Adam perdidit. Ita eâ induare, ut Deus, qui priùs gratiam dedit nobis, det deinde & gloriam.

II. Consideratio.

DOminus JESUS alligatur ad columnam. Columnæ Dominum alligant sævi barbarique carnifices, ne fortè non ligatus elabatur ex manibus eorum & evadat. Proh vani homines! non vult ex manibus vestris elabi Dominus & evadere, alioquin non tenerent eum vel ullæ compedes aut vincula, funesque nulli: non vincula, inquam, crudelitatis. Vincula charitatis eum tenent, quæ sunt amor ejus, ex quo vult pati pro nobis & mori; atque nunc modò flagellis cædi. Quid teneret eum? Est ipse, *Ad cujus nutum* (Job. 26.) *columnæ cœli contremiscunt & pavent.* S. Laurentius Justinianus exclamat: *O charitas, quàm magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset.* Alligant JESUM columnæ, ut membra ejus omnia sic magis verberibus exponant, minúsque ille ictus declinare possit. Audio hìc Dominum dicere Psal. 37. *In flagella paratus sum*, non ea declinabo. S. Paulus Act. 22. Flagellandus loris adstringitur. JESUS, Dominus est rerum omnium, & ligatur instar servi. Job dicit de eo cap. 26. *Qui ligat aquas in nubibus*; imò qui & in manu sua ligatum tenet orbem terrarum, hic nunc ipse ligatur. Dicit de eo quoque Job cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me*; & hìc nunc ligantur manus istæ; ligantur, & ab impiis ac sceleratis hominibus. Neque ligatio hæc, fortis utique & immitis, absque gravi dolore fuit. Adstrictio

hæc

hæc fortior ac immitior (quis dubitet?) dolorem ei attulit multò maximum.

Sed quam ob rem, Domine IESU, ligari te permittis? An non jure optimo facere potes, quod Samson, quando ligatus à suis, tradendus erat Philistæis? Rupit ille (Judic. 15.) funes, sicut stupam. Imò verò, potes, sed non vis. Et funes quidem charitatis, quibus ligatus fuisti, fortiores sunt, quàm ut rumpantur. Verùm hæc tua vincula, Domine, rumpere non vis, ut solvas nostra. Vincula nostra sunt vincula peccatorum, quibus ligamur, ligatique velut victima ducimur ad macellum æternæ damnationis. Peccata itaque nostra, vincula sunt, quæ IESUM columnæ alligant, alligatumque tenent. Columna IESU, te memorem reddat constantiæ. Sta firmus in prosperis, ne efferaris. Sta firmus in adversis, ne dejiciaris. Sta firmus in amore IESU, nec sit, quod te ab eo separet. S. Paulus exclamat Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Plures palustres sunt arundines, quæ omni agitantur vento, non columnæ sunt, quæ ventum omnem excipiunt ac rejiciunt.

O ter felices nos, quorum vincula rupit, quorum, inquam, peccata solvit IESUS! quas nos ei reddemus gratias, qui ipsi peccata nostra solvere non potuimus? Huc velut nomine nostro respexit Propheta Regius, quando dixit Psal. 115.

Dirupisti, Domine, *vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

III. Conſideratio.

DOminus IESUS denique verberatur, verberatio verò illa flagellatio eſt: Ita S. Joan. Cap. 19. *Apprehendit ergò Pilatus JESUM, & flagellavit eum.* Adimpletur hìc, quod Dominus priùs ſuis diſcipulis, in ſuo versùs Jeroſolymam itinere dixit, Luc. 18. *Ecce, aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis &c. flagellabitur.* Flagellatio imprimis maximè probroſa erat, non enim niſi ſervi, & fœces hominum, aut ſcurræ de triviis flagellabantur. Acris etiam erat & acerba ſupra modum: quod ex eo facilè colligitur, quòd Pilatus eâ mitigare voluerit rabiem furoremque Iudæorum, ne porrò IESUM ad aliud ſupplicium depoſcerent. Accedit, quòd Pilatus præſcriptum verberum numerum obſervari non curârit, non enim licebat in flagellatione, ulteriùs quàm ad ictum quadrageſimum aſcendere: & quidem flagellatores, lictores & carnifices immitiùs agebant, quòd ſcirent, adverſarios ejus ita velle, acriùſque in eum ſæviebant. Ita Dominus ipſe Pſal. 72. *Fui flagellatus totâ die*, id eſt, indeſinenter, toto illo tempore, quo flagellatio duravit, tamque multiplicata, ac ſi die integrâ duraſſet. Pſal. 128. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Impletum & illud Iſ. 50. *Corpus meum dedi percutientibus.* Dominus IESUS inflicta ſibi in flagellatione vulnera ſuſcepit liben-

bentissimè in corpore suo, ut sic vulneribus animarum nostrarum mederetur.

Sed quid tandem est, quod immane hoc flagellationis tormentum non avertat à se Dominus? cùm indicet ipse Psal. 90. *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sanè Paulus à tribuno ad flagella expeditus, hâc eum absterrebat voce Act. 22. *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?* territus voce illâ tribunus, illicò eum solvit. Quid si dixisset Dominus, si hominem cælestem, & Dei filium flagellare vobis licet? Sed intellexit, non tam ex decreto Pilati judicis, quàm ex decreto Patris sui, sibi hanc esse impositam mulctam, ob redimendum à se genus humanum. At cur hoc ei vel à Patre decretum supplicium? Fuit id, ut à peccatis nos imposterùm absterreret. Enimverò si Deus ita sæviit in filium innocentem, qui peccata in se tantummodò sumpserat, quomodò non sæviet in servum, qui peccata ipse commisit? Si tam sævè, inquam, puniit peccatum alienum, quomodò puniet proprium? Vin' tu videre homo, quanta Deo abominatio sit peccatum, & quàm fœda anima sit, peccato inquinata? Inspice IESUM, flagellis concisum ob peccatum tuum, eúmque toto lividum cruentúmque corpore, & ipse peccatum horre. Is. 53. *Nos putavimus eum velut leprosum.* Hæc est forma, hæc species animæ peccatricis, quam Dominus in se recepit. Unde subdit Propheta: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Num adhuc peccare audebis?

addere hoc est Domino, super dolorem vulnerum suorum. Heu, qualis fuit morbus noster, qui tam terribili phlebotomiâ indiguit!

Arduum nobis est, hominibus obedire, malis præsertim ac discolis. Ecce tibi, filius Dei obedivit hominibus pessimis, à quibus nudari se, alligari, ac verberari, cædique acerbissimè passus est. Ardua nobis est patientia in doloribus, ac silentium in injuriis. Ecce tibi, Filius Dei, inter immanissima verbera æquo prorsus immotoque stetit animo, siluitque, quasi ignorans, quid ageretur circa se. Ps. 34. *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Imitare tu Dominum tuum.

MEDITATIO XXXVI.

JESUS spinis coronatur.

SUnt Imperatorum Regumque tria potissimùm insignia; diadema, sceptrum, purpura. Diadema gestant in capite, sceptrum in manu, purpuram toto induti corpore. Dominus JESUS (utì dicebant illi) Regem se dixerat. Milites ergò, qui illum flagellârant, conducti à Judæis, ùt Regi, sed ùt falso & ficto, ei illusum volunt. Itaque falsa fictaque Regis insignia ei tradunt. Tradunt ei diadema, quod capiti illius imponunt, sed ex spinarum vepriumque ramis contextum. Tradunt ei sceptrum, arundinem levissimam, quam colligatis ejus manibus inserunt. Tradunt ei purpuram, centonem coloris subrubri, detritum, seu chlamydem coccineam, quo eum circumdant: atque ut nihil desit falsæ fictæ-

que

queillusioni, eum salutant, flexo ante illum poplite, dicentes: *Ave Rex Judæorum.*

I. Consideratio.

O Amarum ludibrium, ferumque contemptum! Dominus JESUS hìc velut publicus ludio exponitur: Ludio quidem, qui Regem repræsentet. Faciunt hoc ita petulantes milites, ut simul illum, plus quàm immani barbarie, affligant. Dicit S. Matthæus Cap. 27. *Plectentes coronam de spinis, posuerunt illam super caput ejus.* Milites Romani, barbari, inquam, carnifices, flagellato JESU, coronam spinis vepribusque horridam, vertici ejus imponunt, aut vel magis, vi non levi, cerebro imprimunt. Certè incredibilior hæc barbaries est, quàm ut fidem quis facilè adhiberet, nisi S. Evangelista, narrator infallibilis, assereret. Coronæ ex auro gemmisque contexuntur; hæc autem ex spinis, vepribusque contexta est. O immane, ac inauditum hactenus tormenti genus, ac quod vel solo auditu tormentum est! Corona imponitur, quid? vertici ac cerebro imprimitur, ex spinis utique pungentissimis. Mentem pungit pii, imò & impii hominis, illius vel sola recordatio. Vox hominum mundanorum est mundanis se perluentium deliciis, Sap. 2. *Coronemus nos rosis*: deliciis mulceamus nos, & nutriamus. Dicunt id, & faciunt: in mundi deliciis ac voluptatibus dies noctesque ducunt, vitulantur, nepotantur. De die rident inter rosas; de nocte jacent inter plumas. In mensa sunt inter epulas, in foro inter

fabulas, ubique inter voluptates & delicias. Vos voluptuosi, vos delicatuli, rosis coronamini, & Dominus vester JESUS coronatur spinis ac vepribus. Dicit S. Bernardus non uno in loco: *Non oportet sub spinoso capite, membra esse delicata.* Neque membra estis spinosi capitis, nisi & spinarum aliquid in vobis sit. Absit itaque vox hæc mundanorum: *Coronemus nos rosis.* Spinis, ô anima pia, par quoque est, ut quandoque coroneris. Sed audite S. Brigittam, coronationis Domini acerbitatem, ex revelatione B. Virginis sibi factâ describentem Lib. 1. Revel. Cap. 10. *Aptaverunt*, ait, *coronam de spinis capiti ejus, quæ tam vehementer verecundum caput filii mei pupugit, ut ex sanguine fluente replerentur oculi ejus, obstruerentur aures, & barba tota decurrente sanguine deturparetur.* Et lib. 4. cap. 70. *Et tunc corona spinea capiti ejus arctissimè imposita fuit, quæ ad medium frontis descendebat, plurimis rivis sanguinis, ex aculeis infixis, decurrentibus per faciem ejus & crines, & oculos & barbam replentibus, & quasi mihi nil nisi sanguis totum videretur, nec ipse me adstantem cruci videre potuit, nisi sanguine expresso, per ciliorum compressionem.* Addo S. Bernardum dicentem Tract. de Pass. Domini: *Mille puncturis corona spinea speciosum ejus caput divulneravit.* Origenes: *In hac spinea corona suscepit Dominus spinas peccatorum nostrorum, intextas in capite suo. Est enim*, ait Hilarius, *aculeus in spinis, ex quibus Christo victoriæ corona contexitur.* S. Hieronymus non minùs præclarè quàm

quàm breviter: *Spinis coronatus est Christus, ut nobis regni diadema compararet.*

Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis suæ.* Egredimini animæ Christianæ, & videte IESUM, Regem vestrum, non in aureo gemmeóque, sed in spinoso diademate, quo eum coronavit impia Synagoga: videte triumphum coronationis ejus, & rosis nolite coronari, spinis coronemini, ad exemplum Ducis vestri. S. Catharinæ Senensi Christus obtulit duas coronas; unam spineam, alteram gemmeam, dans ei optionē eligendi, utram mallet, sed hâc lege, ut si unam eligeret in hac vita, alteram ejus vice acciperet in futurâ. Mox illa accipiens spineam de manu Christi, eam capiti suo infixit adeò validè, ut per plures dies capitis dolores senserit; ideóque jam pro spineâ coronâ gemmeam in cœlis recepit. S. Agapitus Martyr, cùm 15. tantùm esset annorum, & capiti ejus prunæ ardentes imponerentur, memor spineæ Christi coronæ, exultans dicebat: *Parùm est in terrâ caput aduri, coronandum in cœlo. Quàm decorè corona gloriæ ornabit caput afflictum pro Christo!* Idem cogita tu, si spinæ tibi sint molestiarum & tribulationum in hac vitâ.

Eja, ô anima Christiana, per coronam spineam acquirenda est corona gloriæ. Neque spinas hujus sæculi adeò deinceps timere debemus, quia Dominus ac dux noster JESUS, spinis coronatus, velut aculeum ab eis, & acrimoniam abstulit.

II. Conſideratio.

HAud ſatis fuit luſoribus illis inſolentiſſimis, barbariſque tortoribus, irridentibus JESUM velut falſum fictumque Regem, imponere coronam ex ſpinis vepribuſque contextam, eamque capiti ejus altiſſimè infigere: ſed & alterum inſigne regium, quod ſceptrum eſt, ei in manus inſerunt, arundinem, ex lutosâ, neſcio quâ, palude allatam. S. Matthæus dicit: *Et arundinem poſuerunt in dextera ejus.* Regem, inquiunt, dixit ſe, regnum affectavit; regia itaque inſignia geſtet. Coronæ ergò ludicræ, ludicrum ſceptrum addunt. O ſceptrum decoris, & diadema ſpeciei! Domine JESU, tu *ſplendor* es (Hebr. 1.) *& figura ſubſtantiæ Patris*, quem non minùs quàm Patrem tuum, velut Regem ſuum, ſuſpicit ac veneratur curia cœleſtis; & nunc quaſi fictus falſusque Rex, à falſis impiiſque hominibus, veſtitus ficto falſoque Regis ornatu, ridêris & luderis. Rident coronam tuam, rident & ſceptrum tuum, & te rident ac decachinnant in utroque. O quantâ gravitate, quantâ, ac quàm Angelicâ modeſtiâ, inter ludicras illas illuſiones & irriſiones ſe gerit Dominus! immotus corpore, immotus animo, modeſtus vultu, oculis ſubmiſſus. Immotè priùs modeſtéque ſuſtinuit pœnam coronationis ſuæ: atque nunc pariter immotè, ludicram in manus recipit arundinem, modeſtéque eam gerit. Ludunt te, Domine, petulantiſſimi nebulones: rident te & decachinnant. Volupe hoc tibi eſt; vanos ſic, ſe jucundan-

dantium & pergræcantium hominum cachinnos, risusque impudicos redimis.

At cur vos vani impiique Judæi, lusores risoresque Domini, sceptri loco Regii, in manus ei tradatis vilem levemque arundinem? Sceptra regia ex ebore auróque fiunt; arundines nascuntur ex luto. Sceptrum ex ebore & auro, signum est stabilitatis & constantiæ. Arundo, quæ vento agitatur omni, signum inconstantiæ est, & levitatis. An ludendo Dominum, tradendoque ei in manus levem mobilemque, ad omnem ventum, arundinem, inconstantiam ei ac levitatem exprobrare velitis? Erratis vos, & gravissimè erratis; nihil inconstantiæ, nihil levitatis in eo est, in suis omnibus, quæ agit, constantissimus prorsùm ac planè stabilis. Coronam ex spinis vepribusque aculeatissimis, si ita vobis adlubescat, vertici ejus imprimite arctiùs, auctis inde, si fieri potest, doloribus. Arundinem ei non tantùm in manus tradite, sed & illâ caput corpusque percutite; nova in eum exspuite phlegmata, novisque ei illudite sannis; nihil inde movebitur: consistet, sicut consistit, gravis modestusque, vultu nihil inde tristiore: & quidem sputis illis & phlegmatis facies ejus Angelica magis decoratur. Augete, si potestis, illusionum ac irrisionum genera, nihi ei constantiæ aut stabilitatis inde decedet, ut frustra in spem istius, arundinem levem mobilemque, ei sceptri loco, in manus tradatis.

O vos homines Christiani, Arundines ne sitis, qui vento moveamini inconstantiæ ac levitatis; estote constantes ac stabiles. Arundo est, quisquis

quis fidem suam orthodoxam, vel ob lauta quorundam promissa, vel ob blanditias vel minas, mutat. Arundo est, qui vel ob laudes hominum officia pietatis colit, & ob risum aliorum ea omittit. Arundo est, qui mox prosperis elevatur, mox adversis dejicitur. Arundo est, qui credit, discreditque, prout sparsus inter vulgus fert rumor. JESUS, Dux vester, suo vos docet exemplo constantiam ac stabilitatem, talesque vos facitote, ut sitis, in fide præsertim, ut in ea stetis constantes & stabiles, ac perinde in virtute, studioque ejus, quo fides roboretur, vivaque reddatur ad salutem.

III. Consideratio.

TErtium insigne regium, purpura est, seu purpurei coloris paludamentum. Ecce, JESUM, ne quid desit ad ludibrium, simul ac ad doloris sensum, lictores vestibus, vulnera utique, quibus pannus inhærebat, renovantes, exuunt, chlamydemque ei coccineam, seu detritum quempiam centonem subrubri coloris injiciunt. S. Matthæus dicit Cap. 27. *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Exutus fuit Dominus vestibus suis ante flagellationem, quâ peractâ, iis denuò indutus est; iisque exutus iterum, ut coccinea chlamys ei injiceretur. Color coccineus colori purpureo simillimus est, unde & subinde purpureus dicitur. S. Marcus dicit Cap. 15. *Purpuram.* Ecce JESUM, ô piæ animæ, Regem vestrum! Diadema gestat in capite, sed ex vepribus sentibusque contextum. Sce-

ptrum

ptrum gyrat manu, sed palustrem arundinem. Pallio circumdatus est purpureo, sed detrito sordidoque. Quin totum Jesu corpus purpureum est, ex purpureo sanguine undique per illud depluente, ut sanguisugæ illæ bestiæ in JESU non nisi sanguinem videant, quo se exsaturent, ac barbariem sedent, si ea sit, quæ sedari possit.

Dominum nostrum JESUM, rectè suspicimus & aspicimus, ùt virum bellatorem, bella nova gerentem. Et sanè bellare venit, & debellare dæmonem, hostem generis humani communem. Bellator ipse fortis, ad quævis & patienda, & facienda validus. Arenam sibi delegit singularem, ut cum hoste illo manus conferat, & palmam reportet. Chlamys ei injecta, ceu quæ vestis militaris est, eum militem repræsentat: corona spinea repræsentat galeam, arundo hastam: opprobria, sannæ, sputa, ipsa sunt militis Christiani exercitia, ceu prælia. En, Dominus Jesus, Dux tuus armatur ùt miles, novâ armaturâ, cum hoste dæmone pugnaturus. Pugnavit, vicit, triumphavit. Et tibi, Christiane, cum eodem hoste pugnandum est: paria tibi arma sint, ut par sit victoria, par triumphus. Dicit Apostolus Eph. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli... State ergo... induti loricam justitiæ, & galeam salutis assumite, & gladium spiritûs.* Hæc arma sunt Christiani hominis: arma spiritualia, *contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* His pugnet miles Christianus, pugnet fortiter ac strenuè: pugnet, ut vincat, ac triumphet. Vide collecta plura illusionis genera. Dicit

Mat-

Matthæus: *Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.* Pergit: *Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* S. Joannes dicit: *Veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Judæorum.* Accedunt ad eum, velut ministri ad Regem, rogaturi, sed per ludibrium, num quid curatum vellet. His similes sunt, qui Christum confitentur ore, negant autem factis: qui externo quidem corporis gestu Deum colunt, animo verò in superbiam, libidinem, aliaque vitia delati, à vero Dei cultu alieni sunt; atque hi Dominum, cum Judæis, fictè salutant. Sed cave, Deus non irridetur. Verâ tu, pie Christiane, animi demissione & candore versare: Regem eum habe, à quo & nunc regaris, & post, ejusdem cum illo regni particeps efficiaris.

MEDITATIO XXXVII.

JESUS à Pilato ad populum producitur.

PIlatus JESUM, gestantem & spineum diadema in capite, & sceptrum arundineum in manu, & purpureum centonem in toto corpore suo: parùm est, bacillis primùm, loris deinde, scorpionibusque, & non tantùm virgis, cæsum concisumque, ad populum producit. Stabant ante prætorium Pilati, Principes Sacerdotum ac Seniores populi, non parvo numero. Stabat ante illud & confertissima imorum multitudo hominum:

num: stabant ibi, inquam, summi imique Judæi, exspectantes omnes JESUM, foràs à Pilato producendum. Hoc cùm sciret ille, Jesum in theatrum adducit sublimius, & in quod per gradus multos ascendebatur, eumque omnium conspectui exponit. S. Joannes dicit Cap. 19. *Exivit iterum Pilatus foràs, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foràs* &c. Domine Jesu, fili Dei, redderis hìc nunc *spectaculum* (1. Cor. 4.) *Deo, & Angelis, & hominibus.*

I. Consideratio.

DOminus Jesus, Dei Filius, spectaculum imprimis redditur Deo, Patri suo. Hic Filium suum JESUM, publico in theatro, diademate spineo, sceptro arundineo, centoneque purpureo adornatum, sed & flagellis ac scorpionibus dilaniatum laceratumque intuetur; non parùm commotus (si qua in eo commotio habere potest locum) lugubri hoc, dignoque commiseratione spectaculo. Nôstis historiam de Joseph Gen. 37. Filii Jacob fratrem suum Joseph vendiderant Ismaëlitis: persuasum verò volentes illi patrem suum Jacob, Joseph filium invasum à leone vel urso, devoratumque, tunicam Joseph ei, sed tinctam hædi sanguine, obtulerunt. Ita sacer textus: *Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinctam, dicentes: Vide, utrùm sit tunica filii tui, an non? quam cùm agnovisset pater, ait: tunica filii mei est: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph; scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium*

ſuum multo tempore. En, Jacob pater, intuens tunicam filii ſui Joſeph, laceratam dente feræ beſtiæ, utì putabat, & ſanguine reſperſam, ratus inde filium ſuum invaſum devoratumque, commiſeratione non levi tactus, in luctum graviſſimum lapſus eſt. *Deſcendam*, inquit, *ad filium meum, lugens in infernum*: neque mirum; viſceribus paternis luctus hic conveniebat. Deus Pater de ſummo cœli vertice ſuum hìc nunc intuetur filium, ſublimi in loco, in alto theatro, à Pilato collocatum. Videt, non tunicam ejus ſanguine tinctam, ſed corpus ejus, cutem, inquam, videt, toto ubique corpore laceratam, ſanguineque reſperſam. Videt filium ſuum, totum plagis conciſum, taboque horridum, & immota ejus arbitremur viſcera? Haud ſanè: ingenti commiſeratione tangitur, luctuque afficitur ingentiſſimo.

Domine JESU, videndum te aliquando præbuiſti in monte thaboræo; ſed quàm alio ſchemate, quàm quo te videndum præbet Pilatus in hoc theatro ſuo? In monte thaboræo (Matth. 17.) *Reſplenduit facies tua, ſicut ſol*, Facies fulgentiſſima ipſum facilè fulgore ſuo ſuperabat ſolem; in theatro Pilati, facies hæc, tumens verberibus, ſputis ac phlegmatis, aliiſque putidis pectoris oriſque excrementis conſpurcata, totaque obducta erat. In monte Thaboræo, *veſtimenta tua facta ſunt alba ſicut nix*, quin & ſuper nivium candorem candeſcentia; in theatro Pilati veſtimentum illud vile, tritum, lacerum, ſanguine taboque ſordidum. In monte Thabo-

boræo, medius eras inter Moysen & Eliam, viros longè maximos; in theâtro Pilati medius inter lictores & carnifices, nebulonum fœces. In monte Thaboræo spectabant te Petrus, Jacobus, & Joannes stantes ante te; in theatro Pilati spectabat te summorum imorumque hominum confertissima multitudo, qui in forum, quod, illic amplissimum erat, ad spectandum accurrarant. In monte Thaboræo Petrus videns JESUM ante se transfiguratum, raptus extra se, cum Jacobo & Joanne, exclamabat: *Domine, bonum est, nos hìc esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula*; in theatro Pilati qui videt JESUM flagellis cæsum, scorpionibus discerptum, vulneribus plagisque obsitum, solo visûs horrore percellitur.

Sed ecce in monte hoc auditur hæc vox Patris illius: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Videbat Deus Pater filium in monte illo transfiguratum, & suum eum esse filium, utì & in Pilati theatro, agnoscit. Sed & utrobique in filio, quod placitum sibi, videbat. Placebat Patri utrobique in filio *Obedientia*: placet & in eo *Humilitas*. Philipp. 2. *Humiliavit se, factus obediens.* Obediens, ingressus jam in mundum usque ad extremam inopiam: humilis usque ad extremam ignominiam. Placebat Patri in filio *Charitas* ejus in humanum genus: & quidem in tantum illud diligit, ut pro salute ejus tormenta quælibet pati, omnemque subire ignominiam, ac mortem ipsam ignominiosissimam subire amet. Placet Patri in filio *Mansuetudo*, quâ beni-

gnum se omnibus, moderatumque exhibet. Placet Patri in filio *Patientia*, quâ mala quælibet & patientissimè toleravit, & admirabili silentio ad omnem injuriam, ac convitium omne conticuit.

Tu, ô Christiane, JESUM, qui spectaculum factus est imprimis Patri suo, imitare in certatibus, & sibi quoque in te Pater complacebit.

II. Consideratio.

DOminus JESUS, Dei filius, factus & spectaculum Angelis. Angeli JESUM in theatro à Pilato collocatum, sed & totum plagis concisum, suoque toto corpore madidum sanguine, intuentur. Vos alloquor cæli Principes, nobilissimi spiritus. Ecce hìc à Pilato foràs productus est, & omnium conspectui expositus, concisus vulneribus, corpore toto sanguine perplutus, taboque horridus. Filius est Regis vestri: idemque ille, cujus vos, in Nativitate sua, gloriam publicastis, super cujus ascendistis & descendistis verticem, cui ministrastis in eremo. Quid? JESUS est, in cujus vultum desideratis semper, & desideratis respicere. Quid videtur vobis? num sibi adhuc similis? num adhuc noscatis eum? num *speciosus* (Ps. 44.) adhuc *formâ præ filiis hominum?* Videor audire vos respondentes Is. 53. *Non est species ei, neque decor. Vidimus eum, & non erat aspectus. Et quasi absconditus vultus ejus. Et nos putavimus eum, quasi leprosum.* Ita est, ô Angelici spiritus: omnis forma

forma ei, decor omnis ac species, à sordidis illis hominibus ablata est: vultus ejus sputis obsitus est totus ac phlegmatis, totúsque absconditur. Sed cur non & vos, ad illatam Domino vestro inhumanam hanc ac barbaram prorsùs injuriam dicitis Luc. 9. *Vis, dicimus*, Domine, *ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* digni sunt, in quos flamma desæviat, aut fulgure qui afflati, ac syderati è vestigio intereant. Principes quinquagenarii ad illatam Eliæ injuriam (4. Reg. 1.) aut vel ad salutationem minùs honorabilem, illicò cœlesti igne interière.

Quid tu, ô Propheta Isaia? Ais Cap. 33. *Angeli pacis flebant amarè.* Vident illi JESUM, gaudium suum, & dolent, quod tam tristi eum, dolentique schemate videant. Vident eum illusum irrisumque, ùt regem ludicrum, ludicris insi nibus, coronâ, sceptro, purpurâ, ridiculè ad natum; vident eum virgis cæsum, scorpioni concisum, totoque ubique corpore sanguine boqne horridum: silici excuterentur lacrym Quidni fletis vos ô Angeli, & amarè fletis? A geli videbant aliquando JESUM, jacentem i præsepio, & cantabant per aëra: *Gloria in excel sis] Deo*: at nunc cantare nequeunt; ea JESU nunc facies est, ut ad fletum adigantur amariorem. Vident eum millenis affectum injuriis, millenis obsitum vulneribus, ac tantùm non penitùs dilaceratum & discerptum. S. Propheta Job spectatores habuit amicos, qui ad eum excurrerant consolatum: vident eum sedentem in sterquilinio, à capite ad talos usque ulceribus ple-

num. Audiunt lamentantem (Job. 19.) *Misere-mini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Ecquid illi? ad ingentem, suprà quàm quis crederet, commiserationem commoti sunt. Job. 2. *Ploraverunt, scissis vestibus, & sparserunt pulverem super caput suum.* Et quidem adeò hi commoti turbatique sunt, ut vox eis ac loquela adempta fuerit. Vers. 13. *Nemo loquebatur ei verbum.* Angeli vident Dominum, non in sterquilinio sedentem, sed stantem in theatro; non ulceribus, sed vulneribus plenum; non voce, *Miseremini*, sed ipso corporis schemate, ad commiserationem provocantem audiunt: quid ni & commoti sint ad fletum? *Angeli pacis flebant amarè.*

Tu &, ô pia anima, JESUM hìc intuere, contemplare ejus vulnera. Saxum est, non homo, du vel omnem exutus est humanitatem, & hucis pitatis sensum, qui hìc non commovetur. tu mpatere Domino, tuumque cum Angelico id tum misce.

III. Consideratio.

DOminus JESUS, Filius Dei, spectaculum factus est hominibus. JESUM à Pilato in theatro expositum intuiti sunt & homines, plurimi quidem, & tantùm non innumeri, imi summi, probi improbi, pii impii: Et inter pios, ipsa quoque [quis dubitet?] Maria mater ejus. Maria mater JESU, cum cœtu paucarum aliarum, sed piarum mulierum, huic spectaculo interesse voluit, sicut & mox ejus adstitit cruci. Ma-

ter

ter JESU Maria, JESUM filium intuens, totum vulneribus, totum sanguine conspersum, dixerit, repetieritque intrà se: Hiccine filius meus, quem utero meo gestavi novem mensium spatio? quem enixa sum? quem lactavi ubere meo? quem meis toties complexa sum ulnis? quem & in amplexus justi Simeonis, velut pignus sacratissimum, aliquando deposui? quem in sinu meo, dum recèns natus erat, Orientium adoraverunt Magi? Quem perditum in Jerusalem, dolens quæsivi, ac gaudens inveni in templo, sedentem in medio Doctorum Tu, ô fili, speciosus semper præ filiis hominum: ubi jam species tua, ubi decor tuus? ubi cæsaries speciosa? tota jam illa tabo compacta est. Ubi frons tua, majestate plena? ubi radiantes oculi? ubi aureum os tuum, orisque tui dulce eloquium? ubi genæ rosis rubicundiores, liliis candidiores? Manus tuæ ubi sunt, solo alioquin ægros sanantes attactu? Eheu, sortem inversam! Inversa & eversa sunt omnia. Manus nunc vinculis constrictæ: genæ alapis tumidæ, os contusum, oculi tantùm non eruti, crines evulsi, frons tota, totaque facies sputis ac phlegmatis contegitur. Quid plura? decor omnis, omnibus in membris, dissipatus est, totusque evanuit, aut vel potiùs in horrorem abiit. Sensus indubiè matri gravis fuit, quando olim filium suum vidit inter animalia, mansueta licèt, bovem inter & asinum, Bethlemitico in stabulo, vagientem. At verò nunc sensus ei gravissimus est, cùm videt eum inter scurriles nebulones, ferosque carnifices, plagis conci-

Matthæus: *Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.* Pergit: *Et exſpuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* S. Joannes dicit: *Veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Judæorum.* Accedunt ad eum, velut miniſtri ad Regem, rogaturi, ſed per ludibrium, num quid curatum vellet. His ſimiles ſunt, qui Chriſtum confitentur ore, negant autem factis: qui externo quidem corporis geſtu Deum colunt, animo verò in ſuperbiam, libidinem, aliaque vitia delati, à vero Dei cultu alieni ſunt; atque hi Dominum, cum Judæis, fictè ſalutant. Sed cave, Deus non irridetur. Verâ tu, pie Chriſtiane, animi demiſſione & candore verſare: Regem eum habe, à quo & nunc regaris, & poſt, ejuſdem cum illo regni particeps efficiaris.

MEDITATIO XXXVII.

JESUS à Pilato ad populum producitur.

PIlatus JESUM, geſtantem & ſpineum diadema in capite, & ſceptrum arundineum in manu, & purpureum centonem in toto corpore ſuo: parùm eſt, bacillis primùm, loris deinde, ſcorpionibuſque, & non tantùm virgis, cæſum conciſumque, ad populum producit. Stabant ante prætorium Pilati, Principes Sacerdotum ac Seniores populi, non parvo numero. Stabat ante illud & confertiſſima imorum multitudo hominum:

num: ſtabant ibi, inquam, ſummi imique Judæi, exſpectantes omnes JESUM, foràs à Pilato producendum. Hoc cùm ſciret ille, JESUM in theatrum adducit ſublimius, & in quod per gradus multos aſcendebatur, eumque omnium conſpectui exponit. S. Joannes dicit Cap. 19. *Exivit iterum Pilatus foràs, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foràs* &c. Domine JESU, fili Dei, redderis hìc nunc *ſpectaculum* (1. Cor. 4.) *Deo, & Angelis, & hominibus.*

I. Conſideratio.

DOminus JESUS, Dei Filius, ſpectaculum imprimis redditur Deo, Patri ſuo. Hic Filium ſuum JESUM, publico in theatro, diademate ſpineo, ſceptro arundineo, centoneque purpureo adornatum, ſed & flagellis ac ſcorpionibus dilaniatum laceratumque intuetur; non parùm commotus (ſi qua in eo commotio habere poteſt locum) lugubri hoc, dignoque commiſeratione ſpectaculo. Nôſtis hiſtoriam de Joſeph Gen. 37. Filii Jacob fratrem ſuum Joſeph vendiderant Iſmaëlitis: perſuaſum verò volentes illi patrem ſuum Jacob, Joſeph filium invaſum à leone vel urſo, devoratumque, tunicam Joſeph ei, ſed tinctam hædi ſanguine, obtulerunt. Ita ſacer textus: *Tulerunt autem tunicam ejus, & in ſanguine hœdi, quem occiderant, tinctam, dicentes: Vide, utrùm ſit tunica filii tui, an non? quam cùm agnoviſſet pater, ait: tunica filii mei eſt: fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph; ſciſſiſque veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium*

ſuum multo tempore. En, Jacob pater, intuens tunicam filii ſui Joſeph, laceratam dente feræ beſtiæ, utì putabat, & ſanguine reſperſam, ratus inde filium ſuum invaſum devoratumque, commiſeratione non levi tactus, in luctum graviſſimum lapſus eſt. *Deſcendam*, inquit, *ad filium meum, lugens in infernum* : neque mirum; viſceribus paternis luctus hic conveniebat. Deus Pater de ſummo cœli vertice ſuum hìc nunc intuetur filium, ſublimi in loco, in alto theatro, à Pilato collocatum. Videt, non tunicam ejus ſanguine tinctam, ſed corpus ejus, cutem, inquam, videt, toto ubique corpore laceratam, ſanguineque reſperſam. Videt filium ſuum, totum plagis conciſum, taboque horridum, & immota ejus arbitremur viſcera? Haud ſanè: ingenti commiſeratione tangitur, luctuque afficitur ingentiſſimo.

Domine JESU, videndum te aliquando præbuiſti in monte thaboræo; ſed quàm alio ſchemate, quàm quo te videndum præbet Pilatus in hoc theatro ſuo? In monte thaboræo (Matth. 17.) *Reſplenduit facies tua, ſicut ſol*, Facies fulgentiſſima ipſum facilè fulgore ſuo ſuperabat ſolem; in theatro Pilati, facies hæc, tumens verberibus, ſputis ac phlegmatis, aliiſque putidis pectoris oriſque excrementis conſpurcata, totaque obducta erat. In monte Thaboræo, *veſtimenta tua facta ſunt alba ſicut nix*, quin & ſuper nivium candorem candeſcentia; in theatro Pilati veſtimentum illud vile, tritum, lacerum, ſanguine taboque ſordidum. In monte Thabo-

boræo, medius eras inter Moysen & Eliam, viros longè maximos; in theâtro Pilati medius inter lictores & carnifices, nebulonum fœces. In monte Thaboræo spectabant te Petrus, Jacobus, & Joannes stantes ante te; in theatro Pilati spectabat te summorum imorumque hominu confertissima multitudo, qui in forum, quod lic amplissimum erat, ad spectandum accu. rant. In monte Thaboræo Petrus videns JESUM ante se transfiguratum, raptus extra se, cum Jacobo & Joanne, exclamabat: *Domine, bonum est, nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula*; in theatro Pilati qui videt JESUM flagellis cæsum, scorpionibus discerptum, vulneribus plagisque obsitum, solo visûs horrore percellitur.

Sed ecce in monte hoc auditur hæc vox Patris illius: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Videbat Deus Pater filium in monte illo transfiguratum, & suum eum esse filium, uti & in Pilati theatro, agnoscit. Sed & utrobique in filio, quod placitum sibi, videbat. Placebat Patri utrobique in filio *Obedientia*: placet & in eo *Humilitas*. Philipp. 2. *Humiliavit se, factus obediens.* Obediens, ingressus jam in mundum usque ad extremam inopiam: humilis usque ad extremam ignominiam. Placebat Patri in filio *Charitas* ejus in humanum genus: & quidem in tantum illud diligit, ut pro salute ejus tormenta quælibet pati, omnemque subire ignominiam, ac mortem ipsam ignominiosissimam subire amet. Placet Patri in filio *Mansuetudo*, quâ beni-

gnum ſe omnibus, moderatumque exhibet. Placet Patri in filio *Patientia*, quâ mala quælibet & patientiſſimè toleravit, & admirabili ſilentio ad omnem injuriam, ac convitium omne conticuit.

Tu, ô Chriſtiane, JESUM, qui ſpectaculum factus eſt imprimis Patri ſuo, imitare in virtutibus, & ſibi quoque in te Pater complacebit.

II. Conſideratio.

DOminus JESUS, Dei filius, factus & ſpectaculum Angelis. Angeli JESUM in theatro à Pilato collocatum, ſed & totum plagis conciſum, ſuoque toto corpore madidum ſanguine, intuentur. Vos alloquor cæli Principes, nobiliſſimi ſpiritus. Ecce hìc à Pilato foràs productus eſt, & omnium conſpectui expoſitus, conciſus vulneribus, corpore toto ſanguine perplutus, taboque horridus. Filius eſt Regis veſtri; idemque ille, cujus vos, in Nativitate ſua, gloriam publicaſtis, ſuper cujus aſcendiſtis & deſcendiſtis verticem, cui miniſtraſtis in eremo. Quid? JESUS eſt, in cujus vultum deſideratis ſemper, & deſideratis reſpicere. Quid videtur vobis? num ſibi adhuc ſimilis? num adhuc noſcatis eum? num *ſpecioſus* (Pſ. 44.) adhuc *formâ præ filiis hominum?* Videor audire vos reſpondentes Iſ. 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor. Vidimus eum, & non erat aſpectûs. Et quaſi abſconditus vultus ejus. Et nos putavimus eum, quaſi leproſum.* Ita eſt, ô Angelici ſpiritus: omnis forma

forma ei, decor omnis ac species, à sordidis illis hominibus ablata est: vultus ejus sputis obsitus est totus ac phlegmatis, totúsque absconditur. Sed cur non & vos, ad illatam Domino vestro inhumanam hanc ac barbaram prorsùs injuriam dicitis Luc. 9. *Vis, dicimus*, Domine, *ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* digni sunt, in quos flamma desæviat, aut fulgure qui afflati, ac syderati è vestigio intereant. Principes quinquagenarii ad illatam Eliæ injuriam (4. Reg. 1.) aut vel ad salutationem minùs honorabilem, illicò cœlesti igne interiêre.

Quid tu, ô Propheta Isaia? Ais Cap. 33. *Angeli pacis flebant amarè.* Vident illi JESUM, gaudium suum, & dolent, quod tam tristi eum, dolentique schemate videant. Vident eum illusum irrisumque, ùt regem ludicrum, ludicris insi nibus, coronâ, sceptro, purpurâ, ridiculè ad natum; vident eum virgis cæsum, scorpionil concisum, totoque ubique corpore sanguine t boque horridum: silici excuterentur lacrym Quidni fletis vos ô Angeli, & amarè fletis? A geli videbant aliquando JESUM, jacentem i præsepio, & cantabant per aëra: *Gloria in excel sis Deo*: at nunc cantare nequeunt; ea JESU nunc facies est, ut ad fletum adigantur amariorem. Vident eum millenis affectum injuriis, millenis obsitum vulneribus, ac tantùm non penitùs dilaceratum & discerptum. S. Propheta Job spectatores habuit amicos, qui ad eum excurrerant consolatum: vident eum sedentem in sterquilinio, à capite ad talos usque ulceribus ple-

 num.

num. Audiunt lamentantem (Job. 19.) *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Ecquid illi? ad ingentem, suprà quàm quis crederet, commiserationem commoti sunt. Job. 2. *Ploraverunt, scissis vestibus, & sparserunt pulverem super caput suum.* Et quidem adeò hi commoti turbatique sunt, ut vox eis ac loquela adempta fuerit. Vers. 13. *Nemo loquebatur ei verbum.* Angeli vident Dominum, non in sterquilinio sedentem, sed stantem in theatro; non ulceribus, sed vulneribus plenum; non voce, *Misereminī*, sed ipso corporis schemate, ad commiserationem provocantem audiunt: quid ni & commoti sint ad fletum? *Angeli pacis flebant amarè.*

Tu &, ô pia anima, JESUM hìc intuere, contemplare ejus vulnera. Saxum est, non homo, vel omnem exutus est humanitatem, & humanitatis sensum, qui hìc non commovetur. Compatere Domino, tuumque cum Angelico fletum misce.

III. Consideratio.

DOminus JESUS, Filius Dei, spectaculum factus est hominibus. JESUM à Pilato in theatro expositum intuiti sunt & homines, plurimi quidem, & tantùm non innumeri, imi summi, probi improbi, pii impii: Et inter pios, ipsa quoque [quis dubitet?] Maria mater ejus. Maria mater JESU, cum cœtu paucarum aliarum, sed piarum mulierum, huic spectaculo interesse voluit, sicut & mox ejus adstitit cruci. Mater

ter JESU Maria, JESUM filium intuens, totum vulneribus, totum sanguine conspersum, dixerit, repetieritque intrà se: Hiccine filius meus, quem utero meo gestavi novem mensium spatio? quem enixa sum? quem lactavi ubero meo? quem meis toties complexa sum ulnis? quem & in amplexus justi Simeonis, velut pignus sacratissimum, aliquando deposui? quem in sinu meo, dum recèns natus erat, Orientium adoraverunt Magi? Quem perditum in Jerusalem, dolens quæsivi, ac gaudens inveni in templo, sedentem in medio Doctorum. Tu, ô fili, speciosus semper præ filiis hominum: ubi jam species tua, ubi decor tuus? ubi cæsaries speciosa? tota jam illa tabo compacta est. Ubi frons tua, majestate plena? ubi radiantes oculi? ubi aureum os tuum, orisque tui dulce eloquium? ubi genæ rosis rubicundiores, liliis candidiores? Manus tuæ ubi sunt, solo alioquin ægros sanantes attactu? Eheu, sortem inversam! Inversa & eversa sunt omnia. Manus nunc vinculis constrictæ: genæ alapis tumidæ, os contusum, oculi tantùm non eruti, crines evulsi, frons tota, totaque facies sputis ac phlegmatis contegitur. Quid plura? decor omnis, omnibus in membris, dissipatus est, totusque evanuit, aut vel potiùs in horrorem abiit. Sensus indubiè matri gravis fuit, quando olim filium suum vidit inter animalia, mansueta licèt, bovem inter & asinum, Bethlemitico in stabulo, vagientem. At verò nunc sensus ei gravissimus est, cùm videt eum inter scurriles nebulones, ferosque carnifices, plagis conci-

Matthæus: *Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.* Pergit: *Et exſpuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* S. Joannes dicit: *Veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Judæorum.* Accedunt ad eum, velut miniſtri ad Regem, rogaturi, ſed per ludibrium, num quid curatum vellet. His ſimiles ſunt, qui Chriſtum confitentur ore, negant autem factis: qui externo quidem corporis geſtu Deum colunt, animo verò in ſuperbiam, libidinem, aliaque vitia delati, à vero Dei cultu alieni ſunt; atque hi Dominum, cum Judæis, fictè ſalutant. Sed cavė, Deus non irridetur. Verâ tu, pie Chriſtiane, animi demiſſione & candore verſare: Regem eum habe, à quo & nunc regaris, & poſt, ejuſdem cum illo regni particeps efficiaris.

MEDITATIO XXXVII.

JESUS à Pilato ad populum producitur.

Pilatus JESUM, geſtantem & ſpineum diadema in capite, & ſceptrum arundineum in manu, & purpureum centonem in toto corpore ſuo: parùm eſt, bacillis primùm, loris deinde, ſcorpionibuſque, & non tantùm virgis, cæſum conciſumque, ad populum producit. Stabant ante prætorium Pilati, Principes Sacerdotum ac Seniores populi, non parvo numero. Stabat ante illud & confertiſſima imorum multitudo hominum:

num: stabant ibi, inquam, summi imique Judæi, exspectantes omnes JESUM, foràs à Pilato producendum. Hoc cùm sciret ille, JESUM in theatrum adducit sublimius, & in quod per gradus multos ascendebatur, eumque omnium conspectui exponit. S. Joannes dicit Cap. 19. *Exivit iterum Pilatus foràs, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foràs* &c. Domine JESU, fili Dei, redderis hìc nunc *spectaculum* (1. Cor. 4.) *Deo, & Angelis, & hominibus.*

I. Consideratio.

DOminus JESUS, Dei Filius, spectaculum imprimis redditur Deo, Patri suo. Hic Filium suum JESUM, publico in theatro, diademate spineo, sceptro arundineo, centoneque purpureo adornatum, sed & flagellis ac scorpionibus dilaniatum laceratumque intuetur; non parùm commotus (si qua in eo commotio habere potest locum) lugubri hoc, dignoque commiseratione spectaculo. Nôstis historiam de Joseph Gen. 37. Filii Jacob fratrem suum Joseph vendiderant Ismaëlitis: persuasum verò volentes illi patrem suum Jacob, Joseph filium invasum à leone vel urso, devoratumque, tunicam Joseph ei, sed tinctam hædi sanguine, obtulerunt. Ita sacer textus: *Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinctam, dicentes: Vide, utrùm sit tunica filii tui, an non? quam cùm agnovisset pater, ait: tunica filii mei est: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph; scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium*

ſuum multo tempore. En, Jacob pater, intuens tunicam filii ſui Joſeph, laceratam dente feræ beſtiæ, utì putabat, & ſanguine reſperſam, ratus inde filium ſuum invaſum devoratumque, commiſeratione non levi tactus, in luctum graviſſimum lapſus eſt. *Deſcendam*, inquit, *ad filium meum, lugens in infernum*: neque mirum; viſceribus paternis luctus hic conveniebat. Deus Pater de ſummo cœli vertice ſuum hìc nunc intuetur filium, ſublimi in loco, in alto theatro, à Pilato collocatum. Videt, non tunicam ejus ſanguine tinctam, ſed corpus ejus, cutem, inquam, videt, toto ubique corpore laceratam, ſanguineque reſperſam. Videt filium ſuum, totum plagis conciſum, taboque horridum, & immota ejus arbitremur viſcera? Haud ſanè: ingenti commiſeratione tangitur, luctuque afficitur ingentiſſimo.

Domine JESU, videndum te aliquando præbuiſti in monte thaboræo; ſed quàm alio ſchemate, quàm quo te videndum præbet Pilatus in hoc theatro ſuo? In monte thaboræo (Matth. 17.) *Reſplenduit facies tua, ſicut ſol*, Facies fulgentiſſima ipſum facilè fulgore ſuo ſuperabat ſolem; in theatro Pilati, facies hæc, tumens verberibus, ſputis ac phlegmatis, aliiſque putidis pectoris oriſque excrementis conſpurcata, totaque obducta erat. In monte Thaboræo, *veſtimenta tua facta ſunt alba ſicut nix*, quin & ſuper nivium candorem candeſcentia; in theatro Pilati veſtimentum illud vile, tritum, lacerum, ſanguine taboque ſordidum. In monte Tha-

bo-

boræo, medius eras inter Moysen & Eliam, viros longè maximos; in theatro Pilati medius inter lictores & carnifices, nebulonum fœces. In monte Thaboræo spectabant te Petrus, Jacobus, & Joannes stantes ante te; in theatro Pilati spectabat te summorum imorumque hominu[m] confertissima multitudo, qui in forum, quod [il]lic amplissimum erat, ad spectandum accu[r]rant. In monte Thaboræo Petrus videns JESUM ante se transfiguratum, raptus extra se, cum Jacobo & Joanne, exclamabat: *Domine, bonum est, nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula*; in theatro Pilati qui videt JESUM flagellis cæsum, scorpionibus discerptum, vulneribus plagisque obsitum, solo visûs horrore percellitur.

Sed ecce in monte hoc auditur hæc vox Patris illius: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Videbat Deus Pater filium in monte illo transfiguratum, & suum eum esse filium, uti & in Pilati theatro, agnoscit. Sed & utrobique in filio, quod placitum sibi, videbat. Placebat Patri utrobique in filio *Obedientia*: placet & in eo *Humilitas*. Philipp. 2. *Humiliavit se, factus obediens.* Obediens, ingressus jam in mundum usque ad extremam inopiam: humilis usque ad extremam ignominiam. Placebat Patri in filio *Charitas* ejus in humanum genus: & quidem in tantum illud diligit, ut pro salute ejus tormenta quælibet pati, omnemque subire ignominiam, ac mortem ipsam ignominiosissimam subire amet. Placet Patri in filio *Mansuetudo*, quâ beni-

gnum se omnibus, moderatumque exhibet. Placet Patri in filio *Patientia*, quâ mala quælibet & patientissimè toleravit, & admirabili silentio ad omnem injuriam, ac convitium omne conticuit.

Tu, ô Christiane, JESUM, qui spectaculum factus est imprimis Patri suo, imitare in virtutibus, & sibi quoque in te Pater complacebit.

II. Consideratio.

DOminus JESUS, Dei filius, factus & spectaculum Angelis. Angeli JESUM in theatro à Pilato collocatum, sed & totum plagis concisum, suoque toto corpore madidum sanguine, intuentur. Vos alloquor cæli Principes, nobilissimi spiritus. Ecce hìc à Pilato foràs productus est, & omnium conspectui expositus, concisus vulneribus, corpore toto sanguine perplutus, taboque horridus. Filius est Regis vestri; idemque ille, cujus vos, in Nativitate sua, gloriam publicastis, super cujus ascendistis & descendistis verticem, cui ministrastis in eremo. Quid? JESUS est, in cujus vultum desideratis semper, & desideratis respicere. Quid videtur vobis? num sibi adhuc similis? num adhuc noscatis eum? num *speciosus* (Ps. 44.) adhuc *formâ præ filiis hominum?* Videor audire vos respondentes Is. 53. *Non est species ei, neque decor. Vidimus eum, & non erat aspectus. Et quasi absconditus vultus ejus. Et nos putavimus eum, quasi leprosum.* Ita est, ô Angelici spiritus: omnis forma

forma ei, decor omnis ac ſpecies, à ſordidis illis hominibus ablata eſt: vultus ejus ſputis obſitus eſt totus ac phlegmatis, totúſque abſconditur. Sed cur non & vos, ad illatam Domino veſtro inhumanam hanc ac barbaram prorsùs injuriam dicitis Luc. 9. *Vis, dicimus*, Domine, *ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* digni ſunt, in quos flamma deſæviat, aut fulgure qui afflati, ac ſyderati è veſtigio intereant. Principes quinquagenarii ad illatam Eliæ injuriam (4. Reg. 1.) aut vel ad ſalutationem minùs honorabilem, illicò cœleſti igne interiêre.

Quid tu, ô Propheta Iſaia? Ais Cap. 33. *Angeli pacis flebant amarè.* Vident illi JESUM, gaudium ſuum, & dolent, quod tam triſti eum, dolentique ſchemate videant. Vident eum illuſum irriſumque, ùt regem ludicrum, ludicris inſi nibus, coronâ, ſceptro, purpurâ, ridiculè ad natum; vident eum virgis cæſum, ſcorpionil conciſum, totoque ubique corpore ſanguine ı boqne horridum: ſilici excuterentur lacrym Quidni fletis vos ô Angeli, & amarè fletis? A geli videbant aliquando JESUM, jacentem ı præſepio, & cantabant per aëra: *Gloria in excel ſis Deo*: at nunc cantare nequeunt; ea JESU nunc facies eſt, ut ad fletum adigantur amariorem. Vident eum millenis affectum injuriis, millenis obſitum vulneribus, ac tantùm non penitùs dilaceratum & diſcerptum. S. Propheta Job ſpectatores habuit amicos, qui ad eum excurrerant conſolatum: vident eum ſedentem in ſterquilinio, à capite ad talos uſque ulceribus ple-

 num.

num. Audiunt lamentantem (Job. 19.) *Misere-mini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Ecquid illi? ad ingentem, suprà quàm quis crederet, commiserationem commoti sunt. Job. 2. *Ploraverunt, scissis vestibus, & sparserunt pulverem super caput suum.* Et quidem adeò hi commoti turbatique sunt, ut vox eis ac loquela adempta fuerit. Vers. 13. *Nemo loquebatur ei verbum.* Angeli vident Dominum, non in sterquilinio sedentem, sed stantem in theatro; non ulceribus, sed vulneribus plenum; non voce, *Miseremini*, sed ipso corporis schemate, ad commiserationem provocantem audiunt: quid ni & commoti sint ad fletum? *Angeli pacis flebant amarè.*

Tu &, ô pia anima, JESUM hìc intuere, contemplare ejus vulnera. Saxum est, non homo, vel omnem exutus est humanitatem, & hu-[illegible]nitatis sensum, qui hìc non commovetur. [illegible]mpatere Domino, tuumque cum Angelico [illegible]tum misce.

III. Consideratio.

DOminus JESUS, Filius Dei, spectaculum factus est hominibus. JESUM à Pilato in theatro expositum intuiti sunt & homines, plurimi quidem, & tantùm non innumeri, imi summi, probi improbi, pii impii: Et inter pios, ipsa quoque [quis dubitet?] Maria mater ejus. Maria mater JESU, cum cœtu paucarum aliarum, sed piarum mulierum, huic spectaculo interesse voluit, sicut & mox ejus adstitit cruci. Mater

ter JESU Maria, JESUM filium intuens, totum vulneribus, totum sanguine conspersum, dixerit, repetieritque intrà se: Hiccine filius meus, quem utero meo gestavi novem mensium spatio? quem enixa sum? quem lactavi ubere meo? quem meis toties complexa sum ulnis? quem & in amplexus justi Simeonis, velut pignus sacratissimum, aliquando deposui? quem in sinu meo, dum recèns natus erat, Orientium adoraverunt Magi? Quem perditum in Jerusalem, dolens quæsivi, ac gaudens inveni in templo, sedentem in medio Doctorum Tu, ô fili, speciosus semper præ filiis hominum: ubi jam species tua, ubi decor tuus? ubi cæsaries speciosa? tota jam illa tabo compacta est. Ubi frons tua, majestate plena? ubi radiantes oculi? ubi aureum os tuum, orisque tui dulce eloquium? ubi genæ rosis rubicundiores, liliis candidiores? Manus tuæ ubi sunt, solo alioquin ægros sanantes attactu? Eheu, sortem inversam! Inversa & eversa sunt omnia. Manus nunc vinculis constrictæ: genæ alapis tumidæ, os contusum, oculi tantùm non eruti, crines evulsi, frons tota, totaque facies sputis ac phlegmatis contegitur. Quid plura? decor omnis, omnibus in membris, dissipatus est, totusque evanuit, aut vel potiùs in horrorem abiit. Sensus indubiè matri gravis fuit, quando olim filium suum vidit inter animalia, mansueta licèt, bovem inter & asinum, Bethlehemitico in stabulo, vagientem. At verò nunc sensus ei gravissimus est, cùm videt eum inter scurriles nebulones, ferosque carnifices, plagis conci-

ſum, ſanguine reſperſum, tabo horridum, modis omnibus illuſum ac irriſum. Patere, ô pientiſſima mater; myſterium hoc totum, cedet aliquando in tuum gaudium, bonumque noſtrum.

JESUM à Pilato in theatro expoſitum intuiti ſunt, quotquot excurrerunt ad ſpectaculum hoc, è vulgo homines plurimi, atque, ùt jam dixi, tantùm non innumeri. Voluit Dominus ipſe, qui latuerat in prætorio Pilati, diriſſimè tractatus, velut ex umbra in ſolem, è latebris in conſpectum omnium prodire, ut ſuum proderet, & quo urebatur, dolorem, & quo accendebatur, amorem. Stabat denſum humeris vulgus & immenſa Judæorum multitudo extra Pilati prætorium. Curioſa ſemper eſt turba plebis; ubi magni quid fore arbitrantur, excurrunt turmatim, ut illius reddantur participes: excurrunt in loca ſæpe remotiora. Quando Dominus ibat ad deſerta, [& ſæpiùs exibat ad illa] quando ibat ad littora maris, turbæ ſequebantur eum, iiſque obruebatur. Rapiebantur homines dulciloquio JESU, ſed non minùs deſiderio videndi ſigna ac miracula, quæ fiebant ab eo: viderant indubiè aliqua, quia ſatìs obvia erant: de pluribus audiverant, ab aliis viſis. Nunc verò, cùm ipſe Dominus ſub judice ſit conſtitutus, gravatuſque ſit invidioſis accuſationibus, & poſtulationibus ad pœnam, facilè cogitant, futurum ſingulare quid circa illum; hinc confluunt, ſpectatum excurrunt, vix aut ne vix quidem ex mille unus ſe continet domi, forum denſiſſimâ multitudine plenum eſt hominum: omnes, in JESUM, omni-

omnium conspectui expositum, oculos conjiciunt, & dirissimè eum tractatum vident. Ita Jesus nunc spectaculum factus est hominibus. Pilatus sperabat movendos illos ad commiserationem; eo quidem fine, eum in publicum illorum conspectum adduxerat. At nihil illi moti sunt, nisi ad majorem furorem ac rabiem.

Dominus JESUS (quod jam vidistis) spectaculum factus est, & Deo, & Angelis, & hominibus. Ecce, vita hæc velut theatrum est, in quo quisque suam agat personam, Superioris, inferioris, Ecclesiastici, sæcularis, mercatoris, militis &c. Felix, qui personam rectè agit. Memor sis, quisquis es, quod Deus ipse (& non tantùm Angeli & homines) spectator tuus sit, totus oculatus, spectator, æquè in tenebris ac in lumine, qui tibi, prout egeris, vel præmium vel pœnam redditurus est: utinam tuam sic agas personam, ut bravium tibi reddat, bravium retributionis æternæ!

MEDITATIO XXXVIII.

Ecce Homo.

PIlatus JESUM, à se immaniùs exceptum, populo præsentaturus, sub hâc voce, *Ecce Homo*, præcedit nonnihil ipse, ut Judæorum ad pietatem qualemcunque, si fieri posset, animos præpararet, eumque à se ita exceptum, dimitti illi sinerent. Impie Judex, condemnas porrò te ipsum, quòd eum, quem & sæpius fassus es, & hic

hìc etiam nunc fateris innocentem, adeò immaniter, in gratiam aliorum, exceperis. Peræquum quidem est, quod illum dimissum velis, periniquum verò, ut isthoc id velis modo. Dicis, *Ecce Homo*; rectè ita dicis, quia vix homo apparet. Si, qui innocens, & tuâ id ipsius confessione, à te ita excipitur, qualiter, qui nocens est, excipietur?

I. Consideratio.

PIlatus JESUM in publicum adducit theatrum, atque adeò in publicum omnium conspectum. Theatrum illud Roma magnâ etiamnum veneratione servat: gradus illius ex marmore sunt, viginti tres, quibus in illud ascenditur. Contemplare, quisquis in JESUM pius es, locum editum, in quo JESUS à Pilato collocatus est: atque ante hunc locum, forum vide multis hominum millibus, qui ex Judæa universa ad Paschæ solemnitatem confluxerant, refertum. Hi omnes, simul ac JESUM, ductore Pilato, prodeuntem, eminùs conspiciunt, confertim propiùs accedunt, invicemque, ùt unda undam, impellunt, triste hoc ac horribile spectaculum cominùs conspecturi. Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.* Egredere & tu, ô anima mea, & vide diadema, cultúmque hunc Regium, quem Deo imposuerunt peccata tua. Contemplare totum Salomonis Regis tui corpus manibus hostium suorum diriter laceratum. Vide in capite ejus diadema ex spineis contextum ramis, & delaben-

bentibus sanguinis grumis ceu gemmis distinctum: manus & brachia pro armillis vincula gestant, totúmque corpus, pro torque aureâ & baltheo cingitur fune. Pictura vestis sunt vibices & vulnera: vultus porrò divinus phlegmate, sputo, sanguine, tabo lutulatus, tanquam pigmentis & fuco illitus est, aut larvâ contectus, horrorem aliis, tibi & compassionem moveat. Et quomodò conspectus ille non moveat compassionem? Imò vel canem vel asinum, verberatum graviùs, miseramur. Anne igitur non deceat nos, condolere filio Dei tanta sufferenti, & quidem in gratiam nostri?

II. Consideratio.

PIlatus JESUM spineo diademate redimitum, sceptro arundineo adornatum, purpureóque centone circumdatum, sed & toto ubique corpore conscissum, vulneribus & sanguine obsitum, populo adstanti, totique summorum imorúmque multitudini ostentans dicit: *Ecce homo.* Hâc voce Pilatus commiserationem excitare nititur, indicans eâ & miseram corporis constitutionem, pœnarumque acerbitatem; quasi dicat, agnoscite hunc esse hominem, non bestiam: si quid commisit, copiosè id nunc exsolvit. Misereamini homines hominis, vel nihil humani superest in vobis. *Ecce homo* est, & miserrimus homo, quem ùt Regem accusatis: nihil enim minùs, quàm ut ab hoc Rege vobis timeatis, quem præ nimiâ totius corporis deformitate cruciatuumque acerbitate vix aut ne vix qui-

quidem hominem agnoſcitis. *Ecce homo* vix homo, qui ſine ſpecie penè omni, ac figurâ hominis, vermis magìs, quàm homo apparet. Ecce caſtigatio ejus, & dejectio: ecce laniena & illuſio. Si vos ergò homines eſtis, aut ſuperſit in vobis humani quid, miſeriæ ejus commiſereri debetis, & placari. Ita Pilatus ad confertam hanc ſummorum imorúmque multitudinem, quæ ad ſpectaculum hoc confluxerat, ut ad commiſerationem eos flecteret. At fruſtra: ferrei & adamantini homines ſunt, non flectuntur illi. Ipſa ejus exterior corporis ſpecies & forma; ipſum diadema ſpineum, vertici impactum; veſtimentum ſanguine purpuratum; vincula, funes, vibices, vulnera, ſputa, phlegmata, vel truncos moviſſent ac cautes. Attamen nequam hæc ac impia vulgi turba, immota, induratáque perſtitit, quovis trunco cautéque duriores.

III. Conſideratio.

INſtat Pilatus, in omne ſe vertit latus, ut flectat illos, aut vel quicquam eis commiſerationis eliciat. Parce, Pilate, non flectuntur, non moventur homines illi, ſi tamen homines dicendi ſunt, qui nihil in ſe habent humani. Pilatus ita illos adoritur: *Adduco eum foràs, ut cognoſcatis, quia nullam in eo invenio cauſam*, vel læſi imperii, quod eum affectare dicitis, vel turbatæ publicæ rei, vel alterius cujuſpiam ſceleris ac noxæ, ob quam eum pœnæ, nedum morti addicam, vitamque auferam. Audivi, quæcunque contra illum protuliſtis, teſtimonia, quæ-

cunque

cunque objecistis ei, crimina; & non tantùm audivi illa, sed ad trutinam justitiæ singula exactè ponderavi: totam, quæ in me est, adhibui attentionem & diligentiam, ut experirer, an salvâ æquitate & justitiâ, possem ad pœnam vel leviorem procedere. Quæsivi, ob quod possem, sed nihil inveni. Iniquissimum est, omnique planè adversum justitiæ, ad mortem condemnare eum, in quo nihil vel pœnâ dignum invenitur. Protestor, exclamat Pilatus, coram cœlo & terrâ, vobisque omnibus, me omnibus accuratè diligenterque excussis, singulisque contra eum allatis & allegatis, maturè ritéque expensis, causam me in eo invenire prorsùs nullam. Gratulor itaque innocentiæ tuæ, ô innocens Jesu! jam saltem toti constabit mundo, æquam esse causam tuam, téque esse innocentem; atque adeò, si pœnæ quid tibi infligatur, & vel præcipuè, si moreris cruci affixus, mori te, non quia nocens mori debueris, sed quia innocens mori volueris, cruce tuâ ipsâ, in quâ moreris, innocentiæ tuæ testimonium dante.

Quid ad Pilatum hìc Judæi? S. Joannes dicit Cap. 19. *Cùm vidissent ergò eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, Crucifige eum.* O præclara commiseratio, quam omni molimine suo, publicâque innocentiæ testificatione Pilatus eis elicere potuit; major exacerbatio, & repetita ad crucem postulatio! Populo fortè ad commiserendum nonnihil propenso, & ideò velut deliberabundo, tantisper subticente, Pontifices eorumque ministri non conti-

cent,

cent, ſed clamant, & quidem: *Crucifige, Crucifige eum.* Diſce, nullos difficiliùs peccatorum pœnitentiâ moveri, quàm qui deliberatâ malitiâ peccant. Qui aut infirmitate, vel ignorantiâ labuntur, faciliùs reſurgunt: ad cor ii citiùs redeunt, & veniam merentur. Bone! Impii ac furibundi Pontifices, eorumque miniſtri, exemplum dominorum imitati, conſpecto JESU ſanguine, non aliter in necem ejus inardeſcunt, quàm canes, feræ conſpecto ſanguine à ſe devorandæ. Clamant illi: *Crucifige, Crucifige eum.* O quam altè clamor ille impius crudeliſque penetrârit viſcera JESU! Dicit illis Pilatus: *Ecce Homo.* Reclamant illi, *Crucifige, Crucifige eum.*

Ecce Homo.

TE alloquor Chriſtiane, quiſquis es, & dico tibi de Chriſto, duce tuo: *Ecce Homo.* Vide in eo exemplar vitæ Chriſtianæ. Iſ. 53. *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis. Ecce Homo*, tibi ad ſequendum & imitandum propoſitus. Hic eſt, de quo Pater cœleſtis, Matth. 17. *Ipſum audite.* Ecce, in eo cumulus virtutum, hoc nunc in ſchemate ejus, hoc habitu, formâque miſerandâ relucentium: virtutum omnium, ſed earum maximè, quæ nobis præ aliis commendantur. *Ecce Charitas* ejus in humanum genus: Charitatis hujus tot in eo argumenta ſunt, quot in corpore vulnera. Non amicos, ſed ipſos quoque hoſtes ſuos ſibi peſſimè volentes diligit, neque eos pro hoſtibus, ſed pro amicis habet. Perfecta illa charitas eſt, quæ nullos agnoſcit hoſtes,

ſed

sed ipsos etiam hostes reputat amicos, eisque, non minùs quàm amicis benefacit. Jam verò Christus eâ suos inimicos est charitate complexus, ut quò plura ab eis sustineret, hoc magìs semper in eos inardesceret amor, ac beneficiis semper majoribus eos cumularet. *Humilitas*, quâ multis modis irrisus, albâ veste purpurâque indutus, spineâ coronâ redimitus, latroni Barabbæ postpositus, in medio latronum crucifixus, aliaque plura id genus ad contemptum & ludibrium perpessus, demissè semper se habuit. *Mansuetudo*, quâ benignum se omnibus, moderatumque semper exhibuit, mala patientissimè toleravit, & admirabili silentio ad omnes injurias, convitiaque conticuit, excusationes nullas adhibuit, neminem suâ loquacitate offendit, nihil unquam dixit asperiùs cuiquam, aut fecit. *Obedientia*, quæ tunc sanè vel maximè commendationem meretur, quando & difficilia, & ab impiis imperantur. Fuit autem Christus non Patri solùm obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, sed impiis quoque judicibus, atque tortoribus, quibus, ut vestes exueret, purpuram indueret, coronam spineam susciperet, crucis lignum humeris ipse suis ferret, ad clavos manus pedesque porrigeret, aliáque multa imperantibus, simpliciter, alacriter & constanter obtemperavit. *Misericordia*, quæ filia est charitatis: hâc nobis Dominus vestes, honorem, famam, boni nominis existimationem, florentem ætatem, vires, sanitatem, sanguinem & animam donavit. *Contemptus mundi*, quo illa omnia, quæ mundus admiratur,

& in bonis habet, repudiavit; ſuſcepit autem illa, à quibus mundus abhorret. Pro divitiis extremam elegit paupertatem ; pro honoribus contemptum; pœnas pro deliciis, pro favoribus irriſiones. *Perſeverantia*, quâ nec Matris dolo-lore victus, nec amicorum triſtitiâ motus, nec hoſtium irriſione ſuperatus, nec corporis tormentis fractus, de cruce unquam deſcendere voluit, quam ſemel pro ſalute noſtra conſcenderat.

Ecce Homo, ſuis in virtutibus, tibi ad ſequendum & imitandum propoſitus. Ipſum nunc & virtutes illius contemplare, eúmque in iis & ſequi & imitari deſidera, & ſatage. Petrus Apoſtolus monet 1. Petr. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Et 1. Petr. 4. *Chriſto paſſo pro nobis in carne, & vos eâdem cogitatione armamini*. Virtutes ſupra recenſitæ, virtutes omnes ſunt Chriſtianæ, à Chriſtianis hominibus exercendæ. Docet te eas Chriſtus, non jam ex crucis cathedrâ, quod deinde facturus eſt, ſed ex theatro Pilati, in quo omnibus, ſub hâc voce, *Ecce Homo*, exponitur. Non jam opus eſt, ut in aliorum hominum reſpicias mores; in hunc nunc hominem obtutum defige, in hanc faciem Chriſti tui reſpice. Hic, Deus licèt ſit, cujus proinde virtutes factaque exæquare nequeas, eſt tamen & homo, eâdem humanâ naturâ præditus, quâ cæteri homines, ut & rectè ad eum attendas. Dominum tuum in virtutibus iſtis ſequi ac imitari ſtude. Roga Deum, gratiam tibi addat, ſine quâ ſtudium omne virtutum inane eſt.

ME-

MEDITATIO XXXIX.

JESUS à Judæis rursùs ad crucem postulatur.

TAntùm abest, ut Judæi viso JESU, schemate adeò miserabili, de furore ac rabie suâ remittant, contenti hâc ei impositâ castigatione, gravi satis, satísque immani, quâque & forma hominis tantùm non omnis ei ablata erat; ut eum, velut indignum omni commiseratione humanâ, rejecerint, plectendúmque censuerint ipso mortis supplicio, in cruce ei inferendo. Hinc & est, quod eum nunc rursùs ad crucem postulent, rem suam clamore jam agentes. Joan. 19. *Clamabant, dicentes: Crucifige, Crucifige eum.* Nihil itaque proficit Pilatus, qui propterea velut in indignationem iramque delabitur: neque sic eos coërcuit, aut vel quidquam eos à sua iniquissima postulatione desistere fecit.

I. Consideratio.

QUid ergò Pilatus? indignabundus, iratusque dicit illis Joan. 19. *Accipite eum vos, & Crucifigite*; addítque, ut magìs eos moveat: *Ego nullam in eo invenio causam.* Contra te ipsum, Pilate, fers sententiam. Si nullam in eo invenias causam, iniquè & aliis eum crucifigendum tradis. Æqui Judicis est, non tantùm nocentes plectere, sed & innocentes protegere. Sive per te JESUM crucifigas, sive per alium, perinde est,

 per-

perinde injustitiæ reus es: quod enim quis per alium facit, per seipsum facere censetur. Pilatus, cùm sententiam mortis Dominicæ ferre per se nollet, quòd causam nullam sciret, etiam mortem per alios inferendam impedire debebat. Pilatum imitaris, quoties malum, quod per te ipsum perpetrare non audes, aliorum relinquis arbitrio perpetrandum. Impie præses, causam in eo nullam invenis, neque mortis, neque alterius pœnæ; & te non impediente, imò & jubente, tot ei inflicta sunt vulnera: id sanè cum æquitate & justitia minimè consistit. Tu, ô pia anima, causam inquire in apertis JESU visceribus, facilè illam in eis invenies, ardentem nimirùm charitatem, quæ saccum hujus corporis scidit atque disrupit, & sanguinem hunc copiosum effudit.

Angeli Sancti, & qui in hujus Domini ortu stabant attoniti ad tantam charitatem, quæ Deum omnipotentem atque immensum eò adegit, ut fragile corpus infantile assumeret, quomodò non obstupescunt modò, tum ad amorem Dei, qui pro vili homuncione, vermis potiùs haberi voluit quàm homo, esseque opprobrium hominum, & abjectio plebis, omnium peripsema & ludibrium; tum ad Judæorum furibundam malitiam, qui Messiæ sui tot sæculis prænunciati & exspectati, minoribus quàm mortis pœnis, & mortis quidem in cruce exsatiari noluerint; tum ad cordis tui duritiem, quod ex tam ardenti Creatoris tui charitate non liquefactum est.

Admirare tu, & obstupesce hæc eadem, rogaque

gaque

gaque Dominum, ut cor tuum suo amore succendat,

II. Consideratio.

Pilate, agis causam JESU aliquantò ferventiùs, ut indemnis dimitti possit. Indignari videris & irasci iniquis illius ad mortem postulatoribus. Perge porrò, & tandem illum tu liberum dimitte. Quid cunctaris? Altercando cum hominibus istis obstinatissimis, sententiæ te injustæ periculo exponis. Dicenti tibi, *Accipite eum vos, & Crucifigite*, reclamant illi: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.* Itane verò? Ecquæ lex illa, secundùm quam, qui innocens est, mori debet? Credibilene est, legem esse apud vos, quâ innocens morti obstringitur? Lex vestra sancta est, à Deo vobis data, fonte omnis sanctitatis. Sacros consulite codices, & in eis legem facilè deprehendetis, secundùm quam innocens non mori debet, sed absolvi. Sed subest mysterium, cujus vos, ô Judæi, nescii estis. Omnia legis vestræ sacrificia mortem præfigurant Messiæ, seu filii Dei, pro redemptione generis humani. Si ita vultis, secundùm hoc mori debet, quia Messias & filius Dei est; impleri enim debent omnes figuræ istæ, & legis oracula. Verum ergò dicitis, eum secundùm legem mori debere: non ùt blasphemum tamen, ùt vos prætenditis, sed ùt Messiam ac Redemptorem. Sic homines aliquando, præter mentem suam & ignoranter veritatem dicunt.

Clamant, uno velut clamore, omnes, summi

imique: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.* Impii ad leges provocant, dum de corio ludunt alieno; sed cùm peccant ipsi, legibus compesci, aut teneri nolunt. *Nos*, inquiunt, quasi lex illa pervulgatissima foret, omnibus promiscuè notissima. Et credibile satis est, inter ipsos fuisse plures, ex vulgo præsertim populari, ubi præ aliis aderant innumeri, qui de lege nihil, aut parùm resciebant. At sic clamabant Pontifices ac Scribæ, qui ex statu ac officio suo, legumperiti audiebant. Hi clamabant: *Nos legem habemus*; iis vulgus succlamabat. Hi præcinebant, vulgo succinente. Ita est, vulgus mobile est; exempla Principum facilè sequitur, præcipuè in malo. Tritum est hoc: *Regis ad exemplum totus componitur orbis: claudum, cum claudo Principe, vulgus erit.* Pontifices & Scribæ si non clamassent, & clamore suo ad legem provocassent, turbæ id ipsum vociferanti nihil de lege in mentem venisset; nunc clamori Pontificum & Scribarum, clamorem suum conjungunt, junctisque clamoribus clamant: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.*

Tu exemplum sequere Superiorum tuorum in bono, non in malo: plurimùm illud in utroque valet. Superiores duplex bonum faciunt, dum bono suis exemplo præeunt: sibi unum, alterum subditis, quos sic velut ad bonum trahunt.

III. Consideratio.

PRincipes Sacerdotum Scribæque, ne solo rem suam clamore agere videantur, atque adeò violenter JESUM ad mortem deposcere, ad illud: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori,* subdunt: *Quia filium Dei se fecit.* O vos stolidos homines! Ex hoc, quod fecerit se filium Dei, à morte absolvi debet. Dicere se filium D i, & se illum facere, res duæ distinctæ sunt. JESUS non tantùm se dixit filium Dei, sed & filium Dei se fecit, hoc est, verè se eum esse, opere ipso ostendit: talem se ostendit opere, qualem se dixit sermone, quid hìc noxæ? Incautis vobis excidit vocula: *Fecit*, pro vocula, *Dixit*; atque sic, incautiùs licèt locuti, veritatem asseritis. Fecit se filium Dei; atque ex hoc non debetis eum ad mortem deposcere, sed de h ipso, quod eum ad mortem deposcitis, erubesc re, eumque vitâ donatum velle. Meritò vos c super ex gitat S. Cyrillus dicens lib. 1 . in Joa Cap. 19. *Oportebat sanè, quando Pilato dixisti quia filium Dei se fecit, nunc opera etiam ipsius i medium proferre. Oportebat quatriduo jam mor tuum voce solâ in vitam restitutum narrare. Oportebat unigenitum filium viduæ non relinquere. Oportebat Synagogæ Principis puellam nequaquam omittere. Oportebat modum miraculorum etiam non præterire, in altero quidem, Adolescens, tibi dico, surge; in altero verò, puella surge.* Hæc, cæteraque, quibus verè filius Dei monstrari poterat, vos malitiosi invidique homines, malitiosè,

tiosè, quia nocere ei tantummodò cupitis, præteritis.

Ecquis, JESUM esse filium Dei, in dubium vocet? quis desuper convictus non est? Petrus, eum filium Dei esse palàm professus est, dicens ei Matth. 16. *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Et Centurio Matth. 27. *Verè filius Dei erat iste.* Imò Deus Pater, eum esse suum filium, non semel declaravit. Matth. 3., quando IESUS à Ioanne in Iordane baptizabatur: & Matth. 17., quando in monte transfigurabatur, utrobique vox ista audita est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Si ergò ùt filius Dei, ab ipso Deo patre declaratus est, quis in dubium id deinceps vocare ausit? Plura sunt, ex quibus eum filium Dei esse, confirmatur. Primum, innocentia vitæ, atque integritas, quæ talis, ut priùs in [illegible] lucidissimo, quàm in vita ejus universa, næ[illegible] reperire sit. Vitæ ille integerrimus, scele[illegible]ue purissimus, cujus ne vel umbram nec ho[illegible] aut æmuli, quidquid scrutati sint, invenire [illegible]tuerint. Secundum, sanctitas ac sublimitas [illegible]ctrinæ. Ioan. 7. *Nunquam sic locutus est homo.* [illegible]octrina ejus sancta & sublimis, ut omnes eam [illegible]dmirarentur, nec caperent, sed & blanda ac suavis: vox ejus dulcis, animosque mirè afficiens. Nemo, qui eâ non rapiebatur, diceretque Cantic. 2. *Sonet vox tua in auribus meis.* Tertium, miraculorum gloria, quæ talis, ut jam fama ejus per universam quaquaversùs terram permearet, & ex variis quidem mortuorum resuscitationibus reluceret, Domino exindè rectè dicente Joan. 10.

10. *Si mihi non creditis , operibus credite* ; me nempe filium Dei esse.

Tu, ô Christiane, gaude, si aliud non notetur in te, quàm quod filius Dei sis. Talis si audis, atque sis, beatum te existima, neque quod majus est, tibi contingere posset. Et quidem filius Dei mortem subiit, ut te ad dignitatem illam, quâ fieres filius Dei, eveheret. Roga eum, ut hâc suâ gratiâ illustret animam tuam, teque in filium Dei evehat, ut post hanc vitam communicatâ divinitate suâ, inter illos te computet, qui filii Dei vocabuntur, & erunt, sortemque cum illis communem habeas, æternam in cœlis.

MEDITATIO XL.

JESUS rursus à Pilato examinatur.

Pilatus gyrat se in omnem partem : & quasi quiescere non posset, hùc illùcque discurrit. Modò foràs prodit ad Judæos, modò in prætorium se recipit: modò surgit de tribunali, modò illud repetit. Laborat omni, quo potest, modo expedire se ex intricato hoc implexoque ac simul periculoso negotio ; & eo se interim magis magisque implicat & involvit. Moras trahit Pilatus, & rem prolongat, si fortè ratio occurrat, quâ se extricet, aut Dominum liberet : Sed heus, timere ipse incipit, ne victas manus tandem tribuat, & obfirmatæ accusantium Judæorum malitiæ succumbat, consentiens in illi-

us necem, quem undequaque novit innocentem. Novum itaque examen instituit.

I. Consideratio.

SAnct. Joannes dicit Cap. 19. *Et ingressus est prætorium iterum Pilatus, & dicit ad JESUM; Unde es tu?* Certior optat fieri hâc interrogatione Pilatus, de JESU origine, & majoribus, de domo & familia, de quâ prodierit. Altissima isthæc sanè, & non adeò facilè solvenda interrogatio, ad JESUM facta: *Unde es tu?* Enimverò If. 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Est ille, *Candor lucis æternæ*, est, *Figura substantiæ Patris*, Filius est, qui ex substantia Patris semper gignitur, semper genitus est, æqualis illi essentiâ & divinitate, gloriâ & majestate. Ad id ergò Pilati ad JESUM: *Unde es tu?* quis respondere poterit? aut quis responsum, si ab ipso detur, perceperit? Pilatus homo Ethnicus, audiens ex Judæis, quod JESUS se faceret filium Dei, gentili errore imbutus, veritus fuit, (ùt putatur passim) ne Dei fortassis cujuspiam, Jovis aut Martis, esset filius. Ita enim de Romulo & Remo, de Æneâ, aliisque pluribus Poëtæ fabulantur.

Quid? confirmabat opinionem, JESUM filium Dei cujusdam, aut vel eum supra hominem esse, & respondentis JESU corporis modestia, & non respondentis gravitas morum. Væ mihi, cogitabat Pilatus, si Dei parentis filium, quem scio innocentem, dirè immitéque tractem; quæ parentis in me recidet indignatio? quæ

quæ castigatio ac pœna? Metuit gentilis Judex vanam indignationem, iramque Dei gentilis; & non metuit sententiæ, si innocentem condemnet, injustitiam; neque Judæi, accusatores & ad necem postulatores, veri Dei timent justissimam iram.

Tu, ô homo peccator, metuis nonnunquam umbras, spectra, somnia, & puerorum terriculamenta: Dæmones non metuis, peccanti tibi præsentes. Metuis peccati suspiciones & scrupulos; ipsum non metuis peccatum; ac quod majus est, non metuis districtum Christi offensi judicium, nec imminentem gehennam.

II. Consideratio.

Dicit S. Joannes Cap. 19. *JESUS autem responsum non dedit.* Sciscitatur Pilatus ex JESU: *Unde es tu?* Tacet JESUS, non respondet ei. Responsum nullum dedit, 1. Quia necesse non erat, cùm superiùs & innocentiam suam satis ei manifestam fecerit, & quæstionis illius solutionem ei satis indicaverit, dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Non loquebatur Dominus nisi rarò, & ex necessitate, & ne, si penitùs taceret (ùt ait S. Chrysostomus) perpetuo silentio superbus videretur. 2. Ne putaret quis, eum responsis suis elabi velle, & mortem effugere; quam evasisset facilè, si vel ipse, vel ejus permissu alius, causam illius seriò egisset. 3. Ne sanctum canibus daretur, & margaritæ mitterentur ante porcos. Jam enim Pilatus immani flagellationis peccato indignum se reddiderat

derat divino responso. 4. Quia homini Ethnico, qualis erat Pilatus, non potuit responderi ad eam quæstionem, quam nec Angeli capiunt. Nam, unde est persona illa, quæ majestate replet cœlum & terram? quæ in sinu Patris semper nascens, semper & nata est? Certè generatio ejus prorsus inenarrabilis est.

Accedit, quod interrogatio hæc: *Unde es tu?* concerneret solum JESUM. Quando quæstio aliqua spectabat ad Dei gloriam, vel ad salutem bonumque humanum, tunc Dominus respondebat facilè: pro se, & defensione suâ respondere, non perindè consultum habebat; atque hinc nunc respondere tantisper differt. Et quidem vel ipsum JESU silentium, ipsius est patrocinium, & suæ innocentiæ testimonium. Quid non facit Reus, coram Judice suo constitutus? Quid interrogatus non excogitet, non proferat, ut sententiam, fortè graviorem, vel avertat, vel mitiget? Non silet, nisi de crimine, de quo ferenda sententia: de crimine convictus, rem porrò suam agit lamentationibus, & deprecationibus. Si ita, qui Reus est, quomodò non loquatur pro se, qui Reus non est? qui innocens est, solâque inimici hominis malitiâ delatus & accusatus est? Cœlum movet & terram: superos inferosque, ut defendat se, omnemque culpam amoliatur à se, pateatque, dissipatis injustis accusationibus, gravata nequiter innocentia, liberque ac impunè dimittatur, ac cum debito innocentiæ testimonio decedat. At verò JESUS coram Pilato Judice suo constitutus, atque tunc, cùm agitur de capite

capite suo, nihil agit, nihil profert: & quidem ad factam sibi à Judice interrogationem, *Unde es tu?* non respondet, silet penitùs. Argumento hoc cuique meritò est, innocentiam JESU adeò manifestam esse, ut nullo patrocinio, nullâ defensione, nullâ pro se locutione egeat.

Admirare tu, homo garrule ac loquax, silentium Domini, etiam coram suo Iudice; disceque silere, saltem coram vulgo obvio. Aut, si vis, cum Pilato IESUM interroga: *Unde es tu?* Tune ille, cujus Pater est Deus? cujus ministri sunt Angeli? cujus regnum est cœlum? nam si ex forma ac habitu, ùt fit, de cujusdam conditione judicandum est, videris magìs eductus è luto, quàm veniens de cœlo: vermis videris, magìs, quàm homo. Gaude, si & tu, cum Domino ac duce tuo IESU, despectus inter homines, vilisque habeare.

III. Consideratio.

Pilatus, velut offensus silentio IESU, eum ad respondendum, vehementiùs aliquantò, propellit, dicens illi Ioan. 19. *Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo Crucifigere te: & potestatem habeo demittere te?* Imprudens isthæc & fastuosa locutio est. Non eo ipso, Pilate, quod Iudex constitutus sis, ad utrumlibet potestatem habes, sed legibus adstringeris, ut non, quod ipse velis, sed quod justum est, facias. Dominus IESUS, ne Pilatum judicem spernere videretur, respondet ei, & gravitate, & mansuetudine: *Non haberes potestatem adversùs me ullam, nisi tibi datum esset desuper; proptèrea qui me tradidit tibi,* *majus*

majus peccatum habet. Fastum retundit Pilati, nimiam sibi, nimisque despoticam potestatem adscribentis: eumque & ignorantem instruit, potestatem se illam habere à Deo, ei velut obliquè metum injiciens, sibi rationem desuper reddendam esse, si eâ abutatur.

Audi, Pilati, audiant & tecum magistratus quique, & judices. Sapiens dicit Sap. 6. *Audite Reges & intelligite, discite Judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non judicastis nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Tonitrua hæc sunt, à te, Pilate, à magistratibus quibuslibet & judicibus benè expendenda. Interea Dominus, hoc suo ad Pilatum dicto; *Non haberes potestatem adversùs me ullam* &c. innuit non obscurè, se ejus potestati nullatenùs esse subjectum, nisi prout id illi singulari Dei dispensatione permissum est: nequaquam tamen concessum, ut sine culpâ damnet. Vide ergò, Pilate, quid agas: propterea enim, qui illum ei tradiderunt, peccasse graviùs, quia eum, in quem Jus nullum habebant, ex merâ invidiâ accusârint, & necari eum per fas & nefas faciant, cùm hoc idem Pilatus, metu solùm

lùm, & importunitate adactus, facturus esset. Hic homo Ethnicus & ignorans: illi verò Judæi, legum-periti, & de Christo, Messiâ suo, multa edocti.

Ex hoc porrò: *Non haberes potestatem adversùs me ullam &c.* disce, quod monet S. Cyprianus, nihil posse diabolum in hominem, nisi Deus permiserit. Mirare quoque Jesu bonitatem ac mansuetudinem, qui impium judicem tam piè docuit, eúmque roga, ne tibi unquam faciat peccandi libertatem.

MEDITATIO XLI.

Judæi minis in Pilatum agunt.

Mos est Belliducum, aut exercituum Imperatorum, ut ubi arcem aliquam obsidione cinxerunt, & suam in potestatem redigere volunt, muros illius, levioribus primùm machinis quatiant; sed cùm hasce experiuntur non satis fortes esse, ut muri dejiciantur, alias adhibent fortiores, quibus in muris tandem ruinas faciunt, & arcem capiunt. Ita Judæi agunt cum Pilato; quatiunt primùm animum ejus accusationibus suis, tanquam machinis levioribus: sed iis non succedentibus, machinam adhibent fortiorem, dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Rem suam minis agunt. Quid tum? arcem expugnant & capiunt, Pilatum in sua vota trahunt.

I. Con-

I. Consideratio.

Pilatus, ex injectâ mentione peccati, occasione hujus dicti: *Propterea, qui me tradidit, majus peccatum habet*, seriò magìs, quàm antea, de JESU dimittendo cogitat, ne peccato se majori involvat. Sed accusatores Judæi inflammato penitùs succensi odio, cùm accusationes deficiunt, minis rem agunt, iisque illum, ut JESUM damnet, impellunt. Dicunt ad illum: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Q. d. deferemus te apud Cæsarem, cujus hostem ac æmulum foveris. Improborum est, metum incutere, quando æquitate nihil possunt. O imbellem Judicem! cedit minis, & frangitur. Vide, inquiunt illi Pilato, ne reus læsæ, aut vel neglectæ majestatis accuseris, cùm partes Cæsaris non agas, cujus locum geris, cui & fidem debes. Titubat ex metu Pilatus, ne fortè sui delatione factâ periclitetur apud Cæsarem, & suo officio privetur. Unde licet magnam de JESU opinionem concepisset, de omittendâ illius defensione cogitat.

Verba hæc: *Non es amicus Cæsaris*, nimiùm quantùm turbârunt animum ejus. Tunc ipse secum: pereat potiùs Christus, quàm ut ego Cæsaris non sim amicus, inimicus potius sim ipsius Numinis, quàm non amicus Cæsaris: tollatur potiùs innocens ex hâc vita, quàm ut ego Cæsaris excidam gratiâ. Evertantur jus, fas, æquitas, pietas: evertantur potius omnia, quàm ut, me inter & Cæsarem, solvatur amicitia. O dira cupi-

cupiditas complacendi hominibus! ô crudelis metus eis displicendi!

Videmus hìc, sed maximo Pilati malo, quàm potens sit humanus respectus, ac in quàm grande malum hominem nonnunquam impellat. Respectus humanus, respectus in Cæsarem, aut vel in Cæsaris amicitiam, Pilatum tandem permovit ad condemnandum innocentem JESUM, quod neque Pontifices ac Sacerdotum Principes suis accusationibus, Scribæ suis calumniis, neque populus universus suis clamoribus extorquere potuit. Humanus respectus, respectus, inquam, hominum, Dei non rarò despectus est: non rarò, ut placeat quis hominibus, aut vel non displiceat, Deus offenditur. Dubium non est, quin plures excidant salute, exitium incurrant, propter hoc: Quid dicent homines? id est, propter respectum humanum. Ita quis major in mundo, nobilis, aulicus inquit sibi: si in templo, dum rei intersum divinæ, geminos flectam poplites, si manus conjungam, si oculos contineam, si eâ, quâ oportet, reverentiâ coram Christo me geram, quid dicent homines? Si percussus non repercutiam, si, quod jubet Christus, bonum pro malo reddam, si illatam non ulciscar injuriam, quid dicent homines? Quod si in splendido convivio, dum alii famam alienam conviciis traducunt; denigrantque contumeliis, illis convitiando, detrahendoque non respondeam, aut non applaudam: si dicacem illorum petulantiam silentio contemnam, si aliis peccantibus, eorum non sim complex peccati; si impudentiæ aliorum

aliorum me pudeat, nec cum impudentibus impudens sim, quid dicent homines? Ergone displiceam hominibus, aut vel non placeam? valeat virtus, postponatur JESUS, contemnatur Deus. Cedat pudicitia impudicitiæ, modestia petulantiæ, verecundia impudentiæ, æquitas iniquitati, quælibet virtus cuilibet vitio. Despiciantur leges Dei, præcepta Ecclesiæ, consilia Christi: mihi est instar omnium, placere populo, satisfacere hominibus. Hæc potest, facitque non rarò Respectus humanus. Sed & in illis ad unguem exprimitur & refertur persona Pilati. Volens hic satisfacere populo, veritus non est, gravissimo, quod fingi posset, conscientiam contaminare sacrilegio. Respectus humanus eum in scelus impulit. Quid dicet Cæsar, eum, qui æmulus illius audit, si non tollam? & cogitatio illa pessimo eum ac sacrilego facinore polluit.

Tu probe pieque Christiane, humanum respectum, quo displicere, aut vel non placere hominibus, metuis, defuge. Ne dicas, ubi opus malum perpetrandum suggeritur, aut bonum omittendum: Quid dicent homines, si non omittam hoc, aut non patrem illud? dic, quid dicent Cælites, quid dicet Deus, si malo à me ille offendatur scelere? Præter Deum, alium non ita metuas, & hostibus omnibus evades superior. Respectus humanus tibi non prædominetur, ut vel opus bonum omittas, aut malum perpetres. Agat te respectus Dei, & quando ages animam, securus eris.

II. Con-

II. Consideratio.

UTì obstinatissimi Judæi minis nunc, ita & clamoribus, & Pilatum in votum suum, & JESUM in crucem actum volunt. Dicebat Pilatus ad eos: *Ecce Rex vester.* Quid tunc? *At illi clamabant*, clamabant, non dicebant: *Tolle, Tolle, Crucifige eum.* Non sufficit illis, semel clamare *Tolle*, nisi repetant, & alterum *Tolle* addant: *Tolle, Tolle*, inquiunt, *Crucifige eum.* Rationibus seriis egerat, ut flecteret Judæos, Pilatus, utque iis misericordiæ aliquid, aut commiserationis extunderet; sed iis, apud obstinatissimum illorum animum, nihil valentibus, rem quasi risu tentat. JESUM quidem miserè laceratum, sed & ridiculè adornatum, ùt Regem, regiis ridiculè instructum insignibus, statuit ante oculos eorum, aitque eis: *Ecce Rex vester.* Q. d. Eja, Regem insignem, quem de ambitu regni accusatis. Vix homo videtur, quam habere posset spem regnandi? At neque hic modus Pilato successit, illis porrò in clamore suo, *Tolle*, *Tolle*, *Crucifige eum*, irremissè pergentibus. O effrontem Judæorum insaniam! ô insanam malitiam! Regem gloriæ à se cum regno suo abjectum volunt.

Dicis, Pilate, ad Judæos de JESU: *Ecce Rex vester.* An ex mente tuâ? Et quidem Pilatus ex multis dubitare potuit, an non Rex Judæorum foret: ùt ùt est, dicit hoc Pilatus, ut illos sic fortè emolliat ad compatiendum misero, sive, ut hortetur eos ad sanam mentem, quâ intelligant, stultum esse, & indignum, hominem tam miserum

& imbellem, ſub affectati regni prætextu, condemnare; ſive ut rideat Judæos, quos non pudeat inſanire in tam ludicrum Regem ſuum. Ex mente verò Dei, veritatem eis denunciat, quemadmodum & in titulo Crucis, Regem eum Judæorum nominavit, nec aliter ſcribere voluit, Cùm audiſſent fratres Joſeph ſomnium ejus, quo dicebat, manipulum ſuum adoratum fuiſſe à manipulis eorum, indignati illi, dicebant Gen. 38. *Numquid Rex noſter eris? aut ſubjiciemur ditioni tuæ?* Ergò ut ſomnium hoc eluderent, dicebant: *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum, & tunc apparebit, quid proſint illi ſomnia ſua.* Sed nequaquam potuerunt evertere veritatem: impletum eſt enim ſomnium, & adorare, ùt Regem, debuerunt fratrem ſuum, utpote Principem (Gen. 40.) in Ægypto factum. Eodem modo Pilatus, velut oraculo quodam annuntiat illis Regem ſuum. At Judæi indignantur, Apage hunc Regem, Tolle eum, & Crucifige. Sed nihil efficitis miſeri: Rex veſter eſt, & erit, quare vel nolentes eum aliquando velut Regem adorare cogemini.

Tu, ô pia anima, Tolle, Tolle JESUM à Judæis rejectum, & Gentibus datum; Tolle eum, & *introduc illum* (Cant. 3.) *in domum matris tuæ, & in cubiculum genitricis tuæ*, eum tibi Regem præficito, non mundum, non ventrem, non Venerem, dicaturque nunc, non *ecce Rex veſter*; ſed *ecce Rex noſter*. Cave porrò, ne Regem ſemel ſuſceptum iterum abigas peccato tuo, aut vel crucifigas, ne queratur de te Malach. 3. *Vos*

con-

configitis me gens tota, quin potiùs Christo confixus cruci, ora ipsum, *ut* (Psal. 118.) *configat timore suo carnes tuas.*

III. Consideratio.

JUdæi bis clamant: *Tolle, Tolle, Crucifige eum*, ac si una crucifixio illorum rabiei immanitatem explere non posset. Pilatus, quasi attonitus hærens ad impium hunc clamorem *Crucifige eum*, regerit: *Regem vestrum Crucifigam?* q. d. nonne hoc in probrum vestrum, gentisque vestræ ignominiam cedet, si dicatur dein Regem vestrum à me esse crucifixum, & vobis id quidem postulantibus, & pertinacissimè volentibus? Quomodò abstergetis infamiam illam? æternùm illa vobis, Gentique vestræ hæsura est. Insistunt interea illi pertinaciùs postulationi suæ, quâ eum crucifixum volunt. Proh, quàm impium, quàm indignum, Messiam, ab ipso mundi exordio hominibus promissum, tot deinde sæculis avidè exspectatum, missumque tandem, summâ æterni patris commiseratione, in salutem imprimis Judæorum, talem, tamque miserabilem vitæ finem sortitum esse, ut inglorius atque maledictus, ad horrendum crucis supplicium postulatus, eo porrò exstinguatur! Tu ad te ipsum, ô Homo, conversus, vide, num simili errore ac scelere involvaris. Scis te in hunc finem editum mundo, ut Deo tandem, in æterna felicitate perfruaris. Scis mundi hujus machinam universam, in tui gratiam, à Deo esse conditam: eâdem quoque causâ ipsum Dei filium de cœlo descendisse, ex

majus peccatum habet. Fastum retundit Pilati, nimiam sibi, nimisque despoticam potestatem adscribentis: eumque & ignorantem instruit, potestatem se illam habere à Deo, ei velut obliquè metum injiciens, sibi rationem desuper reddendam esse, si eâ abutatur.

Audi, Pilati, audiant & tecum magistratus quique, & judices. Sapiens dicit Sap. 6. *Audite Reges & intelligite, discite Judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non judicastis nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Tonitrua hæc sunt, à te, Pilate, à magistratibus quibuslibet & judicibus benè expendenda. Interea Dominus, hoc suo ad Pilatum dicto; *Non haberes potestatem adversùs me ullam* &c. innuit non obscurè, se ejus potestati nullatenùs esse subjectum, nisi prout id illi singulari Dei dispensatione permissum est: nequaquam tamen concessum, ut sine culpâ damnet. Vide ergò, Pilate, quid agas: propterea enim, qui illum ei tradiderunt, peccasse graviùs, quia eum, in quem Jus nullum habebant, ex merâ invidiâ accusârint, & necari eum per fas & nefas faciant, cùm hoc idem Pilatus, metu solùm

lùm, & importunitate adactus, facturus esset. Hic homo Ethnicus & ignorans: illi verò Judæi, legum-periti, & de Christo, Messiâ suo, multa edocti.

Ex hoc porrò: *Non haberes potestatem adversùs me ullam &c.* disce, quod monet S. Cyprianus, nihil posse diabolum in hominem, nisi Deus permiserit. Mirare quoque JESU bonitatem ac mansuetudinem, qui impium judicem tam piè docuit, eúmque roga, ne tibi unquam faciat peccandi libertatem.

MEDITATIO XLI.

Judæi minis in Pilatum agunt.

MOs est Belliducum, aut exercituum Imperatorum, ut ubi arcem aliquam obsidione cinxerunt, & suam in potestatem redigere volunt, muros illius, levioribus primùm machinis quatiant; sed cùm hasce experiuntur non satis fortes esse, ut muri dejiciantur, alias adhibent fortiores, quibus in muris tandem ruinas faciunt, & arcem capiunt. Ita Judæi agunt cum Pilato; quatiunt primùm animum ejus accusationibus suis, tanquam machinis levioribus: sed iis non succedentibus, machinam adhibent fortiorem, dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Rem suam minis agunt. Quid tum? arcem expugnant & capiunt, Pilatum in sua vota trahunt.

I. Con-

I. Consideratio.

Pilatus, ex injectâ mentione peccati, occasione hujus dicti: *Propterea, qui me tradidit, majus peccatum habet*, seriò magìs, quàm antea, de JESU dimittendo cogitat, ne peccato se majori involvat. Sed accusatores Judæi inflammato penitùs succensi odio, cùm accusationes deficiunt, minis rem agunt, iisque illum, ut JESUM damnet, impellunt. Dicunt ad illum: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Q. d. deferemus te apud Cæsarem, cujus hostem ac æmulum foveris. Improborum est, metum incutere, quando æquitate nihil possunt. O imbellem Judicem! cedit minis, & frangitur. Vide, inquiunt illi Pilato, ne reus læsæ, aut vel neglectæ majestatis accuseris, cùm partes Cæsaris non agas, cujus locum geris, cui & fidem debes. Titubat ex metu Pilatus, ne fortè sui delatione factâ periclitetur apud Cæsarem, & suo officio privetur. Unde licet magnam de JESU opinionem concepisset, de omittendâ illius defensione cogitat.

Verba hæc: *Non es amicus Cæsaris*, nimiùm quantùm turbârunt animum ejus. Tunc ipse secum: pereat potiùs Christus, quàm ut ego Cæsaris non sim amicus, inimicus potius sim ipsius Numinis, quàm non amicus Cæsaris: tollatur potiùs innocens ex hâc vita, quàm ut ego Cæsaris excidam gratiâ. Evertantur jus, fas, æquitas, pietas: evertantur potius omnia, quàm ut, me inter & Cæsarem, solvatur amicitia. O dira cupi-

cupiditas complacendi hominibus ! ô crudelis metus eis displicendi !

Videmus hìc, sed maximo Pilati malo, quàm potens sit humanus respectus, ac in quàm grande malum hominem nonnunquam impellat. Respectus humanus, respectus in Cæsarem, aut vel in Cæsaris amicitiam, Pilatum tandem permovit ad condemnandum innocentem JESUM. quod neque Pontifices ac Sacerdotum Principes suis accusationibus, Scribæ suis calumniis, neque populus universus suis clamoribus extorquere potuit. Humanus respectus, respectus, inquam, hominum, Dei non raró despectus est: non raró, ut placeat quis hominibus, aut vel non displiceat, Deus offenditur. Dubium non est, quin plures excidant salute, exitium incurrant, propter hoc: Quid dicent homines? id est, propter respectum humanum. Ita quis major in mundo, nobilis, aulicus inquit sibi: si in templo, dum rei intersum divinæ, geminos flectam poplites, si manus conjungam, si oculos contineam, si eâ, quâ oportet, reverentiâ coram Christo me geram, quid dicent homines? Si percussus non repercutiam, si, quod jubet Christus, bonum pro malo reddam, si illatam non ulciscar injuriam, quid dicent homines? Quod si in splendido convivio, dum alii famam alienam conviciis traducunt; denigrantque contumeliis, illis convitiando, detrahendoque non respondeam, aut non applaudam: si dicacem illorum petulantiam silentio contemnam, si aliis peccantibus, eorum non sim complex peccati; si impudentiæ aliorum

aliorum me pudeat, nec cum impudentibus impudens sim, quid dicent homines? Ergone displiceam hominibus, aut vel non placeam? valeat virtus, postponatur JESUS, contemnatur Deus. Cedat pudicitia impudicitiæ, modestia petulantiæ, verecundia impudentiæ, æquitas iniquitati, quælibet virtus cuilibet vitio. Despiciantur leges Dei, præcepta Ecclesiæ, consilia Christi: mihi est instar omnium, placere populo, satisfacere hominibus. Hæc potest, facitque non rarò Respectus humanus. Sed & in illis ad unguem exprimitur & refertur persona Pilati. Volens hic satisfacere populo, veritus non est, gravissimo, quod fingi posset, conscientiam contaminare sacrilegio. Respectus humanus eum in scelus impulit. Quid dicet Cæsar, eum, qui æmulus illius audit, si non tollam? & cogitatio illa pessimo eum ac sacrilego facinore polluit.

Tu probe pieque Christiane, humanum respectum, quo displicere, aut vel non placere hominibus, metuis, defuge. Ne dicas, ubi opus malum perpetrandum suggeritur, aut bonum omittendum: Quid dicent homines, si non omittam hoc, aut non patrem illud? dic, quid dicent Cælites, quid dicet Deus, si malo à me ille offendatur scelere? Præter Deum, alium non ita metuas, & hostibus omnibus evades superior. Respectus humanus tibi non prædominetur, ut vel opus bonum omittas, aut malum perpetres. Agat te respectus Dei, & quando ages animam, securus eris.

II. Con-

II. Consideratio.

UTì obstinatissimi Judæi minis nunc, ita & clamoribus, & Pilatum in votum suum, & JESUM in crucem actum volunt. Dicebat Pilatus ad eos: *Ecce Rex vester.* Quid tunc? *At illi clamabant*, clamabant, non dicebant: *Tolle, Tolle, Crucifige eum.* Non sufficit illis, semel clamare *Tolle*, nisi repetant, & alterum *Tolle* addant: *Tolle, Tolle*, inquiunt, *Crucifige eum.* Rationibus seriis egerat, ut flecteret Judæos, Pilatus, utque iis misericordiæ aliquid, aut commiserationis extunderet; sed iis, apud obstinatissimum illorum animum, nihil valentibus, rem quasi risu tentat. JESUM quidem miserè laceratum, sed & ridiculè adornatum, ùt Regem, regiis ridiculè instructum insignibus, statuit ante oculos eorum, aitque eis: *Ecce Rex vester.* Q. d. Eja, Regem insignem, quem de ambitu regni accusatis. Vix homo videtur, quam habere posset spem regnandi? At neque hic modus Pilato successit, illis porrò in clamore suo, *Tolle, Tolle, Crucifige eum*, irremissè pergentibus. O effrontem Judæorum insaniam! ô insanam malitiam! Regem gloriæ à se cum regno suo abjectum volunt.

Dicis, Pilate, ad Judæos de JESU: *Ecce Rex vester.* An ex mente tuâ? Et quidem Pilatus ex multis dubitare potuit, an non Rex Judæorum foret: ùt ùt est, dicit hoc Pilatus, ut illos sic fortè emolliat ad compatiendum misero, sive, ut hortetur eos ad sanam mentem, quâ intelligant, stultum esse, & indignum, hominem tam miserum

& imbellem, sub affectati regni prætextu, condemnare; sive ut rideat Judæos, quos non pudeat insanire in tam ludicrum Regem suum. Ex mente verò Dei, veritatem eis denunciat, quemadmodum & in titulo Crucis, Regem eum Judæorum nominavit, nec aliter scribere voluit. Cùm audissent fratres Joseph somnium ejus, quo dicebat, manipulum suum adoratum fuisse à manipulis eorum, indignati illi, dicebant Gen. 38. *Numquid Rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ?* Ergò ut somnium hoc eluderent, dicebant: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & tunc apparebit, quid prosint illi somnia sua.* Sed nequaquam potuerunt evertere veritatem: impletum est enim somnium, & adorare, ùt Regem, debuerunt fratrem suum, utpote Principem (Gen. 40.) in Ægypto factum. Eodem modo Pilatus, velut oraculo quodam annuntiat illis Regem suum. At Judæi indignantur, Apage hunc Regem, Tolle eum, & Crucifige. Sed nihil efficitis miseri: Rex vester est, & erit, quare vel nolentes eum aliquando velut Regem adorare cogemini.

Tu, ô pia anima, Tolle, Tolle JESUM à Judæis rejectum, & Gentibus datum; Tolle eum, & *introduc illum* (Cant. 3.) *in domum matris tuæ, & in cubiculum genitricis tuæ*, eum tibi Regem præficito, non mundum, non ventrem, non Venerem, dicaturque nunc, non *ecce Rex vester*; sed *ecce Rex noster*. Cave porrò, ne Regem semel susceptum iterum abigas peccato tuo, aut vel crucifigas, ne queratur de te Malach. 3. *Vos*

con-

configitis me gens tota, quin potiùs Christo confixus cruci, ora ipsum, *ut* (Psal. 118.) *configat timore suo carnes tuas.*

III. Consideratio.

JUdæi bis clamant: *Tolle, Tolle, Crucifige eum*, ac si una crucifixio illorum rabiei immanitatem explere non posset. Pilatus, quasi tonitus hærens ad impium hunc clamore *Crucifige eum*, regerit: *Regem vestrum Crucifigam?* q. d. nonne hoc in probrum vestrum, gentisque vestræ ignominiam cedet, si dicatur dein Regem vestrum à me esse crucifixum, & vobis id quidem postulantibus, & pertinacissimè volentibus? Quomodò abstergetis infamiam illam? æternùm illa vobis, Gentique vestræ hæsura est. Insistunt interea illi pertinaciùs postulationi suæ, quâ eum crucifixum volunt. Proh, quàm impium, quàm indignum, Messiam, ab ipso mundi exordio hominibus promissum, tot deinde sæculis avidè exspectatum, missumque tandem, summâ æterni patris commiseratione, in salutem imprimis Judæorum, talem, tamque miserabilem vitæ finem sortitum esse, ut inglorius atque maledictus, ad horrendum crucis supplicium postulatus, eo porrò exstinguatur! Tu ad te ipsum, ô Homo, conversus, vide, num simili errore ac scelere involvaris. Scis te in hunc finem editum mundo, ut Deo tandem, in æterna felicitate perfruaris. Scis mundi hujus machinam universam, in tui gratiam, à Deo esse conditam: eâdem quoque causâ ipsum Dei filium de cœlo descendisse, ex

virgine esse natum, eum tibi labores suos omnes, passionem universam ac mortem consecrasse; tu verò quasi horum omnium oblitus, aut vel nullâ eorum ratione habitâ, quando Deo frui deberes, peccatis tuis eum repellis, cœlum tibi præcludis, salutem negligis, & tantùm non contemnis, Judæis similis, JESUM, Messiam suum relinquentibus.

Pontifices Judæorum, Scribæ, Seniores velut indignati ac inflammati ad hanc vocem, *Regis*, à Pilato Jesu applicitam, respondent: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Rejiciunt Messiam suum, nolunt eum Regem suum, ac Cæsarem, gentilem hominem, Regem eligunt. Proh intolerabilem hominum illorum insaniam! in Regem sibi gentilem Romanorum Imperatorem volunt. Grave illis erat atque exosum, Romanorum Imperium: Messiæ verò, seu Iesu jugum est suave, & onus leve; huic tamen illud invidiâ excœcati præponunt. Ne vivat Iesus, & Rex eorū audiat (quod metuunt) malunt potiùs durū Gentilis Imperatoris, Romani, inquam, Cæsaris jugum ferre, quantumvis sibi molestum, ac institutis suis contrarium. Habeant ergò sibi, quem elegerunt, Regem, Regem vastatorem, Regem exterminatorem. Sibi imputent illi, quod jam prostrati, ac per orbem undique dispersi sint, ut ne angulum quidem mundi proprium possideant, sed precariò terram incolant.

Itane, vos Judæi: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*? Cæsarem ergò habetote Regem, nos Regem non habemus alium quàm Iesum qui

Rex

Rex Regum est, ac cujus regni non est finis. O ter felix, cui ille Rex est! Vos Cæsarem habetis Regem; reddite ergò, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; nos, quæ IESU sunt, reddemus IESU, tanquam Regi nostro. IESU imperanti, nos committemus & subjiciemus, ut tanquam Rex noster de nobis statuere velit. Tu Domine, Rex noster & Deus noster, regnum tuum intra nos est, nihil petimus à te, nisi ut regas & dirigas, in terram bonam, quod est regnum tuum cœleste ac æternum.

MEDITATIO XLII.

JESUS à Pilato condemnatur.

EXperientia docet, neminem repentè ad extremum delabi, aut ad summum ascendere nisi per intervalla. S. Bernardus dicit: *à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt*; unde & dicitur: *Nemo repentè fit summus*; atque adeò, *nemo in malo repentè fit pessimus*; quasi per gradus ascenditur in supremum malitiæ culmen. Summum in Pilato flagitium fuit, JESUM, quem noverat innocentem, ad mortem crucemque condemnare, quod tandem fecit. Lavit quidem manus suas, quasi qui partem habere nollet in damnatione illa, adeòque & in profuso innocentis JESU sanguine; sed inanis hæc cæremonia fuit, quæ scelus in Pilato haud diluit.

I. Consideratio.

Pilate, quid agis? minas pertimescens clamoresque Sacerdotum ac vulgi: &, quod majus est, conscientiam deserens, innocentem JESUM, ipsam, inquam, innocentiam, cruci addicis. Christiane! latam à Pilato exhorresce sententiam. S. Joannes dicit Cap. 19. *Tunc tradidit eis Pilatus JESUM, ut crucifigeretur.* O te, Pilate, arundinem vento agitatam! ô te judicem instabilem ac impium! Verè hìc ac præclarè S. Leo dicit serm. 3. de passion. *Iisdem labiis Pilatus mittit JESUM in crucem, quibus eum pronunciavit innocentem.* Videbat Pilatus redactum se in angustias, nesciens in quod se latus verteret: necesse videbatur, vel Cæsaris excidere gratiâ, & populi amicitiâ, vel incidere in injustitiam: illud [timens], hoc contemnens, prolatâ, contra omne[s], iniquissimâ in JESUM sententiâ, auctorem vitæ condemnat ad mortem. Dicit S. Luc. Cap. 23. *JESUM tradidit voluntati eorum*, hoc est, tradidit agnum Dei lupis voracissimis, ut devoretur: tradidit eum rabidissimis canibus, ut mordeatur: tradidit eum immanissimis leonibus, ut discerpatur. Alexander M. Olympiæ matri suæ, urgenti pro condemnatione cujusdam, quem odio prosequebatur, respondit: *Pete aliud mater, non enim vita hominis ullo valet pretio æstimari.* Et ipse Nero, qui postea monstrum fuit crudelitatis, subscripturus capitali aliquando sententiæ alicujus, ajebat: *Quàm optarem modò, me nescire litteras!* Et tu, Pilate, JESUM condemnes

demnes, & ex hac vita proscribas, mortique ac cruci addicas? Tolerabile sors foret, si quid criminis tibi de eo rescire te putares; sed nihil de eo rescis, nullam in eo causam invenis. Nosti eum innocentem, innocentemque eum multis modis, palàm ac publicè proclamasti, Diu hactenùs laboratum est à te Pilate, ut JESUM liberares, & eriperes Judæis; at nunc inopinato ruis impetu, Jesumque tradis ad crucem: *Tradidit illis JESUM, ut Crucifigeretur.*

Audite iniqui Judices, & tu nunc præ aliis, Pilate, qui Judex iniquissimus, quibus vos verbis perstringat Innocentius III., innocentium patronus. Ita ait, de contempt. mund. lib. 2. Cap. 4. *Vos non attenditis merita causarum, sed merita personarum: non vitam, sed munera, non justitiam, sed pecuniam, non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet; non quod lex sanciat, sed quod mens cupiat. Non inclinatis animum ad justitiam, sed justitiam ad animum; non ut, quod liceat, hoc libeat, sed ut liceat hoc, quod libet.* Pilatus ad personas attendit, JESUM accusantes, ad minas & clamores: non attendit ad JESUM accusatum, aut ad innocentiam ejus; si ita, non JESUM, sed accusatores ejus condemnasset. Ac præcipuè attendit Pilatus ad gratiam Cæsaris, timens ne perderet illam, nisi JESUM damnaret innocentissimum: non perditam, sed stabilitam volebat sibi gratiam Cæsaris; atque ideò minis Sacerdotum ac scribarum de perdenda à se Cæsaris gratia, & populi importunitati cedit. Dicitur Ex. 23. *Non sequêris turbam ad faciendum*

malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à vero devies. Judex nusquam, & in nullius gratiá à justitia deflectere debet. Pilatus magìs laborabat servare sibi gratiam Cæsaris, deflectendo à justitia, quàm ei inhærendo lucrari gratiam Dei; atque interea gratiam utriusque perdidit, à Cæsare in exilium missus, à Deo actus in infernum.

Tu, ô Christiane, si damneris aliquando falsò & iniquè: si sint, qui infamiâ te publicâ, pœnâque dignum dicunt, etiam cùm innocens sis, æquo feras animo, quali Dominus tuus suam damnationem tulit, iniquum silentio preme judicium. Respice in ducem tuum, qui falsissimè & iniquissimè judicatus & condemnatus est, & iniquissimam suam damnationem, æquo non tantùm, nihilque turbato tulit animo, sed & altissimo silentio pressit.

II. Consideratio.

SAnct. Matthæus dicit Cap. 27. *Pilatus*, in edito consistens loco, volens signo aliquo conspicuo omnibus reddere notum, quod ob nimiam hominum remotiùs adstantium multitudinem non poterat voce, innocentem se esse à damnato innocente sanguine, *acceptâ aquâ lavat manus coram populo.* Quia manus lavisti, Pilate, ideòne putas, quod plenæ sanguine non sunt? Lava, Pilate, à malitia cor tuum. Lacrymis laves te, quia non manus, sed conscientiam inquinasti. Ecce, jam tempus est, quia nunc hâc lacrymarum aquâ benè te emundabis, eò quod accedat

jam

jam sanguis & meritum Christi. S. Augustinus serm. 118. de tempor. *Laverit licèt manus Pilatus, tamen sua facta non diluit: quamvis abstergere se putaverit justi sanguinem de suis membris, eodem tamen sanguine mens ejus tenetur infecta: ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Judex enim bonus & constans, ne sanguinem innocentis addiceret, nec invidiæ cedere debuit, nec timere.* Nullâ aquâ, Pilate, crimen tuum elues. Quid? non eluet illud totum Noëmi diluvium, nec totius aquæ elementum. Non elues illud, licèt non tantùm manus, sed & pedes & caput laves. Vult se lotione illâ testari innocentem: sed non eâ se innocentem facit. Vult eâ culpam à se in Judæos rejicere, sed non eam illâ à se rejicit. Manus fortè suas lotione illâ puras reddit à sordibus, sed non puram reddit mentem à sanguine justo, quem damnavit. *Mundas*, Pilate, (Matth. 23.) *quod de foris est paropsidis, intùs tatamen plenus es iniquitate.*

Dixi, crimen Pilati, quo condemnavit innocentem JESUM, nullâ aquâ, nec ipso diluvio elui posse. Revoco verbum: ignosci mihi rogo. Est aqua, quâ quodlibet peccatum, adeòque & hoc Pilati eluitur. Quærisne, unde aqua illa adferatur? Certè non ex oceano, fluvio, torrente, puteo, ex contrito ea & humiliato hominis affertur corde: eluit aqua illa quodlibet crimen. *Cor contritum* (inquit Propheta Ps. 50.) *& humiliatum Deus non despicies.* Cor contritum & humiliatum fons est vitæ. Ps. 35. & Joan. 4. *Fons aquæ salientis in vitam æternam.* Aqua hæc

lacrymæ sunt hominis pœnitentis, & gementis super peccatis suis. Et quid est, quod hæc etiam vel unica, si ex contrito ac humiliato corde profecta sit, non eluat? Petrus negavit, & negavit tertiò Dominum, quem & Judas prodidit, & Pilatus condemnavit. Flevit Petrus, amarè quidem & copiosè, sed vel lacrymulâ unâ ex corde contrito ac humiliato profectâ trinam negationem eluisset, quod & fecisset Judas, quò ad proditionem, & Pilatus, quò ad condemnationem suam. O Felix lacryma! ô potens aqua, nullum virtuti tuæ resistit scelus, nulla sceleris enormitas. Pilate, non nisi aquâ externâ lavisti manus; lacrymis, lacrymulâ vel unâ si lavisses conscientiam tuam, dilutum fuisset peccatum tuum.

O Homo peccator, quoties peccas tu, & quàm enormiter peccas? peccata peccatis cumulas: aquam adhibe lacrymarum, & ea deleveris. Lacrymas ex oculis tuis si elicere nequeas, gemitum elice ex corde, aut vel desiderium in corde habe. Ora Deum ut illud in te excitet singulari gratiâ suâ; atque ab omni sic facilè peccati inquinamento mundabere.

III. Considera[tio].

NUm Pilatus publica hac manuum lotione, & protestatione; *Innocens ego sum à sanguine justi hujus*, aliquid apud adstantem multitudinem profecerit? Minimè gentium: magis exinde illi concitati sunt, & inflammati adversus JESUM. Mirare: clamat universus populus Matth. 27. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*

nostros. Attende effrenem rabiem universæ multitudinis, cæcumque expende furorem invidiæ: non negant eum esse justum, sed deposcunt illum voluntque, qualis qualis tandem sit, in crucem actum: atque ut excordi timidoque Pilato animum addant, mortem justi JESU accelerent, seipsos, posterosque suos gravissimo debito obstringunt, ac utrosque sanguinis justi, injustè profusi reos faciunt. *Sanguis ejus*, inquiunt, *super nos, & super filios nostros.* Domine JESU, perculit cor tuum, & viscera tua vox illa impia, quâ populus Dei, sanguine illo liberandus, sibi, suisque sanguinis injustè effusi ultionem imprecatur. O cæcam insaniam! pœnam sibi suisque postulant, cujus magnitudinem & gravitatem: quid? enormitatem & horrorem ignorant. Et, si grave meretur supplicium peccatum omne, ob quod delendum sanguis JESU fusus est, Deus! qualem meretur gehennam, peccatum ipsum, per quod sanguis ille funditur? Nulla ei expiando gehenna sufficit.

Proh impiam hanc ac sacrilegam vocem: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros*, populi universi, non se solùm, sed & filios suos, pœnæ gravissimæ ac maledictioni obstringentis. S. Hieronymus ita perstringit eos, in Cap. 27. Matth. *Quid promeruêre ô crudeles Parentes, scelera tique Patres, filii vestri, necdum loqueiæ & rationis capaces? Quid soboles necdum nata, aut proles necdum concepta, ut priùs eam obstringatis ad mortem, quàm gignatis ad vitam? Priùs eam pœnis & maledictione involvatis, quàm naturam*

eis

eis ministretis? Sensistis vos utique Judæi, vocis istius, *sanguis ejus super nos*, efficaciam: & in obsidione civitatis vestræ, & in dispersione Gentis vestræ. Et etiamnum hodie perseverat illa imprecatio maledictionis, & in vestros refunditur filios, dispersos & abjectos, in vili agentes captivitate, per varias orbis partes. Sed illam maximè experiemini, dum contra vos clamabit sanguis, crux, & vulnera, dùm illud adimplebitur Zach. 13. *Videbunt, in quem transfixerunt*, quia tunc præ confusione clamabitis, & dicetis montibus Apoc. 6. *Cadite super nos, & operite nos à facie iræ Agni.*

JESU mi! veniat sanguis tuus super me, ut emundet me à delicto maximo. Veniat super filios meos, quos in mea habeo potestate, scilicet super intellectum meum, memoriam, & voluntatem, quos variis desideriis, à tuis alienis, enutrivi. Veniat super eos, ut velit voluntas, non nisi tibi obsequi, & compati: intellectus non sciat, nisi te crucifixum, memoria non recordetur nisi vulnerum tuorum, quibus nostra curantur.

MEDITATIO XLIII.

JESUS à Pilato traditur Judæis ad crucem.

QUis non hæreat attonitus? Pilatus, animum exutus, qui priùs ei inerat, turpiter succumbit iniquissimæ Principum Sacerdotum Senio-

niorúmque petitioni, Jesuque ad mortem crudelissimæ postulationi. SS. Evangelistæ rem hanc verbis discrepantibus referunt. S. Marcus dicit cap. 15. *Pilatus volens populo satisfacere, adjudicavit fieri petitionem eorum.* S. Luc. cap. 23. Tunc *dimisit illis Barabbam, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: JESUM autem tradidit voluntati eorum.* S. Matthæus cap. 27. *JESUM autem flagellatum tradidit voluntati eorum, ut Crucifigeretur.* O judicium perinde ac Judicem perversum! Qui antea toties fassus est, se non invenire causam in illo vel levissimam, nunc eum adjudicat morti ac cruci: non itaque, quia id meritus erat, sed quia Judæi eum morte in cruce exstinctum volebant. Vade, Pilate, & vide, quid respondeas, modò Cæsari, cujus vices geris; amodò Deo, cui tunc exerciti à te ministerii rationem redditurus es.

I. Consideratio.

DOmine JESU, quid erit tibi, traditus qui jam es à Pilato Judæis? idipsum quod agno, qui lupis committitur: mox ab his ille discerpitur: & quidem, Domine, traditus es à Pilato Judæis, ut crucifigaris: actum te illi in crucem volunt: jam itaque proximum est, ut te actum in illam videant. Supplicium crucis suscipiebat Dominus pro omnium hominum salute; atque adeò pro omnibus omnium hominum peccatis, quâcunque tandem ratione commissis, fructu mortis ejus in omnes homines, omniumque

unique utilitatem transmeante. Gaudeant ergo omnes, Judæi & Gentiles, Græci ac Barbari, Liberi ac Servi, sibique gratulentur, crucis supplicium, à JESU susceptum esse. Quid ni liberationem nostram, à damnatione IESU exspectemus? ipse Barabbas, homicida, ac nebulo seditiosus, ideóque & in carcerem compactus, ex IESU damnatione, dimissionem suam consecutus est. Proh perversum judicem perinde ac judicium! innocens damnatur IESUS: Barabbas homicida dimittitur, quia IESUS damnatur. Barabbas corvus erat, columba IESUS. Corvis nemo laqueos tendit, sed columbis, quia fructus speratur ab his, non ab illis. Damnatio optimi IESU profuit pessimo latroni; piæ cuique animæ quid ni prosit?

Peccaverunt in damnationem JESU triplicis generis homines. Principes Sacerdotum: & hi peccaverunt præcipuè ex invidia. Invidebant JESU suam apud populum æstimationem, qui eum habebat ùt prophetam, & ideò eum sublatum volebant. Vulgus populare: & hi peccaverunt ex levitate; nam utì priùs eum habebant ùt prophetam, sic postea, mutatis leviter animis, eum, utì latronem, ultimo, infamique supplicio affectum, enectumque optabant. Pilatus: & hic peccavit ex imbecillitate. Non tam malitia, quàm imbecillitas, in Pilato fuit, supplicio, crucique addicere innocentem ex metu inani, ne fortè alioquin perderet gratiam Cæsaris. Sed Pilatus, licèt peccaret ex imbecillitate, peccabat tamen gravissimè, vim conscientiæ suæ inferens, in

in gravissimo negotio. O tu, Pilate, Judex imbecillis & pusillanimis, non debuisti, ob importunitatem clamoresque vulgi, à justitia deflectere, damnando innocentem, sed importunis clamoribus contraire.

Pilato similes sunt, qui in gratiam aliorum contra conscientiam suam agunt. Traditur JESUS voluntati Judæorum: tu verò te, in voluntatem ejus, totum trade. Roga itaque Dominum, ne te tradat voluntati hostium tuorum, sed virtute hujus suæ tam iniquæ sententiæ, quâ morti addicitur, liberet te à justa sententia mortis æternæ.

II. Consideratio.

Dicit S. Matthæus Cap. 27. *Tunc milites præsidis suscipientes JESUM in prætorium, congregaverunt universam cohortem.* Dicit, *Tunc*, non post damnationem & traditionem; nam ante illam Christo, quæ sequuntur, contigerunt, sed post flagellationem. Nam milites flagellantes Dominum, mox simul eum spinis coronârunt. Dicit, *congregaverunt*, ut eum velut fictum Judæorum Regem, regiis per ludibrium insignibus ornarent. Denique: *universam*, dicit, *cohortem*, cohors erat pars decima legionis, continens milites 1250. vel ut alii 500. Cohors hæc erat prætoria, quæ prætorem Pilatum stipabat, & contra furorem populi, & hostium insidias muniebat. Sequitur: *Et exuentes illum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Exuerant Dominum chlamyde illa, eum flagellaturi,

turi, & jam denuò induunt. Incertum eſt, an Dominus poſt flagellationem reſumpſerit veſtimenta, quibus deindè rursùs fuerit flagellatus, ut coccinea illa chlamys ei injiceretur. An verò poſt flagellationem, ipſi adhuc nudo ſtatim chlamydem hanc impoſuerint. Hinc & conſequenter incertum eſt, an ter Dominus, an verò bis dumtaxat, veſtibus fuerit ſpoliatus. Quidquid ſit, & quoties hoc factum fuerit, certum eſt, Dominum & indutum & exutum fuiſſe, ac præcipuè coccineo illo palliaſtro, Proh, quàm immani vulnerum toto ubique corpore inflictorum renovatione, quantoque ac quàm immani doloris ſenſu!

Porrò cohors illa univerſa, impia ſanè ac barbara, ex impietate ac barbarie ſua voluptatem capiens, multas præterea in eum crudelitates, multas irriſiones, ſcurrilitates, petulantias, adhibuerunt, in eum, inquam, ſibi jam à Pilato ac libidini ſuæ ſubditum. Refert illas S. Matthæus, ita proſequens: *& plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinẽ, & percutiebant caput ejus.* Totum hoc fuit petulantia militum, Pilato non jubente, ſed permittente, inſtituta. Vide, Chriſtus hìc à petulantibus iſtis militibus per ludibrium quaſi Rex inauguratur, cum omnibus regis inſignibus. Tota, quæ adeſt ei, cohors, totus velut exercitus eſt, quo ſtipatur & cingitur. Thronus ejus ſaxum eſt frigidum, in quo laſſus &

exhau-

exhaustus consedit. Corona, sunt spinæ in circulum contextæ. Paludamentum regium est palliastrum coccineum. Sceptrum est arundo palustris. Faustæ acclamationes & reverentiæ populi, sunt militum genuflexiones & salutationes ludicræ, imò & sputa, alapæ, verbera. Ecce JESUS Rex ludicrus. Exhibet ille sic nobis ideam vanitatis, æquè ac afflictionis regnorum & bonorum mundi, omniumque Regum ac Principum, docetque nos, regnum mundi situm esse in honoribus, pompis, deliciis; suum verò consistere in contemptu honorum, voluptatum, & sui ipsius. At IESUS ludibria illa omnia divinâ humilitate & patientiâ sustinuit, adeóque meruit Philipp. 2. *Ut in nomine ejus omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS in gloria est Dei Patris.*

Tu, si tibi aliquid contingat ludibrii, in IESUM respice, affectum omni ludibrii genere, atque, ùt ille, humiliter ac patienter, sustine: ipsum illud ludibrium charum te ei reddet, magisque exinde coram eo redderis gloriosus.

III. Consideratio.

CONsidera, ô homo Christiane, Dominum tuum IESUM, Pilato ignavo judice, importunis Iudæorum, violentisque clamoribus & postulationibus succumbente, omni nunc humano auxilio & solatio destitutum, tradi feris ac barbaris tortoribus, ne tu, gravioribus obstrictus peccatis, tradaris dæmonibus, sed eis

eximaris, & Deo cedas. Aſpice corpus ejus tenellum, omni ex parte ſaucium, crudelibus manibus contrectari & lacerari. O quot ac quos dolores immites illæ contrectationes & lacerationes ei attulêre! quos rubores repetitæ illæ caſtiſſimi corporis denudationes! Purpura ſanguini concreto adhæreſcens, petulanter detracta, renovatis vulnerum doloribus, cutem laceram cum carne abſtulit. Reddita ſunt Domino jam brevi crucifigendo veſtimenta ſua, ut toto vultu, ſputis, ſordibus, ſanguine, taboque oppletus & ignotus, ex conſuetis ſaltem veſtibus, quis eſſet, agnoſceretur. Induit verò hæc veſtimenta ſua Dominus, ut veſtem ſuam Eccleſiam, ejuſque ſingula membra, Deo conſecraret. Inquirunt aliqui, an, dum exuunt IESUM chlamyde coccineâ, quâ eum indutum, ùt fictum Regem riſerant, etiam ſpineam coronam, alterum Regis inſigne, abſtulerint? Sed corona ſpinea non legitur de capite ejus ablata, ſicut id legitur de chlamyde: unde judicant plures, coronam in capite ejus fuiſſe relictam, nempe ut, cùm bajularet crucem, coronam quoque, ùt Rex ridiculus, bajularet, magis exinde decachinnandus: atque etiam ut jam cruci affixus, ſic magìs Rex ridiculus appareret. O vos feræ belluæ, & non tantùm ſævi carnifices, agitis quidlibet cum innocente IESU: ridetis eum ſimul & affligitis. Feramus & nos, riſus & afflictiones noſtras, feramus eas, animo nihil turbato, ducis noſtri IESU exemplo animati.

Pilatus tradidit eis IESUM, *ut Crucifigeretur*;

omnes

omnes illæ militum crudelitates & petulantiæ, irrisiones, sannæ, adorationes, non nisi præambulæ erant. Traditus erat, ut crucifigeretur. Atque ut videretur justè damnatus, solemnem Pilatus damnationis sententiam exaravit. Habet hanc sententiam Adrichomius, descriptor accuratus terræ sanctæ, his constantem verbis:

JESUM Nazarenum, subversorem gentis, contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, ut Majorum suæ Gentis testimonio probatum est, ducite ad communem supplicii locum, & cum ludibrio Regiæ Majestatis, in medio duorum latronum Crucifigite.

Itane verò tu, Pilate præses inglorie ac ignave Judex, JESUM, quem multo adhibito examine, invenisti innocentem, immunemque ab omni prorsùs crimine, eumque talem publicè non semel declarasti, nunc reum pronuncias gravissimorum criminum, dignumque proinde, qui publico ac infami supplicio, in communi supplicii loco afficiatur? Sanè, quotquot sumus Christiani, si uspiam, hìc meritò exclamamus cum Moyse Deuter. 32. *Audite cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei.* Cum Jeremia Jer. 2. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* Cum Michæa Mich. 1. *Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo ejus, & sit Dominus Deus vobis in testem.* Et cum Ezechiele, Ezech. 9. *Heu, Heu, Heu, Domine*; qui Auctor est vitæ, publicâ sententiâ, infami morti addicitur.

MEDITATIO XLIV.

JESUS crucem bajulat.

G*Rande ſpectaculum*, exclamat S. Auguſtinus Tract. 7. in Joan. *Si ſpectet impietas, grande ludibrium: ſi ſpectet pietas, grande myſterium. Si ſpectet impietas, videt regem pro virga regni, lignum ſui portare ſupplicii: ſi pietas ſpectet, videt regem bajulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus erat etiam in frontibus regum.* Cœlorum Regi profertur crux, humeriſque illius imponitur, ex quo novum, in ſacris ejus ſcapulis, vulnus formatur. Imponunt JESU lignum, qui ab ipſo toties meriti ſunt æternùm cruciari: & tamen portat JESUS lignum propter vetitum lignum: portat JESUS lignum crucis, ne tu homo crucem deportare recuſes. S. Joannes dicit Cap. 19. *Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur calvariæ locum.*

I. Conſideratio.

SPectaculum hìc nunc videmus, cui ſimile non vidit orbis. Dominus, Rex cœli & terræ, lignum portat humeris ſuis, quod mox velut thronum conſcendet, non ex eo regnaturus, ſed in eo moriturus. Dominus, qui orbem univerſum tribus appendit digitis, ſub ligni illius pondere in terram deprimitur. O vos atroces ſævique tortores & carnifices, lignum tam grave exhauſto JESU imponitis? an juſſu Præſidis? haud id co-

gitans

gitandum est : omnia illi per se ausi sunt, cur & hoc non audeant? At quid est, quod JESUS ipse hoc lignum gestet, hoc, inquam, lignum in quo crucifigendus est? Respondent mysteriorum crucis investigatores, esse id, quia crucis lignum adeò probrosum & maledictum erat, ut honestus nemo, nisi coactus, tangere hoc vellet; ideò & ab ipsis crucifigendis, quos probro singulari ac maledictione affectos volebant, gestaretur. Vide, Rex cœli & terræ, infra quemque honestum dejicitur. En tibi, quàm verum illud Ps. 21. *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* S. Athanasius inquit Serm. de Passion. & Cruc. *Quia decebat victorem, jam triumphantem de diabolo, non alteri concedere, sed sibi suum gestare trophæum.* Vel, ùt Euthymius ait: *Ferebat crucem, tanquam strenuus miles lanceam, quâ dejecturus erat adversarium.* Dominus JESUS habet crucem in suis humeris; sed plures sunt, qui malunt crucem jam habere sub pedibus: sunt hi, quotquot afflict, se[...] nibus, ærumnis, miseriis à Deo visitati, eas in Pi[...] patienter gerunt. jam

Vix Judæi bibulis auribus perceperant ex o[re] di Pilati, latam in JESUM mortis sententiam, eumque è vestigio ad mortem educendum: quid? infami in ligno enecandum; cùm repentè totâ urbe, per vicos & compita cœpit, inconditis clamoribus, velut triumphalis Judæorum plausus, resonare. Audivisses hìc exprimi, quod pridem à Jeremia expressum Thren. 1. *Sibilaverunt, & frenduerunt dentibus, & dixerunt: devorabimus: en ista est dies, quam exspectabamus:*

unique utilitatem transmeante. Gaudeant ergo omnes, Judæi & Gentiles, Græci ac Barbari, Liberi ac Servi, sibique gratulentur, crucis supplicium, à JESU susceptum esse. Quid ni liberationem nostram, à damnatione IESU exspectemus? ipse Barabbas, homicida, ac nebulo seditiosus, ideóque & in carcerem compactus, ex IESU damnatione, dimissionem suam consecutus est. Proh perversum judicem perinde ac judicium! innocens damnatur IESUS: Barabbas homicida dimittitur, quia IESUS damnatur. Barabbas corvus erat, columba IESUS. Corvis nemo laqueos tendit, sed columbis, quia fructus speratur ab his, non ab illis. Damnatio optimi IESU profuit pessimo latroni; piæ cuique animæ quid ni prosit?

Peccaverunt in damnationem JESU triplicis generis homines. Principes Sacerdotum: & hi peccaverunt præcipuè ex invidia. Invidebant JESU suam apud populum æstimationem, qui eum habebat ùt prophetam, & ideò eum sublatum volebant. Vulgus populare: & hi peccaverunt ex levitate; nam utì priùs eum habebant ùt prophetam, sic postea, mutatis leviter animis, eum, utì latronem, ultimo, infamique supplicio affectum, enectumque optabant. Pilatus: & hic peccavit ex imbecillitate. Non tam malitia, quàm imbecillitas, in Pilato fuit, supplicio, crucique addicere innocentem ex metu inani, ne fortè alioquin perderet gratiam Cæsaris. Sed Pilatus, licèt peccaret ex imbecillitate, peccabat tamen gravissimè, vim conscientiæ suæ inferens, in

in gravissimo negotio. O tu, Pilate, Judex imbecillis & pusillanimis, non debuisti, ob importunitatem clamoresque vulgi, à justitia deflectere, damnando innocentem, sed importunis clamoribus contraire.

Pilato similes sunt, qui in gratiam aliorum contra conscientiam suam agunt. Traditur JESUS voluntati Judæorum: tu verò te, in voluntatem ejus, totum trade. Roga itaque Dominum, ne te tradat voluntati hostium tuorum, sed virtute hujus suæ tam iniquæ sententiæ, quâ morti addicitur, liberet te à justa sententia mortis æternæ.

II. Consideratio.

DIcit S. Matthæus Cap. 27. *Tunc milites præsidis suscipientes JESUM in prætorium, congregaverunt universam cohortem.* Dicit, *Tunc*, non post damnationem & traditionem; nam ante illam Christo, quæ sequuntur, contigerunt, sed post flagellationem. Nam milites flagellantes Dominum, mox simul eum spinis coronârunt. Dicit, *congregaverunt*, ut eum velut fictum Judæorum Regem, regiis per ludibrium insignibus ornarent. Denique: *universam*, dicit, *cohortem*, cohors erat pars decima legionis, continens milites 1250. vel ut alii 500. Cohors hæc erat prætoria, quæ prætorem Pilatum stipabat, & contra furorem populi, & hostium insidias muniebat. Sequitur: *Et exuentes illum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Exuerant Dominum chlamyde illa, eum flagellaturi,

turi, & jam denuò induunt. Incertum eſt, an Dominus poſt flagellationem reſumpſerit veſtimenta, quibus deindè rursùs fuerit flagellatus, ut coccinea illa chlamys ei injiceretur. An verò poſt flagellationem, ipſi adhuc nudo ſtatim chlamydem hanc impoſuerint. Hinc & conſequenter incertum eſt, an ter Dominus, an verò bis dumtaxat, veſtibus fuerit ſpoliatus. Quidquid ſit, & quoties hoc factum fuerit, certum eſt, Dominum & indutum & exutum fuiſſe, ac præcipuè coccineo illo palliaſtro, Proh, quàm immani vulnerum toto ubique corpore inflictorum renovatione, quantoque ac quàm immani doloris ſenſu!

Porrò cohors illa univerſa, impia ſanè ac barbara, ex impietate ac barbarie ſua voluptatem capiens, multas prætereà in eum crudelitates, multas irriſiones, ſcurrilitates, petulantias, adhibuerunt, in eum, inquam, ſibi jam à Pilato ac libidini ſuæ ſubditum. Refert illas S. Matthæus, ita proſequens: *& plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinē, & percutiebant caput ejus*. Totum hoc fuit petulantia militum, Pilato non jubente, ſed permittente, inſtituta. Vide, Chriſtus hìc à petulantibus iſtis militibus per ludibrium quaſi Rex inauguratur, cum omnibus regis inſignibus. Tota, quæ adeſt ei, cohors, totus velut exercitus eſt, quo ſtipatur & cingitur. Thronus ejus ſaxum eſt frigidum, in quo laſſus & exhau-

exhaustus consedit. Corona sunt spinæ in circulum contextæ. Paludamentum regium est palliastrum coccineum. Sceptrum est arundo palustris. Faustæ acclamationes & reverentiæ populi, sunt militum genuflexiones & salutationes ludicræ, imò & sputa, alapæ, verbera. Ecce Jesus Rex ludicrus. Exhibet ille sic nobis ideam vanitatis, æquè ac afflictionis regnorum & bonorum mundi, omniumque Regum ac Principum, docetque nos, regnum mundi situm esse in honoribus, pompis, deliciis; suum verò consistere in contemptu honorum, voluptatum, & sui ipsius. At Iesus ludibria illa omnia divinâ humilitate & patientiâ sustinuit, adeóque meruit Philipp. 2. *Ut in nomine ejus omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS in gloria est Dei Patris.*

Tu, si tibi aliquid contingat ludibrii, in Iesum respice, affectum omni ludibrii genere, atque, ùt ille, humiliter ac patienter, sustine: ipsum illud ludibrium charum te ei reddet, magisque exinde coram eo redderis gloriosus.

III. Consideratio.

Considera, ô homo Christiane, Dominum tuum Iesum, Pilato ignavo judice, importunis Iudæorum, violentisque clamoribus & postulationibus succumbente, omni nunc humano auxilio & solatio destitutum, tradi feris ac barbaris tortoribus, ne tu, gravioribus obstrictus peccatis, tradaris dæmonibus, sed eis exima-

eximaris, & Deo cedas. Aspice corpus ejus tenellum, omni ex parte saucium, crudelibus manibus contrectari & lacerari. O quot ac quos dolores immites illæ contrectationes & lacerationes ei attulêre! quos rubores repetitæ illæ castissimi corporis denudationes! Purpura sanguini concreto adhærescens, petulanter detracta, renovatis vulnerum doloribus, cutem laceram cum carne abstulit. Reddita sunt Domino jam brevi crucifigendo vestimenta sua, ut toto vultu, sputis, sordibus, sanguine, taboque oppletus & ignotus, ex consuetis saltem vestibus, quis esset, agnosceretur. Induit verò hæc vestimenta sua Dominus, ut vestem suam Ecclesiam, ejusque singula membra, Deo consecraret. Inquirunt aliqui, an, dum exuunt Iesum chlamyde coccineâ, quâ eum indutum, ùt fictum Regem riserant, etiam spineam coronam, alterum Regis insigne, abstulerint? Sed corona spinea non legitur de capite ejus ablata, sicut id legitur de chlamyde: unde judicant plures, coronam in capite ejus fuisse relictam, nempe ut, cùm bajularet crucem, coronam quoque, ùt Rex ridiculus, bajularet, magis exinde decachinnandus: atque etiam ut jam cruci affixus, sic magìs Rex ridiculus appareret. O vos feræ belluæ, & non tantùm sævi carnifices, agitis quidlibet cum innocente Iesu: ridetis eum simul & affligitis. Feramus & nos, risus & afflictiones nostras, feramus eas, animo nihil turbato, ducis nostri Iesu exemplo animati.

Pilatus tradidit eis Iesum, *ut Crucifigeretur*; omnes

omnes illæ militum crudelitates & petulantiæ, irrisiones, sannæ, adorationes, non nisi præambulæ erant. Traditus erat, ut crucifigeretur. Atque ut videretur justè damnatus, solemnem Pilatus damnationis sententiam exaravit. Habet hanc sententiam Adrichomius, descriptor accuratus terræ sanctæ, his constantem verbis:

JESUM Nazarenum, subversorem gen. contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, ut Majorum suæ Gentis testimonio probatum est, ducite ad communem supplicii locum, & cum ludibrio Regiæ Majestatis, in medio duorum latronum Crucifigite.

Itane verò tu, Pilate præses inglorie ac ignave Judex, JESUM, quem multo adhibito examine, invenisti innocentem, immunemque ab omni prorsùs crimine, eumque talem publicè non semel declarasti, nunc reum pronuncias gravissimorum criminum, dignumque proinde, qui publico ac infami supplicio, in communi supplicii loco afficiatur? Sanè, quotquot sumus Christiani, si uspiam, hìc meritò exclamamus cum Moyse Deuter. 32. *Audite cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei.* Cum Jeremia Jer. 2. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* Cum Michæa Mich. 1. *Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo ejus, & sit Dominus Deus vobis in testem.* Et cum Ezechiele, Ezech. 9.

Heu, Heu, Heu, Domine; qui Auctor est vitæ, publicâ sententiâ, infami morti addicitur.

MEDITATIO XLIV.

JESUS crucem bajulat.

G*Rande ſpectaculum*, exclamat S. Auguſtinus Tract. 7. in Joan. *Si ſpectet impietas, grande ludibrium: ſi ſpectet pietas, grande myſterium. Si ſpectet impietas, videt regem pro virga regni, lignum ſui portare ſupplicii: ſi pietas ſpectet, videt regem bajulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus erat etiam in frontibus regum.* Cœlorum Regi profertur crux, humeriſque illius imponitur, ex quo novum, in ſacris ejus ſcapulis, vulnus formatur. Imponunt JESU lignum, qui ab ipſo toties meriti ſunt æternùm cruciari: & tamen portat JESUS lignum propter vetitum lignum: portat JESUS lignum crucis, ne tu homo crucem deportare recuſes. S. Joannes dicit Cap. 19. *Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur calvariæ locum.*

I. Conſideratio.

SPectaculum hìc nunc videmus, cui ſimile non vidit orbis. Dominus, Rex cœli & terræ, lignum portat humeris ſuis, quod mox velut thronum conſcendet, non ex eo regnaturus, ſed in eo moriturus. Dominus, qui orbem univerſum tribus appendit digitis, ſub ligni illius pondere in terram deprimitur. O vos atroces ſævique tortores & carnifices, lignum tam grave exhauſto JESU imponitis? an juſſu Præſidis? haud id cogitans

gitandum est : omnia illi per se ausi sunt, cur & hoc non audeant? At quid est, quod JESUS ipse hoc lignum gestet, hoc, inquam, lignum in quo crucifigendus est? Respondent mysteriorum crucis investigatores, esse id, quia crucis lignum adeò probrosum & maledictum erat, ut honestus nemo, nisi coactus, tangere hoc vellet; ideò & ab ipsis crucifigendis, quos probro singulari ac maledictione affectos volebant, gestaretur. Vide, Rex cœli & terræ, infra quemque honestum dejicitur. En tibi, quàm verum illud Ps. 21. *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* S. Athanasius inquit Serm. de Passion. & Cruc. *Quia decebat victorem, jam triumphantem de diabolo, non alteri concedere, sed sibi suum gestare trophæum.* Vel, ùt Euthymius ait: *Ferebat crucem, tanquam strenuus miles lanceam, quâ dejecturus erat adversarium.* Dominus JESUS habet crucem humeris; sed plures sunt, qui malunt cruc habere sub pedibus: sunt hi, quotquot afflicti nibus, ærumnis, miseriis à Deo visitati, eas in patienter gerunt.

Vix Judæi bibulis auribus perceperant ex o Pilati, latam in JESUM mortis sententiam, eumque è vestigio ad mortem educendum: quid? infami in ligno enecandum; cùm repentè totâ urbe, per vicos & compita cœpit, inconditis clamoribus, velut triumphalis Judæorum plausus, resonare. Audivisses hìc exprimi, quod pridem à Jeremia expressum Thren. 1. *Sibilaverunt, & frenduerunt dentibus, & dixerunt: devorabimus: en ista est dies, quam exspectabamus:*

invenimus, *vidimus*. Interim morâ procul omni, omnia feralis pompæ instrumenta præparantur & proferuntur: crux imprimis ipsa, clavi, mallei, funes, terebræ, forcipes, scalæ, ligones, spongiæ, acetum vinumque myrrhâ mixtum, & quidquid ex Romano ritu, ad crucifixionem pertinebat. Sed nunc, cùm omne supplicii tam infamis choragiũ apparatur, JESUS funibus vinctus, spinis coronatus, lacrymis perfusus, sudore madidus, sanguine cruentus, tabo horridus: & quasi hoc parùm sit, plagis lividus, vulneribus plenus, viribus exhaustus, frigore tremulus, toto corpore laceratus, ab omnibus desertus, ob animi deliquia ægrè spirans, in atrio Pilati, saxo rudi insidens, crucem exspectat fractis humeris imponendam. Tacitè ille ad crucis supplicium se Patri offert, dicens Matth. 11. *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* q. d. Scis, Pater mi, ...od tibi obedierim usque ad stabulum & pecu... : usque in remotiorem Ægyptum ad gentes ...rbaras: quocunque misisti me, tibi lubens ego ...rui. Nunc verò exspectatum diu, multùmque à ... optatum adest tempus, quò obediam tibi usque ad Calvariæ montem, communem supplicii locum, usque ad mortem, mortē autem crucis, ad quam præstò sum. Vix hæc JESUS tacitè secum, & ecce crux ipsa adducitur in conspectum. O quanto hoc animæ gaudio! quia crux ara ei futura est, in qua seipsum jam jam Patri hostiam cruentam modò, pro redemptione mundi oblaturus est.

O Christiane! si JESUM vis Ducem tuum, &

& te ejus militem, crucem ad exemplum ejus adama & accepta. Et quamvis nullus tibi alius ex cruce fructus, utilitas nulla, amanda tamen illa est & æstimanda, quia à duce tuo amata & æstimata fuit. Gloria est militi, exemplum sequi ducis sui. Sequar te, Domine, cum cruce mea, quocunque ieris. Crux mihi gladius sit, quo hostem jugulem, quo vincam & triumphem.

II. Consideratio.

O Vos Cherubim & Seraphim, qui tegitis pedes & faciem, veriti faciem aspicere Jesu: facies vestras retegite, & videte, quâ ille & corporis totius submissione, & animi reverentiâ cruci sibi adjectæ, ligno rudi, gravique supra vires, fractos supponat humeros. O quam libenter advolantes, onus sublevassetis! sed velut arcet vos, aut vel impedit Dominus, onus hoc, per se, non per suos, laturus. Exspectabat eum foràs, cum cruce sua, prodeuntem, confertissima ac penè infinita hominum turba, quæ jam non quærebat tangere eum, ùt olim Luc. 6., sed crucifigere, & crucifixum conspicere. Vah, Pilate, qui talem virum in crucem mittis! Et jam nunc onustus cruce, ad supplicii locum progreditur. Præcedit tubicen, qui clangentis buccinæ mœsto murmure, totam foribus evocat civitatem. Sequuntur justitiæ ministri, milites, lictores, aut, ut veriùs dicam, injustitiæ satellites: Dein duo insignes latrones, Barabbæ similes. Tandem subsequitur, non indecoro sanguine velut sordidus, magnus inferorum debellator, mortis

victor, peccati ſubactor, mundi redemptor Jesus, crucem bajulans, ſed & in cruce triumphans. Egredienti maledicebant turbæ, ſcurræ, inquam, maledici, verbis Semei 2. Reg. 16. *Egredere, egredere, vir ſanguinum, vir Belial. Ecce premunt te mala tua, quoniã vir ſanguinũ es.* Hiſce accinebant Sacerdotes & ſcribæ: Egredere, egredere, ſubverſor gentis noſtræ, contemptor Cæſaris, falſe Meſſia, ſeductor populi. O quàm verberabant, pungebant, lancinabant cor Jesu, intimaque ejus viſcera hæ maledicorum hominum voces maledictæ! At nihil cunctatur bajulator JESUS: quin & gaudium inde elicit, quo ſibi propoſito, cum cruce ſua, ad locum ſupplicii macte pergit.

O quàm alius ingreſſus JESU in Jeruſalem, qui paucis ante diebus contigit, ab hoc ejus ex illa egreſſu! S. Matthæus de ingreſſu in Jeruſalem ita dicit Cap. 21. *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ingreditur JESUS in Jeruſalem, velut Rex, vectus jumento, cui diſcipuli veſtimenta ſua imponunt. Ingreditur velut Meſſias, vectus aſinâ, manſueto humilique animali. Matth. 21. *Ecce Rex tuus*, idem & Meſſias, *venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam.* Palliis & togis ſternuntur viæ, quibus incedit; ramis eæ frondibuſque exornantur. Turbarum ei fauſtè acclamantium communis

vox

vox audiebatur: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Profectò præclarus in his triumphus. O quàm inversa jam omnia! egreditur nunc JESUS ex Jerusalem, non ut Rex, sed ut contemptor Regis: non ut verus Messias, sed ut falsus: non instrato vectus jumento, sed onustus rudi ligno: non hìc faustæ acclamationes, sed infaustæ imprecationes; & qui sex ante diebus ingredienti accinebant; *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, nunc egredienti succinunt: maledictus, qui abit in nomine diaboli. Quid dicam? Ita omnes eum, cùm suam adhuc ferret crucem, cùm non possunt manibus, crucifigunt vocibus.

Admirare tu inconstantiam mundi, videque, quàm facilè mortalium mutentur animi. Hodie te laudabunt, cras contra te jurabunt: nec juvat, benefecisse eis; benefactorum obliti, pro re nata, natoque tempore, hàc illácque inclinante libidine, etiam odium in te effundent. Expertus id Dominus ac Dux noster IESUS. Si & tu quid simile experiaris, ejus te solare exemplo.

III. Consideratio.

PErpende, ô pia ac meditatrix anima, neminem ex tota illa confertissimâ multitudine repertum esse, qui obtulit se, ad ferendam cum IESU crucem, quidquid ille hoc, pluribus pridem in eos collatis beneficiis, commeruerit. Militibus Romanis, qui Gentiles erant, non id lubebat; Iudæis verò crux erat execrabilis, & quidem vel solus illius attactus, quia ex Scripturis apud illos:

Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Itaque debuit Dominus ipse eam suscipere in humeros suos, laceros utique jam aliundè. O quantâ carnifices illi insolentiâ lignum illud in humeros ejus injiciunt! ô quàm molestè, quantoque doloris sensu jam lassus fractúsque IESUS crucem portat! Ita autem eam portavit, ut partem unam extremam bajularet humero, alteram per terram protraheret, quam pertrahens, ad saxa & scrobes, utì fit, allidens, concutiebatur continuè, adeo ut flagellorum vulnera hac concussione, ad quemque gressum renovarentur; quæ concussio ei sic continua & gravissima fuit afflictio. Nobis subinde molestum est, de cruce Domini, ejusque Passione vel cogitationem suscipere: durum nobis subinde, leve quid pro amore IESU ferre, aut vel attingere. In Ducem tuum IESUM, crucem suam ferentem, respice. Mundus plerúmque crucem dat gravem, quam solus sæpe ferre cogeris; IESUS verò suave imponit jugum, & onus leve, illudque & tibi gratiâ suâ sublevat, cur non feramus? Roga Dominum, ut cruci suæ peccata tua imponat, à téque illa in corpus suum transferens, & sanguine suo delens. Amat hoc facere, qui est (Joan. 1.) *Agnus Dei, tollens peccata mundi.*

Expende, quò IESUS cum hoc ligno, cum cruce, inquam, sua profectus sit; nempe ad montem urbi vicinum, cui nomen erat Golgotha, hoc est, Calvaria, vel à sepultura primi Parentis Adami, cujus calvaria illic inventa est, quemadmodum nonnulli SS. Patres arbitrati sunt;

ſunt; vel à craniis reorum, qui in hoc loco, (qui ſupplicii locus erat) pœnas mortis dediſſent. Fœtidus itaque locus erat, & infamis, in quo Iesus crucifigeretur; ſed eum ille morte ſuâ ſanctificavit, in eoque Adæ peccatum ſuo ſanguine diluit. Et certè, magnum eſt Crucis ſacramentum, nihil eâ ſacratius, poſtquam illam Dominus humeris ſuis tetigit, ejuſque illa cruore tincta fuit. Si non fuiſſet crux, non fuiſſet vita ligno affixa, & non fluxiſſet ex latere ejus ſanguis & aqua, mundum, velut rivi incorruptionis, purgantes: non foret ruptum peccati chirographum: non aſſecuti fuiſſemus libertatem, non ligni vitæ fructum percepiſſemus: non apertus fuiſſet Paradiſus: non verſatilis romphæa ceſſiſſet è via: non ſpoliati inferi: ſi non fuiſſet crux, non morte affectus fuiſſet ſerpens acerbus. O crux quàm pretioſa es, quantæ virtutis & efficaciæ, poſtquam à Domino Iesu tacta & portata es! Per te, quæ priùs maledicta eras, omnis maledictio ſublata eſt. Inimici Iesu fabricaverunt ei crucem in opprobrium & necem; ipſe illam nunc vertit in gloriam & triumphum, non uni ſibi, ſed & Angelis & hominibus.

Diſce itaque Chriſtiane, crucem amare & æſtimare, ſi miles eſſe vis Ducis tui. Pretium illa & decorem ex membris ejus ſuſcepit. Ama crucem, amplectere crucem, ſtringe crucem, ori eam & pectori admove, in ea enim ſalus, vita, & reſurrectio noſtra.

MEDI-

MEDITATIO XLV.

Idem myſterium.

FIgura non una reperitur in SS. Scripturis, quâ Dominus JESUS, bajulans ſuam crucem repræſentatur. Illuſtrior præ omnibus occurrit Gen. 22., ubi Iſaac Patriarcha, filius Abrahæ, Deo, ſuper montem aliquem, in holocauſtum offerendus, ligna ipſe, ſuper quibus concremandus erat, in dorſo ſuo tulit. Rerum illuſtriorum illuſtriores plerumque figuræ ſunt. Inter res porrò maximè illuſtres, JESUS eſt bajulans crucem ſuam, unde & figura ei maximè illuſtris competit, quæ ſanè Iſaac eſt, Abrahæ filius, ligna holocauſti, in quod offerendus, ipſe in dorſo ferens.

I. Conſideratio.

HIſtoria hæc Iſaaci, longè notiſſima eſt. Refertur Gen. 22. Deus exploraturus fidem atque obedientiam Abrahæ, viri in SS. Scripturis maximi, jubet ei, ſuum ſibi, quem habebat unicum, immolet filium. Næ ardua res, parenti præſertim, non niſi unicum, per quem ſemen ſuum propagetur, filium habenti. Abraham parens, in juſſa Domini expeditus, pergit in montem, in quo Iſaac filius ab eo immolandus. Quod autem potiſſimè ad propoſitum ſpectat, eſt, quod Iſaac ipſe, qui occidendus & immolandus erat, mortis ſuæ inſtrumentum, ligna, inquam, holocauſti

causti tulerit propriis humeris. Ita S. Scriptura: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac, filium suum.* Vide nunc: quemadmodum Isaac ligna ipse tulit, super quæ cremandus, ita & JESUS ipse crucem tulit, cui suffigendus. Duæ tamen sunt differentiæ. 1. Ligna, quæ tulit Isaac, non erant gravioris ponderis, quàm ut ea commodè ferre posset; neque enim credibile est, patrem filium suum, unicè à se dilectũ, nimio onere prægravasse; crux verò Christi ponderosissima, & quam fortè vir lacertosissimus, vix aut ne vix quidem portasset solus. 2. Isaac nesciebat se, super ligna illa, immolatum iri; dicebat namque patri suo: *Ecce ignis & ligna: ubi est victima holocausti?* JESUS verò sciebat, cruci se, quam ferebat, suffigendum. Audierat non semel à Judæis clamatum, *Tolle, Tolle, Crucifige eum*: & quidem sententia, ex qua crucifigendus, ipsi jam prælecta erat. Profectò ad tormentum reo facit, mortis suæ instrumentum oculis cernere. Et quis adeò imperterritus, ut ex hoc non horrore aliquo percellatur?

O quantâ fatigatione & lassitudine Dominus bajulavit crucem suam! Taceo, quod grande & grave lignum fuerit. Communis opinio est accuratiorum scriptorum, qui hisce de rebus scribunt, crucis rectum lignum quindecim fuisse pedum, transversum verò octo: ac præterea rude fuisse & impolitum. Taceo, quod JESUS jam exhaustus esset viribus: exhaustus enim erat sanguine, in quo vires sunt, sanguine partim esudato in pridiana agonia, partim per flagellatio-

nem

nem emiſſo: ipſa via, quâ bajulanda crux, longior: inter prætorium Pilati, ex quo cum cruce egreſſus eſt Dominus, & montem Golgotha, in quem crucē detulit, trecenti triginta ſupra mille paſſus; quæ certè homini debilitato, & aliunde onere gravato, ſatis longa eſt; quam equidem Dominus, quidquid exhauſtus corpore, ſpiritu tamen lubens promptéque tulit. Multa Dominus amore noſtri, triginta trium annorum ſpatio ſuſcepit itinera, operoſa utique & moleſta; prætereo itinera infantiæ ſuæ: poſtremis vitæ ſuæ annis, nonne urbes, oppida, caſtella Judææ, jugiter circuivit? ô quoties ſedit laſſus, nunc in agris, nunc in montibus? ſingulas ejus defatigationes non deſcribunt Evangeliſtæ: unam deſcribit Evangeliſta Joannes, dicens Cap. 4. *JESUS autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Multa, inquam, operoſa & moleſta itinera ſuſcepit noſtri causâ; at nullum operoſius, moleſtius nullum, quàm hoc ultimum, quando egreſſus eſt ex urbe Jeruſalem in montem Calvariæ, bajulans lignum crucis ſuæ, inter populi blaſphemias, inter militum inſolentias. O quoties offendebat ad lapides? quoties proruebat in terram? Quis crucem ferre pro Domino, etiam graviorem recuſabit, ſi hujus crucis latæ pro ſe tantisper recordetur?

Erubeſce, Chriſtiane, & confundere: moleſtum tibi videtur iter, ire ad proximum, à quo læſus es, offenſuſque, ut te cum illo reconcilies. Iter videtur tibi moleſtum, ire ad proximum, ut de tuis, ei indigenti proſpicias. Iter tibi videtur

mole-

molestum, ire ad Sacerdotem, ut te, peccati gravioris reus, coram ipso accuses. Molestiam, in quocunque molestiore itinere tuo, vinces omnem, si modò recorderis itinerum, quæ Dominus JESUS, causâ tui, suscepit, & istius potissimum itineris, quo crucem suam ad Calvariæ montem molestissimè bajulavit.

II. Consideratio.

DOmine JESU, dixisti aliquando Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Sed hoc tuum onus, quod modò fers, & defers in locum supplicii tui, non est onus leve: onus grave est, & gravissimum. Gravissimum in te onus sumis, ut onera nostra, quæ in se gravissima sunt, levia nobis & levissima reddas. Onus tuum, hìc nunc bajulanti tibi crucem, adeò grave est, non tantùm ob ligni, quod fers, magnitudinem & pondus: non tantùm, quia illud fers, totus sanguine exhaustus, totoque adeò corpore debilitatus; sed quia cruci tuæ affixa sunt peccata nostra: ferens crucem, & ea ferebas. Ita Petrus 1. Petr. 2. *Qui peccata nostra ipse portavit in corpore suo, super lignum.* Syrus ita legit: *Bajulavit omnia peccata nostra, eáque sustulit in corpore suo ad crucem.* Dicit quoque Propheta Isaias cap. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Septuaginta legunt: *Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet*, quasi peccata nostra cruci annexa, ut portando crucem, & peccata nostra tulerit.

Peccatum quodlibet onus sanè grave est: neque

que facilè reperitur, quod illud ferat. Cœli ex ære licèt fusi peccatum non tulerunt. Peccatum commiserat Lucifer cum asseclis suis, & ex cœlo cum peccato suo detrusus est. Peccatum non tulit Paradisus, ex quo Adam, qui peccârat, detruditur. Terra non tulit peccatum, quæ peccantibus & rebellantibus in Moysen, Core, Dathan, & Abiron mox dissiliit, neque eos ad momentum sustinuit. Peccatum non tulit mare, quod Jonâ non obediente Deo, motum est, intumuitque, donec ejiceretur ex navi, absorptus dein à Cete. Et Matth. 8. *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Judas peccator, cœlum inter & terram pendulus, interiit. An non grave, quòd neque cœlum, neque terra ferat? Sanctissimus Propheta David de peccatis dicit Psal. 37. *Et sicut onus grave, gravata sunt super me.* Judas tanti erat, ac tam imperterriti animi, ut veritus non sit prodere JESUM, nequivit tamen peccatum ferre, *abiens* namque post peccatum suum, *laqueo se suspendit.*

Ne mireris, Christiane, crucem Christo, eam bajulanti, fuisse gravem; annexum ei fuit ipsum peccatum Adæ, quod erat gravissimum, in omnesque ejus posteros transfundendum. Domine JESU, grati tibi sumus, gratique æternùm futuri, quod & tuleris, & ferendo abstuleris peccata nostra, si modò & nos ea, & pœnitentiis nostris ablata velimus.

III. Con-

III. Consideratio.

CHristianus quilibet, crucem post Christum ferre debet. Christum nos oportet sequi; sed Christum non sequimur, nisi cum cruce. Dux noster Christus inclamat nobis, quod suis inclamat militibus Dux Abimelech, Judic. 9. *Quod me videritis facere, facite.* Et quidem quod olim verbo, hoc nunc clamat facto Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* S. Lucas, additâ particula aliqua, dicit Cap. 9. *Et tollat crucem suam quotidiè.* Christianus diem perdit, in quo crucem non habet. Sequamur ergò milites, Ducem nostrum, qui (Hebr. 12.) *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Gaudentes quoque nos, non dolentes sequamur. Ardua non paucis videtur via crucis, non est tamen via ad cœlum alia: via crucis, via ad cœlum regia est. Rom. 8. *Hæredes quidem sumus Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Qui vult venire post me &c.* S. Augustinus dicit: *Nullus servus Christi sine cruce est: si putas te non habere crucem, nondum cœpisti esse Christianus.* Neque enim solùm hoc perfectis aut Religiosis dicitur, sed cuilibet, omni, nemini non, id est, omnibus. S. Lucas expressè ait: *Dicebat ad omnes.* Et S. Marcus dicit, Dominum peculialiter & seorsim discipulos suos alloquentem, cùm sententiam illam vellet proferre, *convocasse turbam.* Quilibet ergò, si Christi discipulus esse velit, post Christum, tollat crucem suam, & sequatur eum.

At quid eſt, tollere crucem ſuam poſt Chriſtum? *Eſt hoc*, inquit S. Baſilius, *ſe ad mortem pro Chriſto præparare, mortificare membra ſua ſuper terram, ad omne periculum, pro Chriſti nomine ſuſcipiendum, ſedato animo accedere, & erga præſentem vitam adfectum non eſſe.* Tollere poſt Chriſtum crucem ſuam, non eſt niſi ea, quæ nobis moleſta ſunt & adverſa, lubenter pro Chriſti nomine, tolerare. Sed plures ſunt, qui hoc non faciunt. *Multi Chriſtum* (vide Thomam Kempenſem lib. 2. cap. 11.) *ſequuntur uſque ad fractionem panis, non ad bibendum calicem Paſſionis. Multi deſiderant eſſe cum Chriſto ſocii menſæ & conſolationis, pauci ſocii eſſe patientiæ & tribulationis. Multi cum ipſo cupiunt eſſe in monte Thabor in gloria, pauci in monte Calvariæ in ignominia. Amatores ſunt regni ejus, ſed non ſunt amatores crucis ejus.* Attamen non eſt alia via ad cœlum, quàm via regia ſanctæ crucis. Jubetur quilibet ferre crucem *ſuam*: & quidem cuilibet propria quædam crux commenſa eſt, & à Deo impoſita. Atque, ùt experimur, quilibet ſtatus hujus vitæ crucem ſuam, moleſta, inquam, ſua & adverſa habet: homines ſinguli, ſummi infimi, probi improbi. Suam verò crucem omnes, ſi propter Chriſtum tollant, neque murmurent (ùt nonnulli faciunt) ſicque quaſi inviti eam trahant, habent, quod præmium exſpectent, omniſque, qui perſecutionem piè tolerat, in conſortio Chriſti eſt, crucem bajulantis.

Domine JESU, ſufficit nobis, ut quilibet noſtrûm crucem ſuam ferat, quod te habeamus,

ante

ante nos crucem tuam ferentem, seu te cum cruce tua nobis præeuntem. Quid? crucem suam quisque nostrûm, ob te, nobis præeuntem, feremus, non patienter tantùm, sed & libenter & gaudenter. Nempe tu ipse, Dux noster, *proposito tibi gaudio*, (Hebr. 12.) *crucem sustinuisti.*

MEDITATIO XLVI.

Simon Cyrenæus JESUM in ferenda cruce adjuvat.

QUis non stupeat? JESUS bajulat crucem suam ad montem Calvariæ, lassus totus, totusque exhaustus viribus: repit magis, quàm incedit, fatiscens vehementer, deficiensque, ac labens ad alterum penè gressum. Sed vide. Matth. 27. *Exeuntes* (lictores ac carnifices) *invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Judæi, visâ JESU imbecillitate, quâ tanto oneri videbatur impar, metu, ne ante ipsum crucis supplicium concideret, & expiraret, gentilem quendam hominem angariant, ut JESUM juvet tantisper in ferenda cruce sua. Mysterii quid latet in eo, quod Judæis præteritis, gentilis quis in ferendo isthoc onere ei socius detur. Nempe intendit Deus significare facto isto, gloriam crucis, à Judæis ad gentes esse transferendam; uti & modò gloria ista penes gentes est, ex sua, putà gentilitate ad fidem Christianam conversas.

MEDITATIO XLV.

Idem mysterium.

FIgura non una reperitur in SS. Scripturis, quâ Dominus JESUS, bajulans suam crucem repræsentatur. Illustrior præ omnibus occurrit Gen. 22., ubi Isaac Patriarcha, filius Abrahæ, Deo, super montem aliquem, in holocaustum offerendus, ligna ipse, super quibus concremandus erat, in dorso suo tulit. Rerum illustriorum illustriores plerumque figuræ sunt. Inter res porrò maximè illustres, JESUS est bajulans crucem suam, unde & figura ei maximè illustris competit, quæ sanè Isaac est, Abrahæ filius, ligna holocausti, in quod offerendus, ipse in dorso ferens.

I. Consideratio.

HIstoria hæc Isaaci, longè notissima est. Refertur Gen. 22. Deus exploraturus fidem atque obedientiam Abrahæ, viri in SS. Scripturis maximi, jubet ei, suum sibi, quem habebat unicum, immolet filium. Næ ardua res, parenti præsertim, non nisi unicum, per quem semen suum propagetur, filium habenti. Abraham parens, in jussa Domini expeditus, pergit in montem, in quo Isaac filius ab eo immolandus. Quod autem potissimè ad propositum spectat, est, quod Isaac ipse, qui occidendus & immolandus erat, mortis suæ instrumentum, ligna, inquam, holocausti

causti tulerit propriis humeris. Ita S. Scriptura: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac, filium suum.* Vide nunc: quemadmodum Isaac ligna ipse tulit, super quæ cremandus, ita & JESUS ipse crucem tulit, cui suffigendus. Duæ tamen sunt differentiæ. 1. Ligna, quæ tulit Isaac, non erant gravioris ponderis, quàm ut ea commodè ferre posset; neque enim credibile est, patrem filium suum, unicè à se dilectũ, nimio onere prægravasse; crux verò Christi ponderosissima, & quam fortè vir lacertosissimus, vix aut ne vix quidem portasset solus. 2. Isaac nesciebat se, super ligna illa, immolatum iri; dicebat namque patri suo: *Ecce ignis & ligna: ubi est victima holocausti?* JESUS verò sciebat, cruci se, quam ferebat, suffigendum. Audierat non semel à Judæis clamatum, *Tolle, Tolle, Crucifige eum*: & quidem sententia, ex qua crucifigendus, ipsi jam prælecta erat. Profectò ad tormentum reo facit, mortis suæ instrumentum oculis cernere. Et quis adeò imperterritus, ut ex hoc non horrore aliquo percellatur?

O quantâ fatigatione & lassitudine Dominus bajulavit crucem suam! Taceo, quod grande & grave lignum fuerit. Communis opinio est accuratiorum scriptorum, qui hisce de rebus scribunt, crucis rectum lignum quindecim fuisse pedum, transversum verò octo: ac præterea rude fuisse & impolitum. Taceo, quod JESUS jam exhaustus esset viribus: exhaustus enim erat sanguine, in quo vires sunt, sanguine partim esudato in pridiana agonia, partim per flagellatio-

nem emisso: ipsa via, quâ bajulanda crux, longior: inter prætorium Pilati, ex quo cum cruce egressus est Dominus, & montem Golgotha, in quem crucē detulit, trecenti triginta supra mille passus; quæ certè homini debilitato, & aliunde onere gravato, satis longa est; quam equidem Dominus, quidquid exhaustus corpore, spiritu tamen lubens promptéque tulit. Multa Dominus amore nostri, triginta trium annorum spatio suscepit itinera, operosa utique & molesta; prætereo itinera infantiæ suæ: postremis vitæ suæ annis, nonne urbes, oppida, castella Judææ, jugiter circuivit? ô quoties sedit lassus, nunc in agris, nunc in montibus? singulas ejus defatigationes non describunt Evangelistæ: unam describit Evangelista Joannes, dicens Cap. 4. *JESUS autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Multa, inquam, operosa & molesta itinera suscepit nostri causâ; at nullum operosius, molestius nullum, quàm hoc ultimum, quando egressus est ex urbe Jerusalem in montem Calvariæ, bajulans lignum crucis suæ, inter populi blasphemias, inter militum insolentias. O quoties offendebat ad lapides? quoties proruebat in terram? Quis crucem ferre pro Domino, etiam graviorem recusabit, si hujus crucis latæ pro se tantisper recordetur?

Erubesce, Christiane, & confundere: molestum tibi videtur iter, ire ad proximum, à quo læsus es, offensusque, ut te cum illo reconcilies. Iter videtur tibi molestum, ire ad proximum, ut de tuis, ei indigenti prospicias. Iter tibi videtur mole-

molestum, ire ad Sacerdotem, ut te, peccati gravioris reus, coram ipso accuses. Molestiam, in quocunque molestiore itinere tuo, vinces omnem, si modò recorderis itinerum, quæ Dominus Jesus, causâ tui, suscepit, & istius potissimum itineris, quo crucem suam ad Calvariæ montem molestissimè bajulavit.

II. Consideratio.

Domine Jesu, dixisti aliquando Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Sed hoc tuum onus, quod modò fers, & defers in locum supplicii tui, non est onus leve: onus grave est, & gravissimum. Gravissimum in te onus sumis, ut onera nostra, quæ in se gravissima sunt, levia nobis & levissima reddas. Onus tuum, hìc nunc bajulanti tibi crucem, adeò grave est, non tantùm ob ligni, quod fers, magnitudinem & pondus: non tantùm, quia illud fers, totus sanguine exhaustus, totoque adeò corpore debilitatus; sed quia cruci tuæ affixa sunt peccata nostra: ferens crucem, & ea ferebas. Ita Petrus 1. Petr. 2. *Qui peccata nostra ipse portavit in corpore suo, super lignum.* Syrus ita legit: *Bajulavit omnia peccata nostra, eáque sustulit in corpore suo ad crucem.* Dicit quoque Propheta Isaias cap. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Septuaginta legunt: *Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet*, quasi peccata nostra cruci annexa, ut portando crucem, & peccata nostra tulerit.

Peccatum quodlibet onus sanè grave est: neque

que facilè reperitur, quod illud ferat. Cœli ex ære licèt fusi peccatum non tulerunt. Peccatum commiserat Lucifer cum asseclis suis, & ex cœlo cum peccato suo detrusus est. Peccatum non tulit Paradisus, ex quo Adam, qui peccârat, detruditur. Terra non tulit peccatum, quæ peccantibus & rebellantibus in Moysen, Core, Dathan, & Abiron mox dissiliit, neque eos ad momentum sustinuit. Peccatum non tulit mare, quod Jonâ non obediente Deo, motum est, intumuitque, donec ejiceretur ex navi, absorptus dein à Cete. Et Matth. 8. *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Judas peccator, cœlum inter & terram pendulus, interiit. An non grave, quòd neque cœlum, neque terra ferat? Sanctissimus Propheta David de peccatis dicit Psal. 37. *Et sicut onus grave, gravata sunt super me.* Judas tanti erat, ac tam imperterriti animi, ut veritus non sit prodere JESUM, nequivit tamen peccatum ferre, *abiens* namque post peccatum suum, *laqueo se suspendit.*

Ne mireris, Christiane, crucem Christo, eam bajulanti, fuisse gravem; annexum ei fuit ipsum peccatum Adæ, quod erat gravissimum, in omnesque ejus posteros transfundendum. Domine JESU, grati tibi sumus, gratique æternùm futuri, quod & tuleris, & ferendo abstuleris peccata nostra, si modò & nos ea, & pœnitentiis nostris ablata velimus.

III. Con-

III. Consideratio.

CHristianus quilibet, crucem post Christum ferre debet. Christum nos oportet sequi; sed Christum non sequimur, nisi cum cruce. Dux noster Christus inclamat nobis, quod suis inclamat militibus Dux Abimelech, Judic. 9. *Quod me videritis facere, facite.* Et quidem quod olim verbo, hoc nunc clamat facto Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* S. Lucas, additâ particula aliqua, dicit Cap. 9. *Et tollat crucem suam quotidiè.* Christianus diem perdit, in quo crucem non habet. Sequamur ergò milites, Ducem nostrum, qui (Hebr. 12.) *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Gaudentes quoque nos, non dolentes sequamur. Ardua non paucis videtur via crucis, non est tamen via ad cœlum alia: via crucis, via ad cœlum regia est. Rom. 8. *Hæredes quidem sumus Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Qui vult venire post me &c.* S. Augustinus dicit: *Nullus servus Christi sine cruce est: si putas te non habere crucem, nondum cœpisti esse Christianus.* Neque enim solùm hoc perfectis aut Religiosis dicitur, sed cuilibet, omni, nemini non, id est, omnibus. S. Lucas expressè ait: *Dicebat ad omnes.* Et S. Marcus dicit, Dominum peculialiter & seorsim discipulos suos alloquentem, cùm sententiam illam vellet proferre, *convocasse turbam.* Quilibet ergò, si Christi discipulus esse velit, post Christum, tollat crucem suam, & sequatur eum.

At quid eſt, tollere crucem ſuam poſt Chriſtum? *Eſt hoc*, inquit S. Baſilius, *ſe ad mortem pro Chriſto præparare, mortificare membra ſua ſuper terram, ad omne periculum, pro Chriſti nomine ſuſcipiendum, ſedato animo accedere, & erga præſentem vitam adfectum non eſſe.* Tollere poſt Chriſtum crucem ſuam, non eſt niſi ea, quæ nobis moleſta ſunt & adverſa, lubenter pro Chriſti nomine, tolerare. Sed plures ſunt, qui hoc non faciunt. *Multi Chriſtum* (vide Thomam Kempenſem lib. 2. cap. 11.) *ſequuntur uſque ad fractionem panis, non ad bibendum calicem Paſſionis. Multi deſiderant eſſe cum Chriſto ſocii menſæ & conſolationis, pauci ſocii eſſe patientiæ & tribulationis. Multi cum ipſo cupiunt eſſe in monte Thabor in gloria, pauci in monte Calvariæ in ignominia. Amatores ſunt regni ejus, ſed non ſunt amatores crucis ejus.* Attamen non eſt alia via ad cœlum, quàm via regia ſanctæ crucis. Jubetur quilibet ferre crucem *ſuam*: & quidem cuilibet propria quædam crux commenſa eſt, & à Deo impoſita. Atque, ùt experimur, quilibet ſtatus hujus vitæ crucem ſuam, moleſta, inquam, ſua & adverſa habet: homines ſinguli, ſummi infimi, probi improbi. Suam verò crucem omnes, ſi propter Chriſtum tollant, neque murmurent (ùt nonnulli faciunt) ſicque quaſi inviti eam trahant, habent, quod præmium exſpectent, omniſque, qui perſecutionem piè tolerat, in conſortio Chriſti eſt, crucem bajulantis.

Domine JESU, ſufficit nobis, ut quilibet noſtrûm crucem ſuam ferat, quod te habeamus,

ante

ante nos crucem tuam ferentem, seu te cum cruce tua nobis præeuntem. Quid? crucem suam quisque nostrûm, ob te, nobis præeuntem, feremus, non patienter tantùm, sed & libenter & gaudenter. Nempe tu ipse, Dux noster, *proposito tibi gaudio*, (Hebr. 12.) *crucem sustinuisti.*

MEDITATIO XLVI.

Simon Cyrenæus JESUM in ferenda cruce adjuvat.

QUis non stupeat? JESUS bajulat crucem suam ad montem Calvariæ, lassus totus, totusque exhaustus viribus: repit magis, quàm incedit, fatiscens vehementer, deficiensque, ac labens ad alterum penè gressum. Sed vide. Matth. 27. *Exeuntes* (lictores ac carnifices) *invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Judæi, visâ JESU imbecillitate, quâ tanto oneri videbatur impar, metu, ne ante ipsum crucis supplicium concideret, & expiraret, gentilem quendam hominem angariant, ut JESUM juvet tantisper in ferenda cruce sua. Mysterii quid latet in eo, quod Judæis præteritis, gentilis quis in ferendo isthoc onere ei socius detur. Nempe intendit Deus significare facto isto, gloriam crucis, à Judæis ad gentes esse transferendam; utì & modò gloria ista penes gentes est, ex sua, putà gentilitate ad fidem Christianam conversas.

I. Conſideratio.

HOmo iſte, Simon nomine, qui angariatus eſt, crucem cum JESU tollere, ac deferre ad ſupplicii locum, oriundus erat ex civitate *Cyrene*, gentili quidem, ſed & celebri; undè ille *Simon Cyrenæus* dicitur. Vir ipſe erat non vulgaris, pater duorum celebrium fratrum, Alexandri & Rufi. Ecce aderant hìc ex Judæis quàm plurimi, Scribæ, Phariſæi, Legis-periti, Seniores populi. Aderant ex minoris notæ hominibus tantùm non infiniti; & vide, nemo ex eis, nemo unus, ad ferendam cum JESU crucem offert ſe. Aderant inter illos indubiè non pauci, qui JESU alioquin, cùm propter miracula, quæ illum patrare viderant, tùm propter benefacta, quæ ab illo acceperant, fuêre benè, vel ſaltem non malè affecti; ſed neque vel unus ex his humeros cum JESU cruci ſupponit. Nemo Judæorum id facere voluit; facit ergò, ſed angariatus, homo gentilis. O Simon, quantùm id tibi invidemus! Noli erubeſcere, ut cum JESU crucem illam feras: noli reluctari aut invitus eſſe: amplectere, ac ſtringe lignum illud, rude licèt ac impolitum: lignum hoc jam inclytum eſt, pretioſum eſt, Sanctum eſt: pretium illud & ſanctitatem ex attactu JESU ſuſcepit. O quàm ſibi gratularetur, quàm gauderet primus quidem in orbe Monarcha, Imperator aut Pontifex, ſibi ſi liceret, ſuam in hoc JESU navare operam, ſuoſque cum illo humeros cruci ſubmittere!

Dicit S. Matthæus: *Hunc*, (Simonem putà) anga-

angariaverunt, ferre crucem cum IESU. Magna cui non videbatur hæc militum injuria & ignominia, in virum hunc non vulgarem, angariare, impellere, adigere ad opus, quod vel vilissimus ex illis detrectabat. Ex hoc ipso, quod vir iste angariatus sit, facilè colligitur, quod invitus utcunque, ac fortè reluctans fuerit. Neque hoc adeò mirum est. 1. Quia cogitare poterat, si Judæi metuant, ne ex attactu istius ligni polluantur, cur ego me periculo isti exponam? 2. Quia cogitabat fortè, habebor & ego apud aliquos infamis, & notam incurram mali nominis. 3. Videbat lignum illud gravius, quàm ut etiam à se, absque graviore molestia portaretur. Ut ùt est, Simon ad ferendam cum JESU crucem adactus est. Sed ista denique cogitare desinens, crucem cum IESU patienter tulit. Felicem te hab[illegible] Simon: cæcus in gentilitate tua, mereris ex facto illuminari, & ad fidem etiam (quod [illegible]ctum, communis vult opinio) converti, [illegible] sanctus fieri. Sicut enim socius fuisti in c[illegible]ce, quid ni par est, ut & socius redditus sis [illegible] gloria?

Est, ô homo fidelis, quod hìc documentum capias ex homine gentili. Postulatus ad crucem, invitum se experitur. Sed mox aliter resolvit, & se ei ferendæ dedit. Ad crucem plerúmque invitus es: carnem audis, ad crucem reluctantem. Relictâ carne, spiritum audi ad crucem promptum. Spiritus crucem amat & desiderat, & ita animæ spirituales tribulationem amant, & desiderant persecutionem & quamcunque passionem,

nem, neque deest in eis interior ipsis consolatio. Dicit S. Bernardus: *Vident homines crucem nostram, sed non vident unctionem nostram.* Carnem subige spiritui jejuniis, pœnitentiis, mortificationibus; & ad ferendam crucem cum Simone facilè te resolves, & christianè eam feres.

II. Consideratio.

PRoh, quantam tibi gloriam, ô Simon, gentilis licèt sis, ex lata cum Iesu cruce comparasti! nomen tuum, famaque tua, non deinde jam moritura est, posteritati consignatissima. Vos fideles, gloriæ aucupes, vos, inquam, ambitiosi, propagandi nominis, ac famæ ad posteros transmittendæ studiosi, animos advertite, hunc spectate hominem à lictoribus & carnificibus adactum, ad ferendam cum Iesu crucem, & idete, quæ ex hoc ei accedat gloria, quæ nomiama? Licèt non vulgaris, non vulgares hafilios, attamen, natalibus obscurus ille, ditione abjectus, opificio humilis, opibus uis, verbo, rusticus, quia fortè tertiâ horæ te, vel eo minùs, portavit cum Iesu crum, jam toti perennique posteritati commissa est ejus fama, ipseque nunc nominis celebritate orbi universo notissimus. Nomen ejus, patria, familia, filii, in ipsis SS. Scripturis exprimitur, ubicunque prædicatur Evangelium, toto ubique orbe, fit mentio illius, pingitur in tabulis imago ejus, exponitur in aris, proponitur in pulpitis, audit ubique & est: *Simon Cyrenæus, crucis Dominicæ bajulus.* Titulus celebrior, clarior, illu-

illustrior, ac si domitor audiret orbis universi. Tanta est gloria, etiam invitum, vel brevissimo tempore, crucem cum JESU bajulasse. Si & tu bajulus sis crucis JESU, gaude, plaude; quod gloriosius est, obtingere tibi non poterit. Abhorret natura crucem, omneque molestum: invita est ad pauperiem, ad despectum, ad vilipensionem, ad contemptum, ad quamcunque afflictionem &c. sed vis naturæ inferenda est: virtus prævaleat: crucem adama, & ferto; sicque & gloria à te mercesque immarcescibilis comparabitur.

O quot piæ sunt animæ, quæ crucem cum JESU, non minùs ùt Simon, alacres tulerunt, aut JESUM præeuntem, suâ cruce secutæ sunt: hi per martyrii pœnas, illi per jejunia, per vigilias & mortificationes alii, atque etiam per cæteras voluntarias corporis afflictiones! Multi præeuntem cum cruce JESUM secuti sunt per domitos pravos animi motus & sui victorias, considerantes non satis esse, si JESUS crucem suam bajulet, & Simon eum juvet, & eam nos solâ fide & meditatione aspiciamus; opus est & nos admovere manum, piisque operibus Dominum Ducemque sequi, dicentem Luc. 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Certè gloriosos se illi & apud Deum & apud homines reddidêre, claros ac celebres. JESUS præcedit, portans crucem suam, hi eum cruce secuti sunt. Præclarè hìc S. Ambrosius: *Id factum est, ut priùs ipse* (JESUS) *crucis suæ trophæum erigeret, deinde mar-*

martyribus, aliisque comitibus suis, *traderet erigendum: convenit enim, ut trophæum suum prius ipse victor attollat*, ac deinde illud idem *Christus in homine, & homo portet in Christo.*

Tu igitur pia anima, Crucem & molestias ferre, pro Christi nomine, ne refuge. Feras autem eam post JESUM, non præcurras ante JESUM, nec tibi, quam voles, crucem eligas, sed ab eo tibi datam suscipe, rogaque eum, ut gratiâ suâ onus sublevet, & humeros confirmet, quibus illud portes.

III. Consideratio.

NOn una hìc SS. Patrum sententia est, an Simon Cyrenæus, cruci ferendæ jam admotus, totam illam solus, an verò Dominus priorem crucis partem, Simon postèriorem tulerit. Plurium opinio est, Simonem totam portâsse crucem. Collectum hoc volunt ex hoc Lucæ de Simone Cap. 23. *Et imposuerunt illi crucem.* Matth. 27. & Marc. 15. *Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Aliis equidem videtur verosimilius, eum juvando JESUM, hunc priorem crucis, illum posteriorem partem tulisse: & ita quidem pictores, JESUM & Simonem, in bajulatione crucis pingere solent, ùt in veteribus recentioribusque tabulis videre est: & JESUM quidem ipsum bajulasse suam crucem, disertè asserit S. Joannes dicens: *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.*

Quid hoc rei est? & quid hìc latet mysterii? unus Simon, gentilis quidem & alienigena, crucem

cem fert cum JESU. Non desunt Scriptores magnæ auctoritatis, qui affirmant, ad hoc tempus Paschatis, quo Dominus passus est, confluxisse in Jerusalem quadragies centena millia hominum, sive quatuor milliones capitum. Sed vide, & mirare, in tanta hominum multitudine, qui IESUM crucem bajulantem partim præibant, partim comitabantur, partim subsequebantur, non vel unus inventus est, qui cum eo crucem ferret, nisi hic alienigena, & ille quidem compulsus. O quàm pauci sunt, rarique crucis bajuli! Christe, quàm multi olim te, cùm virtus exibat à te, & sanabas omnes, comitabantur! quanta hominum turba latus tuum stipabat! quot ferebantur in grabatis infirmi, cùm transires per plateas, ut vel tangerent fimbriam vestimenti tui, aut vel umbra tua obumbraret eos, & sanarentur à languoribus suis, aut vel à spiritibus immundis liberarentur! Quot te secuti sunt foràs prodeuntem, pasti à te in solitudine! Et jam non nisi unus invenitur, qui tecum est, ac tecum crucem ferat, alienigena. O ingratissimos homines, qui infinitorum beneficiorum, tam facilè, tamque citò obliviscuntur! An non succensum in te, Christiane, ad habendam cum IESU, ferendamque cum eo crucem, experiris animum, dum vides IESUM, sub cujus mereris vexillo, & crucem bajulantem, & sub cruce fatiscentem? Crucem ambi, æquè ac salutem tuam, quia absque cruce ad salutem non pertingitur. Absque cruce si ambulas, viam latam ambulas, quæ ducit ad interitum. Ambi quamcunque

crucem tibi cœlitùs immissam, & divinitùs impositam. JESU, Duci tuo crux semper, cum remota esset, fuit in desiderio: cum propinqua, in gaudio. Et tu ad crucem præsentem exulta, absentem desidera.

Hìc, ô pia anima, ad Simonem tantisper redeundum est. Ter ille beatus, quod meritus sit, Dominum, crucem bajulantem, commodatis ei humeris suis, adjuvare. Maximi id sanè æstimandum est, ita, ut, si quid liceret invidere alteri, meritò hoc nos ei invideremus. Sed sciscitor ego ex te, Christiane, dic mihi, quid si tu, inter turbam illam adfuisses, vidissesque JESUM, sub crucis pondere fatiscentem, & deficientem, lapsuque iteratiùs, atque ad alterum penè gressum corruentem, nonne avido lubentique animo, operam ei tuam commodasses? imò inquis, & nihil quidem mihi gratius obtingere potuisset: patefactâ mihi per confertam multitudinem viâ, ad crucem advolassem, nec Pilatum veritus, nec satellites ejus. Volupe fuisset mihi, non opem tantùm meam, sed & vitam, ope meâ indigenti Domino, impendere me posse. Laudo pium magnumque in te animum, piumque tuum, in oppressum cruce JESUM, affectum. At heus, juvare adhuc JESUM potes in ferenda cruce sua. Juveris eum, si proximum tuum, quem sui loco habet, oppressiorem juveris. Quid? juveris JESUM in ferenda cruce sua, si tuam patienter, libenterque tuleris ipse crucem.

MEDI-

MEDITATIO XLVII.

Turba JESUM *ad supplicium sequitur.*

PRocedit Dux noster JESUS cum cruce sua ad locum supplicii, & turba hominum immensa sequitur. Signum jam datum erat, ex more, cùm reus afficitur supplicio, & homines confluunt innumerabiles, futuri rei peragendæ, & jam inchoatæ spectatores. Spectaculum hoc inauditum, pro toto orbe institutum; par ergò est, ut spectatores illius sint plurimi. S. Lucas dicit Cap. 23. *Sequebatur autem multa turba populi &c.* Mulieres si excipiamus, quæ piæ in JESUM, eum plangebant, & lamentabantur, turba illa triplex erat. 1. Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum. 2. Vulgarium Judæorum. 3. Militum, lictorum, carnificum. Sed non uno omnes animo, eâdemque eum intentione secuti sunt.

I. Consideratio.

TUrba itaque prima, quæ IESUM, cruce suâ onustum secuta est ad supplicii locum, Sacerdotum est, Scribarum & Pharisæorum. O vos Sacerdotum ac populi Principes, vos Scribæ ac Pharisæi, IESU hostes ac æmuli, vestri quàm æstuabant animi ad diem hunc, quo ille in Calvariæ monte, ultimo supplicio, afficeretur, ac in cruce enecaretur! ô quot eam quantisque vo-

tis

tis desiderastis! Emistis vos IESUM, accusastis illum, reum mortis dixistis, judicem Pilatum ad damnandum eum coëgistis. Voces fuerunt vestræ, & non tantum vota. Voces? non; clamores fuerunt & vociferationes: *Tolle, Tolle, Crucifige eum*. Haud mirum, quod desiderastis diem, quo tolleretur, & crucifigeretur. Videtis nunc diem illum, & gaudetis. Res stupenda est, quæ contingit: testes vos ipsi esse optatis hujus pro toto orbe instituti spectaculi. Adfuturi sunt multi, plurimi, innumeri, JESU in crucem acti testes oculati. Sed non hoc satis est invidiæ vestræ, quâ eum, sit quid sit, sublatum enectumque vultis: neque rabiei vestræ satis est, id factum perfectumque esse, infami in furca, ab aliis, multis licèt, plurimis, innumeris, intelligere, nisi & id ipsimet propriis oculis conspiciatis, haud sanè, nisi visâ à vobis ipsis nece ejus, visoque crucis opprobrio, ac infamiâ, saturandi.

Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi sequuntur JESUM, usque ad supplicii locum, ut ei supplicio affecto calumniis insultent & sannis, quod & impudenter fecerunt. S. Marcus dicit Cap. 15. *Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud: salvum fac temetipsum.* Prætereunt, non celeriter, sed lentè; ut plus sibi temporis sit, calumnias suas, sannasque in eum evomendi. Oblectant mentes suas homines hi invidentissimi: & non tantùm oculos pascunt lugubri hoc spectaculo. Oblectant, inquam, mentes suas; atque id quidem blasphe-

blasphemiis, quas, moventes capita sua, id est, indignantes, in JESUM ejaculantur. Vah, inquiunt, *qui destruis templum Dei.* Contemptum Jesu continet modus iste loquendi. Blasphemias suas contemptui miscent. Nempe cum non habent ampliùs, quo corpus crucient, linguis animum ejus cruciare non desinunt. *Salvum fac,* ajunt, *temetipsum.* Dicunt hoc cum irrisione, q. d. Nonne ridicula res est? alios fecit salvos, seipsum nequit salvum facere: alios à morte, ùt vult, resuscitavit, seipsum nequit à morte præservare. Hoc satis Domino, quod alios faciat salvos: eum in finem venit in hunc mundum. Luc. 9. *Venit filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* De se solicitus non est: & se non, alios verò salvos fecisse, ei sufficit. Blasphematur JESUS subsannaturque, etiam in via cùm sit ad locum supplicii sui. Dura res: solatii aliquid ei tunc addendum erat, & nihil, nisi quod afflictionis est, ei evenit; atque hoc hìc nunc à Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, qui & ideò, crucem suam ad locum supplicii bajulantem sequuntur.

O vos leones! totum, quod in vobis est, crudelitas est, quæ & nullâ humanitate mixta est: & quidem, ut majorem crudelitatem in illum exeratis, sequimini eum. Si sint, qui & nos sequuntur, & persequuntur, bono animo simus: solatio nobis sit hoc ipsum exemplum JESU Ducis nostri.

II. Con-

II. Consideratio.

TUrba altera JESUM cum cruce sua, sequentium, turba est vulgarium Judæorum. Turba hæc ingentissima est, multis constans hominum millibus. Neque mirum, tam amplum JESU ad supplicium, ad mortem, inquam, pergenti adfuisse comitatum. Milliones hominum (ùt jam dixi) aderant in Jerusalem: non potuit esse, quin maxima ex eis pars ad spectaculum illud excurrerit. Quando reus aliquis extremo afficiendus est supplicio, præcipuè si vir sit alicujus notæ, aut supplicium aliquod singulare, vix unus se continet domi, turmatim excurrunt omnes, supplicii ut adsint spectatores. Dominus JESUS eò usque non tantùm habitus erat vir alicujus notæ, sed & ùt Propheta & miraculorum patrator: supplicium quoque, quo afficiendus, singulare, quomodo ergò non excurrerint plurimi? Habes, mi JESU, cum jam supplicio afficiendus es, & ad hoc nunc portas lignum, illi, velut cruci, suffigendus, comites sanè plurimos, spectatores, inquam, habes, tantùm non innumeros. Plurimos ac innumeros habes crucis spectatores, paucos verò ejus amatores. *Habet JESUS nunc*, ait Thomas à Kempis aurei Libelli sui de Imitation. Christ. lib. 2. cap. 11. *multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ crucis. Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis... Omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo, aut cum eo aliquid sustinere.... Multi miracula*

ejus venerantur, pauci ignominiam crucis sequuntur. Tu, ùt regnum cœleste, ita & crucem ama: ùt & consolationem, ita & tribulationem desidera, neque enim sine cruce & tribulatione ad regnum cœlorum patet aditus.

Turba hæc vulgarium hominum sequitur properantem ad supplicium JESUM, ducti illi curiositate, supplicium illud videndi. Dicit S. Lucas Cap. 23. *Stabat populus spectans.* Exspectabat, JESUM aliquid fortè miraculi facturum in morte sua, sicut & in vita fecerat, atque ex hoc eum magis secuti sunt. Interea quisque super JESUM, suam dabat sententiam. Alius dicebat, eum nimis præproperè morti & cruci addictum à Pilato. Alius volebat eum meritò damnatum esse, provocando ad unanimem consensum eorum omnium, qui in causa illa sederant judices. Alius dicebat præstigia fuisse, non miracula, quæ priùs ab eo patrata sunt, quòd alioquin hìc indubiè aliquid veri miraculi ederet. Ita Dominus judiciis vapulat levium ac malevolorum hominum, quæ tamen non curat, pergens, stando cadendoque cum cruce sua. Plurimi JESUM judicant, multi vices ejus dolent eique in miseria sua, gravi adeò compatiuntur. Dolor plerumque gravior redditur, si alius nihil eo moveatur; pio verò & compatiente motu lenitur. Et licèt JESU dolores jam exantlatos & absolutos, nos mitigare compassione nostrâ non possumus, grata tamen ei illa est, quia sic ejus passionem & dolores quodammodò nostros facimus, nobisque eos applicamus.

Tu,

Tu, ô pia anima, compatere patienti JESU, ejuſque in te paſſionem transfer, ac tibi eam applica. Particeps paſſionis ſi ſis, & regni particeps eris. Rom. 8. *Si compatimur, ut & conglorificemur.* Si tibi infelici ac miſero nemo compatitur, nemo condolet, JESU recordare, cujus miſeriâ tangebatur nemo, ſoluſque ferebat crucem ſuam, nemine ad eam ſe ultrò offerente. Sola, ſed & ſeria, iſtius recordatio levaminis inſtar tibi erit.

III. Conſideratio.

TErtia reſtat JESUM crucem bajulantem ſequentium turba, quæ militum, lictorum, ac carnificum eſt. Lictoribus ac carnificibus additi milites erant, ut JESUM cuſtodirent, ne fortè, facto à plebe tumultu, quoquomodo elaberetur; atque ideò milites illi benè armati erant. Quandò exibant ad capiendum JESUM, de armis benè ſibi providerant. Matth. 26. *Ecce Judas, unus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladiis & fuſtibus.* Monuerat Judas milites, Marc. 14. *Ducite eum cautè.* Cauti ergò eſſe voluerunt, & eum ad mortem educere. Benè itaque armati milites, ut cautè eum educant, id eſt, ut benè cuſtodiant, ne fortè evadat, prædaque eis ſic eripiatur. Adſunt lictores & carnifices, ut juſtitiam: fallor; adſunt, non ut juſtitiam, ſed ut impietatem adminiſtrent, & innocentiam crucifigant: ad quod varia illi conferunt inſtrumenta. O quantâ inſolentiâ ac crudelitate, feri hi barbarique homines, JESUM tractant! trahunt

hunt eum, premunt, fustibus etiam ac calcibus impellunt; atque ille interea tanquàm agnus mansuetissimus, absque quod vocem edat, ad lanienam pergit, interque maledictiones, milleناque convitia, quibus diris devovetur, surque triturque, ac patibulo dignus nebulo exclamatur, omninò obmutescit.

In cœlum, si mentem attollamus, JESUM videmus in Throno considentem, Cherubinis cinctum ac Seraphinis, Angelorum Principibus, Ter-Sanctum eum proclamantibus. At hìc nunc videmus JESUM ligni pondere depressum, humo fixum, atque velut infamem malefactorem, infami supplicio exstinguendum. Videmus hìc nunc eum carnifices inter & lictores, hominum fœces. Domine JESU! gloria tu es, & gaudium Angelorum, gaudium & corona omnium Sanctorum: majestas tua divina æterni Patris majestati æqualis, sublimitas tua immensa, dignitas infinita; atque hìc nunc tractus, pressus, impulsus à carnificibus, fustibus calcibusque impetitus: Nullusne vobis, ô lictores, ô carnifices, si non pietatis, saltem humanitatis aut sensus aut motus est, commiseratio ac compassio nulla, in adeò afflictum, depressumque hominem? is ei aspectus est, hæc species, ut vel cautes, si quid eis sensûs inesse posset, moverentur. Caput spinis perpunctum, ad cerebrum usque, ex allisu ligni penetrantibus; fracti humeri ipsâ crucis ruditate ac pondere, totique saucii; corpus universum concisum est vulneribus, sensu novi doloris ad quemque gressum recrudescente. Sed

frustra ad vos ego: ea vobis animorum durities est, ut IESU, quidquid ipse lapides ipsos vel saxa moveat, nihil compatiamini. IESUS pro nobis; quid? pro vobis etiam patitur, quia & vobis compatitur, & durior vobis animus manet, quàm ut vel tantula compassio in vos cadat. Pergitis trahere eum, impellere, fustibus calcibusque ferire. Et si quid parcatis illi, & eum respirare tantisper sinitis, est hoc unicè, ne succumbens oneri, exspiret priùs ille, quàm in crucem, (quod vultis) agi posset.

Utinam Dominus Jesus non & ab aliis, præter lictores & carnifices, crudeliter & indignè habeatur! Crudeliter & indignè JESUM habent, quiqui, à peccatis minùs expurgati, eum in S. Eucharistia recipiunt. Ipsa peccata lictores sunt, & carnifices, qui JESUM malè excipiunt. Vide, ne & tu ex illis sis. Peccasti? Peccata tua pœnitentiâ abole, à peccatis purga te, & JESUM, quem alioquin indignè habes, excipis dignè. O quanto animæ tuæ bono! ea enim inde donis à Jesu, ac gratiis augebitur.

MEDITATIO XLVIII.

Mulieres JESUM sequentes, plangunt eum, & lamentantur.

JAm supra memini de mulieribus, JESUM bajulantem suam crucem, præter triplicem turbam, Sacerdotum nempe, vulgarium Judæorum, ac carnificum, sequentibus. Neque etiam

etiam mulieres hæ, piæ in JESUM, pioque in eum latæ affectu, JESUM sequuntur solummodò, sed & eum plangunt, & lamentantur. Mulieres sese hìc efferre possint, quasi solæ JESUM, ad mortem euntem, pio affectu secutæ sint. Sed neque in hoc viri defuêre, licet specialis de eis in SS. Scripturis non fiat mentio, sicut de mulieribus. Hi viri fuisse putantur Joseph ab Arimathia, Gamaliel, Nicodemus, aliique in SS. Scripturis nominati. Hi quoque JESUM (sequentes illum mente, si non corpore) planctu & lacrymis secuti sunt.

I. Consideratio.

SAnct. Lucas ita dicit Cap. 23. *Sequebatur autem eum*, cum cruce ad mortem euntem, *multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.* Adverte: *& mulierum.* Quæ illæ mulieres sint, ac quæ eorum nomina, S. Lucas quidem non exprimit: fuerint indubiè eæ ipsæ, quæ in monte Calvariæ, ad quem JESUS cum cruce sua ibat, ei jam cruci affixo adstabant, supplicii illius spectatrices. Fuêre hæ Sanctissima JESU Mater & Virgo Maria. Ita S. Joannes Cap. 19. *Stabat autem juxta crucem JESU, mater ejus.* Et S. Matthæus Cap. 27. *Erant autem ibi mulieres multæ... inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Joseph mater.* Putà Maria Cleophæ, sive Alphæi, & *mater filiorum Zebedæi*, mater putà Iacobi & Ioannis, nomine Salome. *Hæ mulieres secutæ sunt JESUM à Galilæa, ministrantes ei.* Secutæ sunt illum, mini-

ministrantes ei in vita: & in morte secutæ sunt, plangentes eum & lamentantes: *Quæ plangebant, & lamentabantur eum.*

Plangebant & lamentabantur IESUM, tantùm non ex affectu aliquo humano, utì teneriotis & mollioris naturæ homines plangunt subris [illegible], & lamentantur, quos miseriâ graviore afflictos vident: neque dicuntur planxisse & lamentatæ super duos latrones, qui unà cum IESU ad supplicium ducebantur; sed plangebant IESUM, ex vera super eum compassione. Erat & planctus ille ac lamétatio, sublimior quoque gratitudinis affectus, qui in hoc lugubri spectaculo eis lacrymas ciebat; quia non solùm innocentiæ illius, sed & præteritæ ejus in se beneficentiæ reminiscebantur, quam toties erant expertæ. O quàm hæ mulieres desiderabant, JESU à se adeò adamato, in suo hoc itinere, in sua hac crucis bajulatione, solatii se aliquid adferre posse! Dicit S. Matthæus, *eas JESUM secutas à Galilæa*, ei, urbes tunc pagosque, vicos & castella, prædicationis causâ, obeunti, *ministrantes*, id est, suis eum facultatibus, discipulosque ejus sustentanres. O quàm optabant & nunc se ei præstare posse auxilii aliquid! Videbant JESUM nimio crucis onere oppressum, depressumque, & corruentem tantùm non ad quemque gressum. Quid? non advolas Magdalena, ut cum Simone humeros supponas cruci? Amor tuus in JESUM eximius & singularis est, animos tibi aliàs addidit, metumque ademit. At vis te divina retinet. Videbant mulieres illæ

JESUM

JESUM fessum jam adeò lassumque in itinere hoc molestissimo, siti exedi, exurique; ô quàm libenter ei vel vini potulum melioris, aut vel gustulum frigidioris aquæ attulissent in refrigerium? Sed non hoc eis licuit. JESUS omni auxilio, solatio omni destitutus, siti exesus exustusque, crucem suam portare debuit. Quid ni ergò illæ plangant eum, & lamententur?

Planctus hic & lamentatio mulierum non quidem ingratus Domino: reprimit tamen illum, ùt statim videbimus, velut alteri rei, ac præsertim peccatis eluendis impendendum. Tu, ô peccator, plange & lamentare, luge & lacrymare, quia Domino tuo, tanti mali, tantæque miseriæ, peccatis tuis, causam attulisti: quia tantis in te collatis beneficiis ingratum hactenùs animum præbuisti, & quia mors hæc JESU, Servatoris tui, tibi fortassis, non medelam & gloriam, sed majorem damnationem (quod forescito, nisi peccare desistas) allatura est.

II. Consideratio.

PErgit S. Lucas, aitque: *Conversus JESUS ad mulieres, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Dominus ita ajens, non prohibet quidem eis flere, aut vel fletum earum improbat, ceu qui ex affectu bono pioque proficiscitur, sed vult significare, quod ex ignorantia causæ passionis suæ proveniat, quòd flerent eum tanquam hominem imbecillem, & impotentem resistere adversariis, ut liberaretur à morte: non vult defleri

Dominus tanquam ex imbecillitate & impotentia miser, quandoquidem mors ejus mox erat in gloriam & triumphum cessura. S. Leo JESUM inducit mulieribus istis ita loquentem: *Nolite flere super me, ego crucem volens patior, & mortem in me, quam passurus sum, promptus admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem videbitis in majestate patris judicantem.* Nolite ergo flere, filiæ Jerusalem, super me, tanquam super vulgarem hominem, pati coactum. Flete interim me, pro peccatis vestris & patientem, & morientem. Primas Dominus repudiat lacrymas, secundas verò, ùt acceptabiles, sibique gratas habet.

Quando Dominus dicit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete; & super filios vestros,* Gentem Judaicam designatam habet: causamque addit, quare flerent *super se ipsas,* dicens: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* Id est, dies venient in te, in quibus civitas vestra Jerusalem, in pœnam ac punitionem peccati, quo JESUS, Messias vester crucifixus est, exscindetur. Flete vos super hoc, quia desuper flevit ipse Salvator, ingrediens urbem non multis ante diebus, etiam in medio triumphi sui ac triumphalium acclamationum; nunc autem id ipsum deflet non solùm lacrymis, sed & cruore suo, in plateas vestras depluente: quod si vos hìc non fletis, flebunt ipsi lapides. Flete, flete, filiæ Jerusalem, quia clamastis: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*

San-

Sanguis ejus, sanguis innocuus, venturus est, etiam super filios vestros, qui in communi civitatis excidio eandem vobiscum pœnam subituri sunt, modis variis omnes, vos & filii vestri interimendi. Atque ideo de illis dicitur Ier. 15. *Ejice eos à facie mea, & egrediantur. Si dixerint, quò egrediemur? dices ad eos: qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem: & qui ad captivitatem ad captivitatem*; alii nempe gladio peribunt, alii cruce, alii fame, alii peste, alii quoque vendentur tanquam vilissima mancipia, pretio vilissimo. Status populi Iudaici ob peccatum, quo crucifixerunt IESUM, Messiam suum, erit miserrimus, quod & aliquando agnoscent, dicentes cum Propheta Thren. 5. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri. Væ nobis, quia peccavimus. Propterea mœstum est cor nostrum, & contenebrati sunt oculi nostri, propter montem Sion, quia disperiit.* Lacrymas super hoc statu non prohibet Dominus, sed invitat ad illas, easque acceptas habet.

Disce tu compati quidem & condolere miseriæ alienæ: est aliquid in eo dilectionis fraternæ; sed tamen magis flere super peccatis propriis, sibi enim quisque, præ alio obligatur.

III. Consideratio.

INter mulieres, quæ IESUM ad locum supplicii comitatæ sunt, numeranda quoque est quædam nomine *Berenice*, sive *Veronice*, vulgò

Veronica. Hæc dicitur, IESU, bajulanti crucem suam obviàm facta, sudarium porrexisse, quo faciem suam, sudore & sanguine madentem, abstergeret: illudque ab eo recepisse cum impressâ in illo patientis IESU effigie. Dicunt nonnulli, tres tales effigies in triplicato illo sudario fuisse impressas. Hæc sanè pia fuit in IESUM mulier, ex mera adeò pietate ei, in labore & sudore, cum cruce suâ eunti, solatii aliquid afferre voluit. Putant quoque multi, hanc mulierem, eam fuisse, quæ Matth. 9. sanguinis fluxu, quem passa fuit annis duodecim, liberata fuit. O quàm frequenter, quàm pio animi affectu, pia hæc IESU amatrix Veronica, faciem patientis IESU, sudario à se, ad abstergendum sanguineum sudorem suum, ei porrecto, impressam intuita fuerit! certè nunquam id absque lacrymis devotionis & amoris. O quàm speciosum ei fuerit speculum, effigies illa, in qua & IESUM cernebat, propter peccata & scelera populi, percussum, & ejus in peccatorem hominem charitatem nimiam; sicque ad gratitudinem se, & compassionem magis magisque excitabat.

Sudarium hoc Veronicæ, quid aptiùs repræsentet nobis, quàm ipsam Domini Passionem? Sanè quotidiè intueri eam, contemplari, inquam, par est Christiano homini. O quanto hoc animæ suæ bono, & perfectionis lucro, si id faciat! S. Augustinus dicit Serm. ad Fratr. in Erem. *Nihil tam salutiferum nobis est, quàm quotidiè cogitare, quanta pro nobis pertulit Deus & homo.* S. Brigitta, cùm decem esset annorum, audito aliquando

quando Sermone de Passione Domini, ita interiùs affecta fuit, ut totâ deinde vitâ suâ, de Passione illa, absque lacrymis cogitare nequiverit; unde & quotidie proficiebat in mortificationibus, nullâque amplius in re, quàm in Passione illa, gloriabatur. S. Theresia scribit variis in locis, quàm sibi fuerit utile, Passionem Jesu se meditatam fuisse. Certè, nulla aptior meditandi materia, quàm Passio Dominica. Hæc lac est incipientium, cibus verò solidus perfectorum, piis animabus sapidissimus. S. Bernardus dicit Serm. super Cantic. *Quid tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm frequens ac sedula Christi vulnerum meditatio?* Ad hæc, nullum adversus omnes tentationes SS. Patres dicunt esse remedium, præsentius & præstantius, quàm ad Passionis Dominicæ meditationem confugere, intráque vulnera patientis Jesu nos abscondere. Denique contra omnem morbum malumque, in illa remedium, & auxilium inveniri. S. Bonaventura: *Qui se*, ait, *attentè & devotè in sanctissima vita, & Passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria sibi abundanter ibi invenit, nec opus est, ut extra JESUM aliquid quærat.* Quam ob caussam videre est, piis sanctisque animabus hoc exercitium quotidianum fuisse, & hoc illas medio, ad summum sanctitatis & perfectionis gradum pervenisse.

Eja ergò pia anima, sudarium habe Veronicæ, ab ea Jesu priùs datum, quo sudorem abstergeret, crucem suam bajulans; & ab illo ei red-

ditum cum impressa eidem sui patientis effigie. Vide & contemplare eam: speculum est, quod Passionem Domini tibi repræsentet. Vide, inquam, & contemplare eam, deprehendes in eo facilè virtutes omnes, à JESU exercitas, ut eas imiteris. Videbis & in eo nævos omnes, ex vitiis tibi adhærentes, maculasque imperfectionis, ut iis te expurges. Exempla imitare aliarum piarum animarum, quæ sacrum hoc speculum quotidiè, piè attentéque intuentes, in via virtutis, perfectionisque mirè profecerunt.

MEDITATIO XLIX.

JESUS venit in montem Calvariæ, ac potatur amaritudine.

QUando ibat Dominus JESUS in montem Calvariæ cum cruce sua, ei affigendus, adjuncti illi sunt duo facinorosi homines, latrociniis infames, pari cum eo afficiedi supplicio. Nempe id factum est à Judæis, ut Dominus, ex latronum consortio magis infamaretur, similisque eis, aut vel Dux eorum censeretur. S. Lucas dicit cap. 23. *Ducebantur autem alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.* Cùm dicit: *alii duo nequam*, mentem & intentionem Judæorum exprimit, qui, ut JESUS (vah!) nequam haberetur, duos ei nequam adjunxerunt. O quàm verè vaticinatur Isaias cap. 53. *Et cum iniquis reputatus est!*

I. Consideratio.

GAudete nunc & plaudite, ô vos pessimi Judæi! JESUS jam montem Calvariæ attigit. Quid? montem jam illum cum cruce sua conscendit: jam jam eum in crucem actum videbitis, quæ summa est pessimi voti vestri. Dicit S. Matthæus cap. 27. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.* Dicit, *venerunt*, quod plures denotat. Ecqui illi, qui venerunt in Calvariæ montem? Imprimis Dominus JESUS, qui in hac lugubri scena actor est præcipuus. Venit hic in montem Calvariæ, ut in eo cruci affigatur, pro salute mundi moriturus. Dein Principes Sacerdotum & Seniores populi, ut nempe, JESU cruci affixi testes existant oculati, suamque, intuentes eum jam in crucem actum, satient, si fieri possit, crudelitatem & odium. Lictores & carnifices, ut, non justitiæ, sed injustitiæ ac impietatis ministri, supplicium mortemque, id est, crucifixionem peragant innocentis JESU: Denique turba multa hominum, supplicii spectatorum. Verum est, plures hìc comitati sunt, gaudentes plaudentesque: turbæ enim facilè sequuntur suos Principes, Sacerdotes gaudebant & plaudebant; sed & vero videtur simile, plures quoque comitatos, non tam ex impietate aliqua, quàm ex curiositate, ùt fit, quando majoris quis notæ aut nominis, extremo supplicio afficiendus, ad illud educitur. Nos & comitemur JESUM, exeuntem ad supplicii locum cum cruce sua, adsimus & in monte exi-

existenti, non ex curiositate, sed ex pietate. Nos fide, fideique lumine affatim imbuti, scimus eum Creatorem nostrum esse, & Deum. Comitemur eum cum doloris sensu & compassione: &c, ut monet Apostolus Hebr. 3. *Exeamus extra, improperium ejus portantes.*

Dicit S. Lucas: *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha*; alterum verò loci istius nomen est Calvaria. Locum nominat S. Evangelista, in quo Dominus Crucifixus est, qui est Calvaria aut Golgotha. Nominaverat nomen illius, à quo Dominus proditus est, quod est Judas: nomen summi Sacerdotis, à quo dictus est reus mortis, quod est Caiphas: nomen illius, à quo ad crucem condemnatus est, quod est Pilatus: nomen illius, à quo illusus est, quod est Herodes; par itaque erat, ut & locus nominaretur, in quo est Crucifixus, qui locus est Golgotha, sive Calvaria. O quàm molestus fuerit Domino IESU hic locus, qui mons est: & quàm difficilis in eum cum cruce ascensus! qualem sibi vim attulerit, ut grande illud crucis lignum in culmen ejus deferret, exhausto jam & viribus debilitato corpore! sed vim omnem adhibere voluit, ne saluti nostræ deesset, sed in monte hoc, Deo Patri se sistens, holocaustum se, pro peccatis nostris offerret in odorem suavitatis. Tu conscendentem in hunc montem Dominum, quàm proximè potes, sequere, & in hoc monte, ad mortem usque subsiste.

Vide tu, quis mons sit Calvariæ: locus ille publicus est, & communis, in quo rei quique publico

blico supplicio afficiebantur; locus itaque in se infamis. Hoc in loco crucifixum Judæi voluerunt Dominum, ut vel ex eo illi nova infamia accederet. Si & tibi infamia contingat, vel per injustam detractionem, vel per gravius convitium, & illud si graviùs sentias, recordare infamiæ, quæ Domino tuo ex ipso loco, in quo plexus est, accessit. Similis tu ei in infamia, similis ei eris & in gloria.

II. Consideratio.

QUid Domino, ex ascensu montis difficiliore lasso nimiùm, prorsusque debilitato contigit? an quid ei præstitum misericordiæ? Dicit S. Matthæus Cap. 27. *Et dederunt ei vinum bibere, felle mixtum.* S. Marcus dicit Cap. 15. *Vinum myrrhatum.* De more erat, reis, ultimo supplicio jam jam afficiendis, potum dare, ad sitim, quâ in tanto angore laboratur, levandam; atque ad confortationem, ut robur habeant ad ferendum tormentum. Dari autem solebat juxtà illud Prov. 31. *Da siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt corde*, sicera aut vinum, id est, potus gratus palato, confortansque. Verùm Judæi, inauditâ hìc barbarie, cùm ad ludibrium, tùm ad tormentum, JESU, depositâ ex humeris cruce, nonnihil quiescenti, vinum quidem propinant, sed amaricatum, myrrhâque & felle mixtum, hoc est, potum ei dant amarissimum. Factum hoc & ex malitiâ Judæorum, & ex insolentiâ militum. Unde conqueritur Dominus Ps. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea pota-*

potaverunt me aceto. Imitantur Iudæos, mixtum amarumque vinum Domino propinantes 1. Christiani, qui fidem quidem habent, sed malè interim vivunt; ore Christum confitentes, factis verò negantes, externam devotionis speciem, interna malitiâ commaculantes. 2. Qui bonis suis operibus perversas intentiones, aliasque malas circumstantias admiscent, Eleëmosynæ inanem gloriam, orationi voluntarias distractiones, jejunio propriam voluntatem &c. 3. Hæretici, qui genuino Dei verbo miscent errores, perversiones, corruptelas textuum, pravas glossas &c.

Hæc IESU amara potatio, quæ ei data est, mox ubi in montem Calvariæ pervenerat, sive ante crucifixionem, diversa est ab illa, quam ei jam crucifixo, clamantique ex cruce, *Sitio*, porrexerant: illa vini fuit, sed myrrhati; hæc aceti. Non satis crudelissimis illis Iudæis IESUM semel acerbo amaroque potu potasse, nisi id iterum facerent: Siceram vel vinum purum exhausto & sitibundo Domino denegant, utì & omne aliud, quod ei vel minimum levaminis aut solatii adferre poterat, sed & ampliùs eum affligunt, & cruciant, nullumque in eo sensum dolore suo carere voluerunt. Visum, atroces undique circumfusi homines turbabant. Auditum, crudeles eorum voces, improperationes & blasphemiæ torquebant. Odoratus fœtorem loci & sordium, quæ vultum texerunt, hauriebat. Tactus toto omninò corpore pœnas, easque gravissimas sustinebat; ne quid ergò deesset pœnarum, potione hac

ama-

amarissimâ myrrhæ ac fellis, sua gustui dabatur afflictio ac cruciatus.

Vide hìc, ô Christiane, æquum num sit, nihil te pro Domino tuo, amaritudinis ac acerbitatis experiri, qui pro te sensum nullum dolore ac cruciatu vacuum habuit, myrrhâ felleque pro te potatus? Dominus IESUS hanc porrò amaram potionem pro te gustavit, ut omnium peccatorum tuorum acerbitates & amaritudines absorberet ac ebiberet, tibique foret vinum bonum, nullâ amaritudine mixtum: vinum, inquam, gratiæ Dei, cum eaque pura pacataque conscientia. Tu itaque & pro Domino tuo amaritudinis aliquid libenter degusta, molestiasque & tædia pro eo devora.

III. Consideratio.

QUid hoc rei est? potionem hanc amaram acerbamque admittere noluit: gustavit quidem illam, sed non ebibit. Dicit S. Matthæus Cap. 27. *Et cùm gustasset, noluit bibere.* Potionem, amaram perinde ac acerbum, quæ ei porrecta est, dicenti è cruce sua, *Sitio*, admisit: hanc cur recusat, bibere illam nolens? Arcani quid hìc lateat, necesse est; solerter de eo investigandum est. Omne genus carnificinæ & cruciatûs jam priùs admisit, ac dein & admissurus est, hoc nunc cur abnuit? Dederunt ei alapas: excepit illas. Conspuerunt faciem ejus: fœdari eam passus est. Falsas accusationes conjecerunt in illum: silentio eas pertulit. Flagellarunt eum: in flagella paratus fuit. Spinis eum coronarunt: pungi

pungi se eis, sivit. Crucem bajulatam ab eo volunt: humeros ei supponit, illamque tulit. Dant ei vinum felle mixtum; bibere illud non vult: *Et cùm gustasset, noluit bibere.* Qui omnia admittit, cur unum excipit? Qui in toto corpore, & in quolibet corporis membro, nullum non admisit cruciatum, cur solam linguam à cruciatu vult exemptam? num fel illud, quod hìc nunc propinatur Domino, fel fortè aspidum, aut venenum draconum? num fel illud amarius, aut vel venenosius, ut qui omnia pœnarum genera acceptet lubens, unum hoc rejiciat? Arcani, quod latet, eruamus, quantùm possumus.

Dominus gustavit potionem hanc felleam, non ebibit illam. *Gustavit* eam 1. ne videretur ex animi impatientia, aut amaritudinis nausea respuere, more consueto datam. Itaque amore nostri, etiam hunc fellis bolum, non gustatum non reliquit. 2. Ut hoc amaro gustu mederetur gustui nostro, nimiùm delicato, gulæ & ebrietati, ac nominatim gulæ Protoplastorum, qui gustando pomum vetitum se suosque graviter infecerant. 3. Ut doceret, vinum cum cautela ac moderatè bibendum esse, in quo est fel luxuriæ, iræ, rixæ &c. Nec indignari nos debere, cùm cibus subinde insipidus, aut non ad palatum sapidus, offertur. *Non ebibit*, id est, non totum intra se transmisit, nempe ut aversaretur malitiam Judæorum, qui vinum felle malitiosè corruperant. Cor eorum erga Dominum felle plenum erat invidiæ ac odii; vinum itaque ei dandum, felle corrumpunt. Visum ergò Domino, signo aliquo-

aliquo exteriore ostendere, se malitiam illam aversari. Non admisit totum, quòd vellet majorem pati sitim in cruce, ut nobis mortificationis gulæ & sensuum vivum daret exemplum.

Palæmon, vir miræ sanctitatis, jusserat Pachomio, discipulo suo in die Paschatis apparare cibum, tanto festo congruentem. Agrestia parat olera, quibus vesci solebat, atque oleum illis cum sale, præter morem, condimenti vice, injicit. Palæmon frontem pulsans, cum lacrymis dicit: Dominus meus fuit Crucifixus, contumeliis affectus, colaphis appetitus, felle & aceto potatus, & ego oleum comedam? Quarè illud edere noluit, solitumque olerum cibum parari sibi & apponi jussit. Hæserit Palæmoni illud Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ, absynthii & fellis*, atque ita abstinuit se. Et tu, ô gulose, illius si recorderis, gulæ tuæ facilè modum pones.

MEDITATIO L.

JESUS in crucem dejicitur.

IN monte hoc tantisper subsistendum est, pauca licet ex multis, quæ tibi contigerunt, expendamus: pauca nempe, quæ ipsam crucifixionem præcesserunt. Parantur, inspectante JESU, omnia, quæ ad crucifixionem requiruntur. Vestibus JESUS exuitur, qui nudus erat crucifigendus. Denique in crucem dejicitur. Neque ad hoc vi magnâ opus erat; Dominus enim se ultrò in crucem inclinabat. Crucem dudum desiderâ-

 rat,

rat, ad crucem anhelârat; quid ni in eam se pronus inclinet? Mirum haud, si & osculatus sit eam, ac vel caris constrinxerit amplexibus.

I. Consideratio.

Dominus Jesus, dum potatur à Judæis, non vult bibere, admotis tantummodò ad potum labiis. Totus lassus erat; sedere tantisper par erat. Sedet Dominus, sed super frigido fors rudique saxo. Misera profectò sessio, & quæ eum magis affligebat, quàm recreabat. Interea lictores & carnifices parant ea, quæ ad ipsam crucifixionem erant necessaria, ipso totum, quod fiebat, oculis suis inspectante. Jesus (quis non horreat?) toto corpore nudus, expositus frigido undique aëri, perfusus cruore, concisus vulnere, fatigatus labore, dolore oppletus, cinctus tortoribus, sanguinolentos oculos hinc inde circumfert; videtque alios arreptam ex humeris ejus crucem deferre ad locum, in quo erigenda est, aptareque illos videt & crucem loco, & locum cruci: videt alios loca clavorum terebrantes, alios verò clavos, funes, malleos præparantes: alios videt ligonibus humum aperire, fossamque effodere, quæ crucem capiat. O quanto id videt sensu, animæque cruciatu! Quando Dominus, ordiens suam in horto passionem, instrumenta in ea adhibenda vel solâ cogitatione attingebat, ingentem ex hoc concepit dolorem, animoque sanè vehementiùs afflictus est & cruciatus, Cogitabat flagella, quibus flagellandus, spinas, quibus coronandus, sputa, quibus conspuendus,

endus, sannas ac irrisiones, quibus illudendus: crucem cogitabat, cui: & clavos, quibus cruci suffigendus; & vel sola illa cogitatio tantam ei tristitiam mœroremque attulit, ut gemeret, tremeret, langueret, pallesceret, viribus deficeret, concideretque, imò & sanguinem esudaret. Si sensum adeò acrem, tantumque ei animi sensum attulerit, ea vel solùm cogitare, sensum sanè multò attulerit acriorem, majoremque in animo cruciatum, ipsis ea nunc oculis coram intueri, & experiri. Tu, ô peccator, Domino tuo crucem paras, quoties animæ tuæ, ad imaginem ipsius creatæ, peccatis locum in inferno paras.

Dominus videns crucem suam parari sibi, oculosque circumferens, videbat à tergo Matrem. Sed quid inde acciperet solatii? ipsa doloribus oppressa erat. Videbat discipulum, quem diligebat, Joannem; sed vix sui præ mœrore compotem. Videbat pias, quæ eum secutæ erant, mulieres; sed & ipsas amaritudine plenas. O JESU, quàm carò tibi constiti! Juvat, Domine, te hìc alloqui verbis S. Augustini. Ita ille: *Quid commisisti, dulcissime, ut sic judicareris? Quid commisisti, amantissime, ut adeò durè tractareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ occasio tuæ damnationis? Ego, ego sum tui causa doloris, tuæ culpa occisionis: ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O miserabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, & punitur justus; delinquit reus, & vapulat innocens. Quod meretur malus, patitur bonus. Quod perpe-*

trat servus, exsolvit Dominus. Quod committit homo, sustinet Deus.

II. Consideratio.

Lictores ac carnifices, truces ferique homines, paratâ jam cruce, inermem invadunt JESUM, crudelitate sanè magnâ magnâque insolentiâ: & quidem non sine maximo sensu, vestem illi detrahunt, nudumque constituunt illum in medio sordidorum hominum. S. Bonaventura, aliique passim viri sancti, putant, non modò vestem ei carnifices, sed & cum veste & cutem & carnem detraxisse. Et tribus, ùt observatur, vicibus vestes Domino detraxerunt, nimirùm ante flagellationem, ante coronationem, & ante crucifixionem. Non poterant Domino, utì pauperrimo, aliud quid detrahere, quod optabant, & ideò eandem illi vestem detrahunt sæpiùs.

Vestes JESU sacræ erant, & sanctæ, omnique dignæ veneratione. Porrò tales erant, quia sacratissimam & sanctissimam ejus humanitatem, tam longo tempore, annis triginta, & quod excurrit, contexerant, & tetigerant. Tales erant, quia non raró eos, qui infirmi erant, sanaverant, sanabantque. Mulier sanguinis fluxum patiens annis duodecim, dicebat Matth. 9. *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Hæc mulieris hujus de veste Domini speciosa opinio. Neque minor de illa opinio S. Joannis Baptistæ, viri sanè sanctissimi, & *quo major non surrexit* (Matth. 11.) *inter natos mulierum.* Veritus haud ille est dicere de Christo Joan. 1. *Cujus ego non*

sum

sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus. Et has lacerrimas vestes, lictores & carnifices, sordidi homines, Christo, crudeliter non minùs quàm petulanter, iterum iterumque & tertiò detrahunt. Ita S. Ambrosius. *Nudus crucem ascendit: nudum eum vides. Talis ergò ascendit, qui sæculum vincere parat, ut sæculi adjumenta non quærat. Victus est Adam, qui vestimenta quæsivit: vicit ille, qui vestimenta deposuit, & talis ascendit, quales nos, Auctore Deo, natura formavit. Sed Adam* (inquit Taulerus) *ob amissam innocentiam tegere se, & vestibus operire festinavit; Christus verò nudatus est, quod integram & illæsam servârat innocentiæ puritatem, nec ullo ei alio tegmine opus erat.*

En, S. Franciscus, Christi volens exemplum sequi, in morte nudum se in terram prostravit.

III. Consideratio.

Lictores & carnifices nudatum JESUM in terram prosternunt, in lignum crucis humi positum eum dejiciunt, manus pedesque vi magnâ ad terebrata clavorum foramina, distentos, clavis ferreis ac crassioribus cruci suffigunt. Clavi itaque illi carnem, nervos, ossa, ac medullas, ubi sensus doloris maximus est, penetrârunt. Proh quàm immanem Dominus pertulit hìc cruciatum! De Joseph dicitur Ps. 104. *Ferrum pertransiit animam ejus.* At ferrum vinciebat Joseph solummodò; ferrum verò, (ferrei, inquam, clavi) IESU verè pertransiit animam: aut si non animam ferrum pertransiit, saltem ita pertransiit car-

carnem, ut gravissimè id in anima senserit.

Domine IESU! sacris tuis pedibus continuò usus fuisti in commodum omnium promiscuè hominum, tunc præsertim, quando ibas ad loca deserta, mariumque littora, prædicandi gratiâ. Quando & ibas ad oppida, vicos, castella, urbesque totius Iudææ, non gratiâ solummodò prædicandi, sed & homines, & prædicatione & miraculorum patratione, convertendi: & convertisti innumeros. Ut sacris tuis pedibus usus fuisti continuò, ita non minùs usus fuisti sacris tuis manibus. Atque iis quidem, quot beneficia non contulisti? cæcis lumen, claudis gressum, loquelam mutis, auditum surdis, leprosis munditiem, mortuis vitam, tuis velut manibus, elargitus es. Et has nunc sacras manus tuas, hos pedes sacros, impii constringunt carnifices, per hos ferreos nunc rudesque clavos adigunt, eisque illos cruci suffigunt. Proh indignum scelus! Conqueritur super hoc patientissimus Dominus, dicens Ps. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Tam atrox quippe fuit in JESU, ubi cruci affigebatur, membrorum extensio, ut ossa singula ab aliis conspicerentur divulsa.

Tu, pia anima, considera, non adeò Domino tuo constrictos esse pedes manusque, non eos adeò cruci, clavis licèt grandioribus, affixos, quin, si ad ipsum recurras, te ei commendes, opem ab eo tuâ in angustia postules, eam tibi ille, pro suâ in te pietate, elargiturus sit: neque enim ei, ut ab hoc impediatur, pedes manusque constringi possunt.

ME-

MEDITATIO LI.

JESUS in crucem agitur.

O Plùs quàm horrendum ſpectaculum, ad quod mirum eſt, totam univerſi machinam non rediiſſe in nihilum! Stare jam filium Dei in Calvariæ monte, id eſt, in loco totius mundi viliſſimo, in cadaveroſo & olido veluti fimeto, furcis & crucibus infami, omni humanâ ope deſtitutum, nudum, lividum, lacerum, lacrymis, ſudore, ſanguineque conſperſum, exſpectareque ſævum carnificum imperium, ut ſe ad illorum arbitrium, in crucem inclinet, manus pedeſque clavis configendos, ad eorum nutum extendat. In Calvariæ, inquam, monte, in loco præ aliis vili fœdoque. S. Lucas dicit Cap. 23. *Ibi Crucifixerunt eum.*

I. Conſideratio.

SAnct. Evangeliſtæ rem tantam, crucifixionem, inquam, Domini, rem longè maximam, brevi ſermone: quid? uno tantùm alteroque verbo perſtringunt: *Ibi*, ait S. Lucas, *Crucifixerunt eum.* Sermo ſanè breviſſimus. Juvat ob rei magnitudinem, eam aliquantò latiùs deducere, ipſumque crucifixionis modum, & ex conſueto crucis ſupplicio, & ex odio Judæorum, & ex veteribus Prophetarum oraculis, accuratiùs exponere.

1. Magnâ imprimis inſolentiâ veſtem ei detra-

hunt, vulneraque adhærelcentia renovant, ac ſacrum ejus corpus totum cruentant, nudumque exhibent. 2. In lignum crucis, humi poſitum, eum petulanter dejiciunt; ſatis hoc eis eſt, ſi vivus agatur in crucem. 3. Manum unam foramini terebrato admovent, illi clavum malleo incutiunt, & ſanguinem multum educunt. 4. Affixâ unâ manu, apprehenſam alteram ad paratum foramen extendunt violentiùs, & ſimiliter clavo configunt. Pari modo cum pedibus agunt, quos magnâ vi ad parata foramina trahunt. S. Gregorius Turonenſis affirmat, tabellam parvam eminuiſſe, cui duobus clavis Domini pedes affigunt. 5. Arborem crucis, hâc tam ſolemni hoſtiâ veſtitam, in altum elevant, magnoque impetu in foſſam dimittunt. Sic enim erigitur ſerpens æneus in deſerto: & hoſtiæ ſacrificiorum, elatione in altum, offerri conſueverunt. Hic ferè crucifixionis modus fuit, crudelis atque immanis. Tu verò, qui eum expendis, expende & in eo dolores acerbiſſimos, quos Dominus paſſus eſt. Aſpice Crucis vexillum attolli. Vide decurrentes, de manibus pedibuſque ſanguinis vivos: accurre, & hauri, dum fontes ſcaturiunt, priuſquàm ſiccentur venæ eorum.

II. Conſideratio.

DOminus JESUS non ita à carnificibus in lignum crucis dejicitur, quin & ipſe in illud pronus inclinet. Intuitus JESUS Crucem (inſtrumentum crudelitatis humanæ, dicam, an pietatis divinæ?) exultabat ſpiritus ejus, ſciens, quia poſt tres horas, erat in ea ſpiritum traditurus

rus in manus Patris ; & vel maximè, quòd nos per Crucem erepturus esset è manu dæmonis. O Felix lignum, per quod acquiritur regnum! Si *benedictum sit lignum* (Sap. 17.) *per quod fit justitia*, quantò magis benedictum est lignum, per quod fit misericordia? S. Leo egregiè de hoc ligno: *De instrumento, quod iniquitas Judæorum paravit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam.* Ad crucem Dominus, ceu per quam auferenda à nobis primæva damnatio, januaque ad cœlum aperienda, anhelavit. Ad illam ergò se, ei jam suffigendus, quid ni inclinet? Crucem aspicit, ùt instrumentum Passionis suæ, sed & aspicit illam, ùt præsidium salutis nostræ, atque adeò, si non ore, desiderio eam osculatur, & stringit. O Crux, oculis deinde omnium & amplexibus digna! Te desiderare, pietas est; te ferre, gloria est; in te mori, salus est.

O quot modis ostendit Dominus, voluntariè pati se, & mori, non coactè! Is. 55. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ivit voluntariè in Jerusalem, in qua civitate Passio ejus erat peragenda. Non urgebant eum, aut vel admonebant discipuli, qui comitati sunt; voluntariè ivit, & sponte suâ, conscius eorum, quæ sibi eventura erant. S. Chrysostomus JESUM, comites suos ita alloquentem inducit: *Videte, quia voluntariè vado ad mortem.* Ivit voluntariè in montem Oliveti, hortumque ei vicinum Gethsemani, in quo prodendus & capiendus erat: nemo illum ad hoc stimulabat, aut invitabat; quin & ultrò proditori obviàm processit. Sed hoc voluntariè ire

 est.

eſt. Verum eſt, vinctus deinde fuit, ligatuſque; atque ſic ductus eſt ad Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, & reductus. Sed haud opus ei fuit vinculis; & voluntariè quoque ivit, cruce ſuâ onuſtus, in Calvariæ montem. Impulſus hinc inde in via, tractuſque, ſed non quaſi progredi nollet; at quia ex nimio onere viribus deficiens, abſque tantillâ reſpiratione progredi non poterat. Nunquam, quidquid ab eo exactum ſit, quodcunque & onus impoſitum, invitus fuit, nunquam reluctatus eſt: ſemper voluntariè ſe pati, & mori velle, oſtendit. Atque ex hoc nunc quoque eſt, quod cùm carnifices eum invaderent, conjecturi illum in crucem, ſe ad eam ſpontè inclinârit, in eâque ſe ipſe compoſuerit.

En, Chriſtiane, Dux tuus Chriſtus inclinat ſe ad crucem, adamans illam ac deſiderans; & tu, ſi tibi adverſa & moleſta accidant, ea libenter accepta. Vox tua ſit, votumque tuum, nolo, Domine, ſine cruce vivere, quia te video ad crucem inclinatum, & cruci reipsâ ſuffigendum, in eâque & dein ſuffixum; & quidem hoc pro ſalute mea. Inclinans te, Domine, ad crucem, me crucem amare & tolerare doces.

III. Conſideratio.

DOminum, clavis ferreis per manus pedeſque adactis, carnifices cum cruce in altum elevant, magnoque eam impetu, in foſſam dimittunt. Sic nunc ſerpens æneus (Num. 21.) erigitur in deſerto, & filius hominis exaltatur à terra, ut

ut omnia trahat ad se. O quàm copiosi Sanguinis rivi, non ex perforatis tantummodò manibus pedibusque, sed toto ex corpore ubique sauciato, in terrã defluunt! Sanguinis, inquã, pretiosissimi; adeò ut vel una illius stilla queat totum mundum salvum facere. Vos ego alloquor, impii pessimique Judæi: postulastis Dominum JESUM ad crucem, non quieturi, nisi eum in crucem actum videretis: nunc videtis eum actum in crucem. Voces vestræ erant, aut vel magìs inconditi clamores: *Tolle, Tolle, Crucifige eum.* Videtis eum nunc sublatum & crucifixum: num jam vobis, ac invidiæ, furori, inquam, vestro ac rabiei factum satis? Minimè gentium: linguis vestris eum insuper percutitis, subsannationes, in eum, improperationes, sannasque ac scommata jacientes: dicitis insultabundi, moventesque capita vestra, Matth. 27. *Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud: salva temetipsum. Si filius Dei es, descende nunc de cruce.* Imitamini vos sic patrem vestrum diabolum. Dicebat ille Domino, super pinnaculum templi constituto, Matth. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Vos dicitis: *Si filius Dei es, descende nunc de cruce.* Non misit se tunc deorsum: neque nunc de cruce descendet: manebit in cruce, quam conscendit: scriptum est enim Psal. 95. *Regnavit à ligno Deus.* Morietur in cruce; sed mortuus in ea, quod ad vestram confusionem satis est, vivus resurget. S. Hieronymus hìc: *Quid plus est, de cruce adhuc viventem descendere, an de sepulchro mortuum resurgere?* utique & plus vide-

videtur, resurgere mortuum, quàm descendere vivum. Sensit interea in cruce sua Dominus illas Judæorum insultationes & blasphemias. Ingens ei tormentum fuit crucifigi, sed non minus tormentum fuit sibi crucifixo insultari, & se blasphemari. Ecclesiasticus dicit Cap. 7. *Ne irrideas hominem in amaritudine anima sua.* Sed haud curæ id vobis est: amaritudinem additis super amaritudinem, insultationes & blasphemias additis insultationibus & blasphemiis vestris, *Blasphemabant eum, moventes capita sua.* Motiones illas, seu jactationes capitum singulariter observat Dominus, dicens per Prophetam Psal. 21. *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Fuit hæc magna sævitia Judæorum in Christum, & atrox injuria. Erubesce, ô homo, si injuriam quamcunque pro Christo renuas.

Expostulatio & exprobratio Christi de cruce sua cum gente Judaica.

EXpostulat Dominus de cruce sua cum gente Judaica, & suam erga eos, ex collatis in illos beneficiis, demonstrans dilectionem, & eorum exprobrans ingratitudinem, malis maximis pro beneficiis ab eis redditis, utrumque patheticâ sanè antithesi. En, ita ad eos de cruce ille: *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti: parâsti crucem Salvatori tuo.* Per-maximum beneficium, educi de terra durissimæ servitutis. At

quæ

quæ isthæc ingratitudo, crucem pro eo reddi? *Eduxi te per desertum quadraginta annis: & mannâ cibavi te, & introduxi te in terram satis bonam.* Non satis, educi eos de terra pessima, nisi & in terram optimam inducantur. *Quid ultra debui facere tibi, & non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam; & tu facta es mihi nimis amara: aceto namque sitim meam potâsti, & lanceâ perforâsti latus Salvatori tuo. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; & tu me flagellatum tradidisti. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharâone in mare rubrum; & tu me tradidisti Principibus Sacerdotum. Ego ante te aperui mare; & tu aperuisti lanceâ latus meum. Ego ante te praivi in columna nubis; & tu me duxisti ad pratorium Pilati. Ego te pavi mannâ per desertum; & tu me cecidisti alapis & flagellis. Ego te potavi aquâ salutis de petra; & tu me potâsti felle & aceto. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi; & tu percussisti arundine caput meum. Ego dedi tibi sceptrum regale; & tu dedisti capiti meo spineam coronam. Ego te exaltavi magnâ virtute; & tu me suspendisti in patibulo.*

MEDITATIO LII.

Causæ Crucifixionis.

INquirunt nonnulli de causis, cur Crucifixus sit Dominus, & non potiùs combustus, lapidatus, decollatus, aliove, præter Crucifixionem, supplicio affectus. Et hoc quidem eò magìs mirum est, quia apud Judæos, à quibus Dominus ad

ad mortem postulatus, & Pilatus ad ferendam sententiam adactus est, Crucifixio in usu non erat. Et certè, totum si decursum attendimus Passionis Dominicæ, non aliud illi, præter Crucifixionis supplicium, ei voluerunt, alio supplicio haud futuri contenti. *Tolle, Tolle*, clamabant illi omnes, *Crucifige eum.*

I. Consideratio.

PRima causa: quia Judæi, ex odio in Christum, eum cruce, id est, morte summè infami, affectum volunt, ut eò magis nomen ejus & doctrinam infamarent. Hâc de causa crimen ei imposuerunt, quod affectâsset regnum Judææ, & Cæsari rebellâsset: rebelles autem, seditiosi, regnique affectatores, Jure Romano crucifigebantur, ut qui voluerant cæteris eminere in regno, eminerent cæteris in patibulo. Adde, videri Judæos, crucis supplicium Barabbæ, quasi seditioso, & latroni famosiori debitum, voluisse in Christum transferre; unde electo præ Christo Barabbâ, illicò contra eum clamant, *Crucifige, Crucifige eum.*

2. Quia in cruce omnia pœnarum genera velut concurrunt; quarè illa Christus omnia in sua cruce complexus est, ut & Martyribus daret exemplum quælibet supplicia perferendi. Crux enim manus pedesque secat, ùt gladius; corpus distendit, ùt equleus; lacerat, ùt ungula; laniat, ùt bestia; urit cruciatque, ùt focus, adeóque lento quasi igne hominem assat, & necat &c. Quarè Christus omnium Martyrum tormenta sensit, illaque

illaque sibi repræsentavit, & pro iis afflictus fuit, ut omnibus virtutem illa superandi impetraret; nimirùm (sicut ait S. Laurentius Justinianus Lib. De triumphal. Christ. Agon.) *In Stephano lapidabatur, in Laurentio assabatur, sicque in singulis singula Martyrum, cæterorumque justorum sustinebat tormenta.* Christus Rex Martyrum utrorumque, & materialium, qui exteriùs in corpore, & spiritualium, qui interiùs in animo patiuntur. Utrique, & materiales & spirituales Martyres, habent, ut in Christum respiciant. Et si quod tibi martyrium sit, si quæ adversa & molesta tibi, ea, ex conspecto in cruce Jesu, facilè superabis.

II. Consideratio.

Tertia causa, cur Crucifixus Christus, non alio supplicio interfectus, ex hoc deducitur, ut, sicut Adam & Eva peccârunt, extendendo manum ad lignum vetitum, Christus peccatum hoc lueret, extendendo manus ad lignum Crucis. Ita S. Augustinus in appendice 1. de div. Serm. 4. Unde canit Ecclesia. *Per lignum servi facti sumus, & per Sanctam Crucem liberati sumus.* Et, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* S. Gregorius Nazianz. in Orat. De seipso ad Arrian. *Ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominiæ lignum revocati sumus.* Et S. Ambrosius in Luc. Cap. 4. *Mors per arborem, vita per Crucem.* Imò & ipse Dominus Cantic. 8. *Sub arbore malo suscitavi te. Ibi corrupta est mater*

ter tua, ibi violata est genitrix tua. Rursum, Crux est expiatio & remedium concupiscentiæ, ex Adæ peccato contractæ, quod fons & origo est peccatorum omnium. Quarè exemplo crucis suæ docet Dominus nos, concupiscentiam nostram crucifigere, & mortificare, si peccata cavere, & animam salvare velimus.

4. Ut pendens in aëre, inter cœlum & terram, Cœlites terrenis reconciliaret. Ita S. Ambrosius in Lucæ Cap. 23. *Ut non sibi soli, sed omnibus vinceret, manus in cruce extendit, quò omnia ad se traheret, ut nodo mortis exuta, jugo fidei suspensa, cœlestibus ea, quæ priùs erant terrena, sociaret.* S. Cyprianus, (vel quisquis est Auctor Tract. de Pass.) ait: *Considero opera tua*, Domine, *& admiror te cruci inter damnatos affixum, jam nec tristem, nec pavidum, sed suppliciorum victoriâ, elevatis manibus triumphantem de Amalec, & quasi sanctificantem de excelso plebem, & elevatum in sublimi, & quasi cœlo proximum, superioribus inferentem consummati agonis vexillum, & inferioribus erexisse scalam in Patris occursum.*

III. Consideratio.

Quinta causa, quod Christus crucifixus sit, non alio affectus supplicio, habetur ex S. Augustino. Ita ille Append. de divers. Serm. 59. *Noluit*, Dominus, *lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. Elegit verò crucem, quæ levi motu manûs exprimitur, quâ & contra inimici versutias muni-*

munimur. Hoc est, quod ait Paulus Gal. 3. *Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum est enim: maledictus omnis, qui pendet in ligno, ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo JESU.* S. Anselmus dicit in Epistol. ad Philipp. Cap. 2. *Tam pessimam mortem Salvator elegit, ut omnem mortem occideret.* Et ùt ait S. Augustinus Psal. 140. *Ut discipuli ejus mortem non modò non timerent, sed nec genus mortis horrescerent.* S. Athanasius de Incarn. Verbi: *Dominus venit, ut diabolum præcipitaret, aëremque purificaret, & viam ad cœlum nobis inveniret.*

Sexta. Denique Lactantius Lib. 4. cap. 26. *Quoniam,* inquit, *qui in patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & cæteris altior, Crux potiùs electa est, quæ significaret illum tam conspicuum, tamque sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent &c. Extendit ergò in Passione manus suas, orbemque dimensus est, ut jam tunc ostenderet, ab ortu Solis, usque ad occasum, magnum populum, ex omnibus linguis & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, signumque illud maximum atque sublime frontibus suis suscepturum.*

Quidquid sit de causis, cur Dominus Crucifixus est; Crucifixio illius, & ex amore ipsius erga nos, & ex furore Judæorum in illum, profecta est. Piè, verè, & affectuosè S. Salesius, Princeps & Episcopus Genevensis:

Aut amor, aut furor est, qui te, bone Christe, peremit:
Est amor, & furor est; hic meus, ille tuus.

ELOGIA ET FRUCTUS CRUCIS, ex S. Chrysostomo Hom. de Cruce.

CRux, inquit, *spes est Christianorum: Crux resurrectio mortuorum: crux cæcorum dux: crux desperatorum via: crux claudorum baculus: crux consolatio pauperum: crux refrænatio divitum: crux destructio superborum: crux malè timentium pœna: crux adversùs dæmones triumphus: crux devictio diaboli: crux adolescentum Pædagogus: crux sustentatio inopum: crux spes desperatorum: crux navigantium gubernator: crux periclitantium portus: crux obsessorum murus: crux Pater orphanorum: crux defensor viduarum: crux Iustorum consiliarius: crux tribulatorum requies: crux parvulorum custos: crux virorum caput: crux senum finis... Crux lumen in tenebris sedentium: crux Regum magnificentia: crux scutum perpetuum: crux insensatoram sapientia: crux libertas servorum: crux Imperatorum Philosophia: crux lex impiorum: crux Prophetarum præconium: crux annuntiatio Apostolorum: crux Martyrum gloriatio: crux Monachorum abstinentia: crux Virginum castitas: crux gaudium Sacerdotum: crux Ecclesiæ fundamentum: crux Orbis terræ cautela: crux templorum destructio: crux Idolorum repulsio: crux scandalum Iudæorum: crux perditio impiorum, crux invalidorum virtus: crux ægrotantium medicus: crux emundatio*

datio leprosorum : crux paralyticorum requies : crux esurientium panis: crux sitientium fons; crux nudorum protectio.

MEDITATIO LIII.

Circumstantiæ Crucifixionis.

PLura sunt, quæ circumstant Crucifixionem Domini; adhibita à Judæis, non aliâ intentione, quàm ut Domino majorem adferrent confusionem & ignominiam. Explicantur illa tamen facilè ita, ut afferant ei majorem æstimationem & gloriam. Ex optimis quidem flosculis araneæ venena, apes verò mella colligunt. Ita & hìc, quod impiis Judæis in Crucifixione confusio & ignominia est, piis Christianis, ritè explicatum, æstimatio est & gloria.

I. Consideratio.

DOminus JESUS imprimis Crucifixus est in monte. Fuit hic mons *Golgotha*, qui alio, & quidem communiore nomine dicitur *Calvaria*; nempe (ùt plures putant) à calvaria Adami primi omnium hominum parentis, illo in loco sepulti. Erat eò temporis mons ille communis supplicii locus; atque adeò locus infamis. Volunt Judæi Dominum illo in loco crucifixum, ut vel ex eo infamia illi accederet. At cur Dominus in monte, id est, in loco excelso & eminenti crucifigi, morique voluit? Respondeo: Ut sic ex loco eminentiore, totum velut orbem conspicere,

conſpicique ipſe ab omnibus poſſet. Dominus pro omnibus crucifigebatur, pro omnibus moriebatur: non pro omnibus dumtaxat ex omni orbe nationibus, ſed & pro omnibus ex omni orbe hominibus. Venturi erant hujus oblocutores: atque hi ſunt, (ut veteres prætercam) Calvinus vel maximè, & Janſenius, mortem Chriſti ad pauciores homines coarctantes. Sed Dogma Apoſtolicum eſt, 2. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*; pro omnibus omninò hominibus. Ecce nunc Dominus, in monte, in loco, inquam, eminentiore, crucifigitur, ex eoque velut Orbi univerſo ſpectabilem ſe reddit, oſtenſurus, pro eo ſe crucifixum & mortuum eſſe. Nemo itaque angatur hìc aut turbetur, nemo unus, non Judæus, non Gentilis, non Græcus, non Barbarus, non Scytha, non Servus à mortè Chriſti excluſus eſt. S. Chryſoſtomus mortuum dicit, & dicere debuit, Chriſtum, *non pro fidelibus tantùm, ſed pro univerſo orbe*, ſubditque: *Ipſe enim pro omnibus mortuus eſt.*

Dominus mortuus eſt in terræ medio, juxta illud Pſ. 73. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Cur hoc? Reſpondeo. 1. Ut Crux reſponderet arbori vitæ in Paradiſo, quæ in medio ejus fuit, quò omnibus æquè eſſet obvia & acceſſibilis pro conſervatione vitæ. Itaque & Crux in medio gentium poſita eſt, ut ſciremus, pro omnibus æquo jure paſſum eſſe Dominum, omnibuſque patere, & vænalem eſſe fructum ejus. 2. Ut reſponderet ligno ſcientiæ boni & mali, quod etiam fuit in medio Paradiſi. Tale autem lignum Crux

Crux est; docet enim, quantum malum sit peccatum, quod Deum Cruci affixit. Deinde & quantum in virtute bonum sit, tantum nempe, ut cœlum eo nobis procuremus.

II. Consideratio.

Crucifixus est Dominus, facie ad Occidentem, dorso ad Civitatem verso. Cur hoc? Respondeo. Ut Occidentalem plagam & Romam, ubi Ecclesiæ suæ petram collocaturus erat, benediceret: ut & à Synagoga & Metropoli Judæorum se averteret, juxta illud Jer. 13. *Dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Quin etiam Judæi ita studio crucem constituerant, ut in ea Christus faciem à Civitate averteret, quasi aspectu ejus jam dein indigna esset. Id inter alios observat Damascenus Lib. De Fid. Cap. 13., aliique. *Hoc ipso*, inquiunt, *meruerunt, ut eveniret, quod voluerunt, & averteret ab eis Dominus faciem gratiæ suæ.*

Crucifixus est Dominus feriâ Hebdomadæ sextâ. Cur? Respondeo: quia illâ die, sextâ scilicet Mundi, creatus fuit Homo. Ergo in eâdem feriâ convenienter recreatur, quamvis magno discrimine. Nam creatus est sine labore: recreatus verò labore maximo. Facile Deo fuit, creare hominem; recreare verò difficile, id est, reparare & redimere eum. Quia & eâ die, de communi Patrum sententiâ, Adam & peccavit, & de Paradiso ejectus est. Ergò convenienter est reparatus, & in Paradisum reductus, quod primò factum in Latrone. Meritò igitur Christiani hunc

diem in honore habent, & in abstinentia sanctificant, quia in eo & creati, & recreati, lapsi & reparati, è Paradiso ejecti, & in eum reducti sunt: in eo mors invecta, & rursùm eliminata est.

III. Consideratio.

DOminus Crucifixus est *horâ* diei *quasi sextâ*, ùt scribit S. Joannes Cap. 19. Quod verò S. Marcus horâ tertiâ eum Crucifixũ ait, intelligendum est de hora orationis, non diei. Horæ autem orationis erant, prima, tertia, sexta, nona, quarum unaquæque continebat tres horas, quemadmodum & unaquæque noctis vigilia. Ergò sub finem tertiæ, & circa initium sextæ Dominus est Crucifixus, id est, *horâ quasi sextâ*. Cur hoc? Respondeo: Quia circa eandem horam, tempore scilicet meridiano peccârunt & perdiderunt nos primi parentes nostri: & quo tempore diei Christus obiit, eodem ejecti fuerant illi de Paradiso; siquidem ad auram post meridiem deprehensi & reprehensi sunt à Deo. Quia sicut tunc in meridie sol ascenderat summum cœli, & inde summum calorem terræ impertierat, ita sol justitiæ Christus, cùm ascendit Crucem, summum amoris gradum attigit, quo nos omnes calefecit, & amore sui inflammavit. Certè inflammare debuit, juxta id Ps. 18. *Occursus ejus usque ad summum ejus: nec est, qui se abscondat à calore ejus.*

Denique Crucifixus est Dominus in die solemni Paschatis. Cur hoc? Respondeo: quia ipse erat Agnus immolandus pro toto mundo, qui per

eum

eum erat liberandus de servitate Pharaonis, id est, diaboli. Item Crucifixus est Lunâ 14., seu in plenilunio, juxta legem Ex. 12. Quia Christus moriens toti illuxit orbi. Item die primo azymorum, ut jam *non epulemur* (1. Cor. 5.) *in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

MEDITATIO LIV.

Titulus Crucis.

TItulus crucis, titulus sane permagnificus, & gloriosus: *JESUS Nazarenus Rex Judæorū.* Ita quidem titulus ille scribitur à Joanne Cap. 19., sed non ab aliis Evangelistis, à quibus paucioribus refertur verbis. S. Matthæus dicit Cap. 27. *Hic est JESUS Rex Judæorum.* S. Marcus Cap. 15. *Rex Judæorum.* S. Luc. Cap. 23. *Hic est Rex Judæorum.* Titulus crucis, ùt à Joanne refertur, per Ecclesiam, præ aliis magìs in usu est. Scriptus fuit triplici linguâ, hebraicâ, græcâ, & latinâ, ut nempe à nemine non intelligeretur.

I. Consideratio.

APud Romanos in more fuit positum, ut in supplicio capitis, causam illius appenderent ipsi quidem cruci, si quis eâ plecteretur, nimirum, ne existimarent spectatores, crudele illud supplicium illatum ex tyrannide fors aut malevolentiâ Judicis, sed ex juris æquitate ac justitia. Juxta hunc morem à Pilato, Judice Romano, super

ſuper caput JESU in Cruce pendentis appenſus eſt hic titulus : *JESUS Nazarenus Rex Judæorum*, velut qui cauſam ſupplicii hujus contineat. Fecit hoc Pilatus, & ut Dominus, velut læſæ Majeſtatis reus, ceu qui Regnum affectâſſet, videretur; & ut ipſe cenſeretur immunis apud Cæſarem à crimine, quo Regni æmulum non damnâſſet, ac pro merito morte non ſuſtuliſſet. Neque etiam Dominus titulum recuſavit, aut abnuit, ſed voluit potiùs eum ſibi ſtatui; aliâ tamen omninò de causâ, ac ex myſterio ſalutis noſtræ deſumptâ. Nempe ut quilibet intelligat, eum hoc Crucis ſupplicium pertuliſſe, non ùt noxium aut reum, ſed ùt Salvatorem ac Regem, qui regat animas noſtras, eique Regi, qui manibus pedibuſque fixus, delictis ſuis nocere nõ poteſt, ſed ſolùm benefacere, omnemque ſalutem ex aperto corde offert, totos nos committamus regendos.

O mirum & adorandum Dei conſilium! Pilatus intendebat per titulum à ſe appenſum, idem ſignificare, quod ſuggerebant Pontifices, nimirum, quod JESUS iniquè affectâſſet Regnum Judææ, adeòque quod Cæſari rebellâſſet. Sed Deo manum ejus dirigente, aliter, alióque ſenſu, vero utique, ſcripſit: *Hic eſt Rex Judæorum*. Q. d. Hic eſt Meſſias, mundi Salvator, & ille crucifigitur, quia Meſſias ex decreto Dei crucifigi & mori debet, ut humani generis peccata luat & expiet, homineſque Deo reconciliet, & mundum ſalvet. Quarè titulus hic: *JESUS Nazarenus, Rex Judæorum*, fuit ipſi ſummè

mè gloriosius ac honorificus; ceu qui continet & ostendit ejus non tantùm innocentiam, sed & dignitatem, quod ipse Messias sit, ac mundi Salvator: in quo & Judæos, quasi Salvatoris sui occisores, seu Christicidas confundit & condemnat, condemnabitque in æternum, quod ipsi Pilatum adegerint, ut crucifigeret eum, qui erat eorum Messias, missus à Deo, ut ipsos salvet.

Vide, quod scribit Pilatus JESU ad ignominiam, cedit ei ad gloriam: est isthæc specialis providentia Dei, qui gloriam ex ignominia elicit. Fit non raró sic cum probis hominibus: ignominiam eis alii conflare volunt, & gloriam causant: volunt deprimere, & elevant. Joseph à fratribus suis (Gen. 37.) venditus est in mancipium, & à Deo elevatus est (Gen. 41.) ad Ægypti Pro-regnum.

II. Consideratio.

JUdæi videntes, JESUM, titulo illo magnifico: *JESUS Nazarenus, Rex Judæorum*, honoratum, se veró illo peti & confundi, Pilatum adeunt, postulatum, ut titulum illum vel tollat, vel mutet. Ita S. Joannes cap. 19. ***Dicebant autem Pilato Pontifices Judæorum: noli scribere, Rex Judæorum: sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum.*** Frendent interea illi, & strident dentibus: ringuntur, rumpunturque præ ira, quâ illos afflabat inflammabatque tituli magnifici gloria. Quid? non jam ita postulant Pilatum, ut titulum mutet; instant, urgentque eum, ut

totum aut tollat, aut deleat. Sed frustra; nihil hìc illis conceditur. Titulus, *JESUS Nazarenus, Rex Judæorum*, scriptus fuit (quod supra observo) *hebraicè, græcè & latinè*; idque & ad majorem quidem intelligentiam, ut nempe, qui hebraicè haud periti, aut vel græcè, quales aderant plurimi, Pilato fortè, ceu homine Romano, nec hebraicè, nec græcè callente, saltem ex latino titulum intelligerent; sed & ad majorem Pontificum confusionem, quòd qui nullâ eum linguâ scriptum volebant, linguâ illum triplici scriptum cernerent, indignantes, quod ita scripti intelligentia nemini non innotesceret.

Adeunt, inquam, Pilatum Pontifices, tituli tollendi ergò. At repulsam patiuntur: neque ut vel in apice mutetur uno, obtinent. Respondit eis Pilatus, ùt S. Evangelista refert: *Quod scripsi, scripsi.* q. d. Quod scripsi, rectè & conformiter scripsi, nolim id revocare, aut vel mutare. Mirum, quod nihil à Pilato obtineant, qui priùs tam multùm ab eo obtinebant; & inter alia, ipsam innocentis JESU ad crucem condemnationem, ipsumque priùs, velut arundinem omni vento agitabilem, in latus quodcunque flectebant. Hærent illi hìc, coguntúrque re non obtentâ discedere. Titulus hic magnificus & gloriosus: *JESUS Nazarenus, Rex Judæorum*, non tam ex humana quadam Pilati dispositione, quàm ex consilio divino: neque immutari aliquid in eo, aut vel quid detrahi de gloria ejus, passa fuisset divina dispositio; unde frustra apud Pilatum instant Pontifices, qui suo hoc, *quod scripsi*,

scripsi, scripsi, ipsos scitè retundit. Utinam Pilatus tam constans fuisset, ac tam fortis invictique animi, quando illi innocentem atque innoxium JESUM postulabant ad crucem! At tunc facillimè se expugnari si[illegible], manusque victas dedit, ita ut authorem vitæ condemnârit ad mortem.

Vide, noluit Pilatus mutare titulum: *quod scripsi,* ait, *scripsi.* Disce non facilè mutare bona in virtutibus proposita. Proponis virtutes exercere, nunc has, nunc illas, atque eas præsertim, quæ statui tuo ac vocationi convenientiores sunt. Proponis vitia cavere, ea vel maximè, in quæ te præ aliis labi experiris. Proponis utrumque firmiter, & tantùm non promittis, Deo, Ecclesiæ, Confessario. Dæmon, Caro, Mundus adversantur. Responde adversanti dæmoni, carni, mundo, cum Pilato: *Quod scripsi, scripsi:* quod proposui, proposui. Ne ex illis sis, qui, quod priùs scriptum est in corde, deinde obliterant in opere; in bonis propositis ne desiste, sed ea perfice.

III. Consideratio.

TItulus ille permagnificus: *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum,* meretur explicari in singulis. Dicitur imprimis *JESUS. JESUS* tantundem est ac Salvator. Rectè Dominus à Pilato Salvator scribitur, quia in Cruce sua salvat, nempe populum suum, mundum universum à peccatis eorum. Nomen hoc Dominus recepit in Circumcisione sua, in quâ primum suum sanguinem effundere pro nobis, adeóque & salvare nos cœpit. Illud ipsum verò in Cruce sua moriens & perficit

cit & complet;unde pendens in ea,rectè JESUS, id eſt, Salvator nominatur. *Nazarenus.* Natus quidem eſt JESUS in Bethlehem, unde Bethlehemita dici poſſet; in Nazareth tamen conceptus erat & incarnatus, ac deinde educatus, quarè rectiùs Nazarenus dicitur. Nazarenus floridum ſignificat. JESUS in cruce floridus, quia virtutum varietate & odore maximè redoluit. Ibi & flos ille erat, ſed flos inter ſpinas: & ſicut flos, cùm manu premitur, & attrectatur, magìs redolet,ita & JESUS in cruce preſſus ſaluberrimum mundo odorem exhalavit, virtutumque odores ſparſit. *Rex*, qui de hoc crucis throno, diademate redimitus, ſanguine ceu purpurâ veſtitus, regnat erectus, & pedibus fixus, ad auxilium tuum paratus, & manibus perforatus, ut dona non ſibi retineat, ſed tibi effundat, expanſis ulnis, ut te venientem excipiat. Denique, *Judæorum*, primò miſſus, non gentibus, ſed Judæis, ùt dicit ipſe Matth. 15. *Non enim ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt, domûs Iſraël.*

Eſt itaque JESUS, quod præfert titulus. At ô quàm multi Chriſtiani ſunt, qui in hoc deficiunt, Chriſtiani nomine, non opere! Audiamus hâc de re loquentem Salvianum, de Gubern. Cap. 63. *Nos*, inquit, *qui nos Chriſtianos dicimus, prodimus vim tanti Nominis vitio pravitatis. Omninò enim nihil prodeſt, nomen Sanctum habere, ſine moribus; quia vita â profeſſione diſcordans, abrogat illuſtris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem. Vide, cùm penè nullam Chriſtianorum omnium partem, penè nullum Eccleſiarum*

omni-

omnium angulum, non plenum omni offensione & omniũ lethalium peccatorũ labe videamus, quid est in quo nobis de Christiano Nomine blandimur? cùm utique hoc ipso magis per Nomen Sanctissimum rei sumus, qui à Sancto Nomine discrepamus. Nam & ideò plus sub Religionis titulo, Deum ludimus, quia positi in Religione peccamus. Hæc ipse, præclarè non minùs quàm verè.

Itaque, ô pie Christiane, quod nomine es, facto præsta; nomine perinde ac factis Christianus. S. Hieronymus dicit: *Esse Christianum, grande est, non videri.* Multis satis est, si videantur Christiani, etsi non sint. Ipsis convenit illud Apoc. 3. *Nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Nomen, quo Christianus audis, aureum decus est, præclarum ornamentum. Plures Martyres vel nomine illo mirè gloriati sunt. Sed quod nomen præfert, re præstetur. Fac, ut sicut de Christiano Nomine, ita & de Virtutibus Christianis gloriari possis, & utilissimè gloriaberis.

MEDITATIO LV.

JESUS Crucifigitur in medio Latronum.

SAnct. Propheta Abacuc prævidens in spiritu, & considerans opera Dominicæ Incarnationis ac Nativitatis, admiratione stuporeque correptus, exclamat, juxta Septuaginta Cap. 3. *Domine, consideravi opera tua, & obstupui, in medio duorum animalium cognosceris.* Miratus est Propheta

pheta & obstupuit, quando vidit in spiritu Deum factum hominem, jacentem in præsepio inter duo animalia, bovem inter & asinum: quantùm miratus fuisset, obstupuissetque, si vidisset eum Crucifixum, pendentem in patibulo, medium inter duos latrones? Factum id quidem Pilati imperio, sed & Judæorum consilio, ad majorem Domini ignominiam; nempe ut ex hoc magis velut infamis latro, quin & velut latronum dux ac choragus haberetur à posteris.

I. Consideratio.

Filius Dei, qui medius est inter Patrem & Spiritum Sanctum, operans salutem nostram in medio terræ, appensus hìc nunc est in infami ligno, medius inter duos latrones. Hoc est, quod dicit S. Matthæus Cap. 27. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo Latrones; unus à dexteris, & unus à sinistris.* Tu itaque, Domine, inter illos medius pendes, velut latronum Princeps. At quid est hoc, quod medius ubique sis? Nasceris in stabulo; sed medius bovem inter & asinum. In templo disputas Puer duodennis; audis, & interrogas; interrogaris, & respondes; sed medius inter Doctores. Transfiguraris in monte Thabor, facie velut Sole resplendente; sed medius Moysem inter & Eliam. Appares à morte redivivus, & conspiceris; sed medius inter discipulos. Nunc Crucifigeris; sed medius inter Latrones. Dominus JESUS ubique medius est, & medius quidem ei debetur locus, 1. ut Salvatori, omnibus ex æquo salutem offerenti, quod & facto ipso, hoc ipso

ipso temporis articulo ostendit, dum vicino Latroni salutem impendit, & alteri, quantùm ex se, perinde impendisset, offerens omnibus gratiam, quâ salvari possint. 2. ùt Doctori, totius nempe generis humani, & Concionatori in medio Ecclesiarum, tradenti compendium doctrinæ Christianæ, ac virtutum omnium, omnemque sapientiam ac vitæ perfectionem. 3. ùt Advocato. S. Joannes de hoc dicit 1. Epist. 2. *Advocatum habemus apud Patrem, JESUM Christum Justum.* Advocato autem, velut sequestro inter Judicem & reum, medius locus competit.

Et quidem, dum JESUM propiùs contemplor, pendulum in Cruce inter latrones, ac morientem, video egressum ejus ex hoc mundo haud dissimilem ingressui ejus in illum; occasum ejus video non dissimilem ortui, finem vitæ principio, mortem vitæ: utrobique nil apparet aliud, nisi extrema humilitas & paupertas. Ingressus in mundum JESUS, nascitur in vili stabulo, quod receptaculum erat jumentorum; egressus JESUS ex mundo, moritur in fœdo monte, qui erat sepulchrum latronum. Cùm nascitur, vagit in fœno; cùm moritur, gemit in ligno. Cùm nascitur, ponitur in præsepio; cùm moritur, sternitur in patibulo, Cùm nascitur, vinctus est pannis; cùm moritur, fixus est clavis. Nascitur inter duo jumenta; moritur inter duos latrones. Quando JESUS nascebatur, audiebamus eum, ex cunis suis, sine voce prædicantem, quod ipsum nunc ab eo ex cruce audimus, Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*
Mitis-

Mitiſſime JESU, gratulamur nobis, quod te, & orientem, & occidentem, habeamus Magiſtrum. Te Magiſtro proficiamus in ſchola virtutis, veri, & humilitatis, & paupertatis tuæ, amatores. Sed parùm adhuc profecimus, non corde, ſed ore humiles.

Domine JESU, Advocatus cùm ſis noſter apud Patrem; ad te confugimus, & peccata noſtra conferimus. Nos peccata noſtra tibi exhibemus; tu vulnera tua exhibe Patri tuo: hæc accepta ſunt, ut illa deleantur. Quin & peccata noſtra, vulnera tua ſunt. Dolemus, tibi nos vulnera inflixiſſe; ſed & hæc ipſa à te, Patrono noſtro, Patri tuo exhibita, eum facilè motura ſunt, ut peccatorum noſtrorum ille veniam nobis largiatur.

II. Conſideratio.

LAtrones quod ſpectat, qui unà cum Chriſto crucifixi ſunt, unus, ille nempe, qui pendebat à dexteris, ſalvatus eſt; alter verò pendens à ſiniſtris, damnatus. Repræſentatur in illis forma extremi judicii, in quo Chriſtus Judex ac medius, eos, qui à dexteris erunt, mittet ad Regnum; eos verò, qui à ſiniſtris, mittet ad tormentum. Impleta eſt in hiſce duobus Latronibus figura pincernæ & piſtoris Regis Pharaonis, Gen. 40., quorum alter è carcere liberatus, alter verò in patibulo ſuſpenſus. Impletum & illud Matt. 24. *Duo erunt in agro uno: unus aſſumetur, & alter relinquetur.* Hæc autem non ita intelligenda ſunt, quod Deus, merè ex ſe, abſque reſpectu ad

ad bonum ac malum, unum salvum, alterum salute exclusum velit. Apage cum hac impiâ doctrina. Deus in uno Latrone intuitus est pœnitentiam, atque sic eum salvum; in altero impœnitentiam, atque sic à salute exclusum voluit. Deus paratus est omnibus dare cœlum, datque illud eis, qui gratiâ sibi datâ utuntur benè; iis verò, qui eâ utuntur malè, negat, ita ut, qui ad cœlum non perveniunt, sibi id imputare debeant.

Salvatus Latro laudandus est in variis. 1. In hoc, quod sodalem suum, Latronem à sinistris pendentem, & Christo convitiantem, (dicendo: *Si filius Dei es, descende nunc de cruce: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.*) corripuerit. Dicit S. Luc. cap. 23. *Respondens autem alter, increpavit eum.* Neque increpatio illa, aut correptio videtur fuisse inutilis; non enim legitur, quod deinde in convitiando perrexerit. 2. In illo, quod ipse culpam suam, ob quam infami illo patibuli supplicio plectebatur, agnoverit, atque adeò, quod peccatum suum publicè confessus sit. *Et quidem*, ait, *nos digna factis recipimus.* 3. In eo, quod solicitus fuerit animæ suæ, dicens ad JESUM: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum*, cœleste nempe & divinum, ad quod tendis per mortem crucis, ut mox à morte illud ineas, tuosque in illud introducas. Utinam & alter Latro similiter, ac animo perindè pœnitente, memoriam sui à Domino

postulasset, perinde ac alius, exauditus fuisset, ac ad salutem pervenisset.

Vide tu, parce & tenax homo, liberalitatem Domini tui. Latroni petenti: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum*, Paradisum mox addicit, inquiens: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Petit tantummodò sui memoriam, & Paradisum obtinet: neque dicit Dominus, cras mecum eris in Paradiso, sed hodie. Et tu liberalis esto, in eos, qui petunt: neque procrastines beneficentiam: præstat hodie benefacere, quàm cras, monitus sis hoc dicto Domini: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

III. Consideratio.

Alter latro, à sinistris pendens, Domino convitiatus est. Dicit S. Lucas Cap. 23. *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.* Quid hoc rei est? SS. Matthæus Cap. 27. & Marcus Cap. 15. dicunt, *Latrones*, non Latronem blasphemasse Christum. Plures ex Græcis Patribus, Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, dicunt, utique non improbabiliter utrumque latronem initio id fecisse, sed alterum postea, visâ Christi admirabili patientiâ, visisque tenebris, aliisque signis & miraculis, resipuisse, ac in Christum credidisse. Patres verò Latini, iique præcipui, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, dicunt, unum tantummodò latronem blasphemasse Christum, posito numero plurali pro singulari.


Sic

Sic Luc. 23. dicuntur *milites obtulisse IESU acetum*. Milites, in est, unus militum. Hæc Patrum Latinorum opinio, est S. Lucæ diserta assertio, dicentis supra: *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus blasphemavit eum, dicens &c.*

Dicit: *Si tu es Christus* (Salvator mundi) dicere debuisset: Tu es Christus. Et quidem eum Christum esse, æquè hic ac alter, ex admirabili Christi patientiâ, ex signis ac miraculis colligere potuit. Dicit: *Salvum fac temetipsum*, id est, & te, & nos à morte libera, vitæque ac libertati restitue. Quasi dicat, aut concludat; quia neque te neque nos liberas à cruce, vitæque ac libertati restituis, Christus non es. Durum fuit Domino, hoc à Latrone morti vicinissimo, audire: durius autem ei adhuc erat, cor impœnitens in jam nunc moriente homine cernere. Blasphemias Dominus in Cruce sua, scommata, dicteria, aliaque iis graviora patiebatur ab adstante & prætereunte vulgo, de quibus S. Matthæus: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua. Blasphemabant*, id est, maledicebant, convitiabantur, insultabant, dicentes: *Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud.* Vah, id est, pudeat te, JESU, crucifigi, quod jactaveris, te templum Dei destructurum, & mox denuò reædificaturum. Ostende nunc, te id facere posse, liberando te de cruce. Patiebatur Dominus blasphemias istas & maledictiones, etjam à Principibus Sacerdotum & Scribis in se jactas. *Similiter*, (pergit Matthæus) *& Principes Sacerdotum, illudentes cum Scribis & Senio-*

ribus dicebant. Virulentiores adhuc in Christum sunt Pontifices & Scribæ, quàm vulgus; nam subsannant hi ejus miracula, quibus alios salvos fecit. Q. D. Miracula ista non fuerunt facta ope Dei, sed magìs ope diaboli, alioquin nunc salvaret seipsum, descendens de cruce, quod non facit, nec facere potest. Summa in his pendenti JESU, & animam agenti, afflictio est. Sed necdum hoc satis, nisi & idipsum patiatur ab altero saltem latrone, supplicii sui socio. O quàm acerbum hoc ei! latro enim hic, animam agens, debuisset Domino compati, & de animæ suæ salute cogitare, eamque postulare, pœnitendo interea de peccatis suis: hoc negligit, & perit.

Jactatur homo variis non raró affectibus, quibus in excessum dejicitur, nunc spei, ut præsumat nimis; nunc metûs, ut animo cadat & tantùm non desperet. Animo cadis? desperare tibi videris? Latronem cogita, à dexteris collocatum; unico hoc suo, sed ex pœnitenti animo profecto: *Domine, memento mei*, Paradisum obtinuit. Præsumis? de salute tuâ, ut eâ excidas, nihil solicitus? alterum latronem cogita, collocatum à sinistris: excidit illâ, æquè licèt, ac alius, Christo in cruce vicinus: spem inter & metum te contine: atque hâc viâ mediâ in virtutis salutisque negotio securior incedes.



MEDI-

MEDITATIO LVI.

Vestes JESU dividuntur.

DOminus JESUS tribus vicibus, tempore Passionis suæ, vestibus suis exutus fuit. 1. Quando erat flagellandus. 2. Quando erat Coronandus. 3. Quando Cruci erat affigendus. Duabus prioribus vicibus vestes ei redditæ sunt, iisque denuò indutus est; tertiâ autem vice non sunt redditæ, quia nudus erat Dominus moriturus. At quid tunc de vestibus illis factum est? Milites eas inter se, missâ sorte, diviserunt; de quo velut conqueritur Dominus, dicens per Prophetam Ps. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

I. Consideratio.

SAncti Evangelistæ omnes de vestium Domini divisione ac partitione meminerunt: atque S. Joannes latiùs præ aliis. Ita ille Cap. 19. *Milites ergò, cùm crucifixissent IESUM, acceperunt vestimenta ejus (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergò ad invicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa.* Videntur milites illi fuisse numero quatuor, ùt hoc indicat: *Et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* Aderant plures milites; sed quatuor hi erant illi, qui præ aliis fungebantur officio lictorum; vel erant car-

nifices quatuor, qui nomine militum exprimuntur. Hi milites, sive tortores hi & carnifices, acceperunt vestimenta ejus. S. Cyrillus hìc: *Vestes damnatorum, quasi hæreditatis lege, ad se pertinentes, sibi vendicant*, quasi mercedem operæ suæ, in supplicio infligendo impensæ: *Et tunicam.* Hæc tunica, cujus Evangelista specialiter meminit, erat, ùt traditio habet, opus Matris Dei, quæ filio etiam tùm infantulo, eam, suis ipsa manibus, contexuerat, quæque & miraculo, crescente Domino, crescebat, & tam diuturno usu non terebatur; quod olim in deserto filiis Israël (Deut. 29) evenisse S. Scriptura commemorat. *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum*, id est, tunica à cervice ad talos continuâ serie pertexta, sine ulla sutura vel scissura, sive, à summo ad imum integra.

Dixerunt ergò ad invicem milites; *Non scindamus eam, sed sortiamur, cujus sit.* Vide militum consultationem, de vestium Domini divisione & sortitione. Bonum est consilium: *Non scindamus eam*; impium verò consilium: *Sortiamur de illa, cujus sit.* Disce, Deum consiliis etiam malorum adesse, ut malitiam cohibeat, ùt fecit 2. Reg. 15., cum consilio Architophel, quod infatuavit. Vestis inconsutilis, quæ Ecclesia Christi est, permanet integra. Designatur illo, nullâ unquam hominum malitiâ, dividendam Christi Ecclesiam, sed ea, usque ad sæculi finem, in unitate Fidei, sub uno visibili Capite, integra perseverabit: neque portæ inferi prævalebunt adversùs eam. Ut enim dividantur externa

Domi-

Domini vestimenta, hoc est, aliæ hominum societates, variis institutis, opinionibus & ritibus distinguantur, tunica tamen inconsutilis, carnem Domini proximè attingens, nempe Ecclesia Catholica, desuper contexta per totum, per universum orbem diffusa, & singulis membris, inter se pulchrè distinctis officiis, in communione Sanctorum cohærentibus, quasi diversis filis intertexta, integritatem suam non perdet. Decedent hinc inde aliqui ab eâ, sed veluti festucæ quædam leves, & sicut arida folia de arboribus: at illis purgabitur, non violabitur tunica Domini, Ecclesia.

Gratulare tibi fidelis Catholice, quod sis de Ecclesia illa, atque adeò velut de tunica Christi inconsutili communicas. Cave, ne de eâ unquam excidas, quidquid evenerit tibi: Leviores festucæ sunt, quæ facilè de veste, cui insunt, excutiuntur. Tu persta firmus, neque vel gravior te moveat persecutio. De virtutibus Christianis solicitus sis, eas tibi compara: decora illæ sunt illustriora, quibus Ecclesia, tunica JESU inconsutilis, exornatur.

II. Consideratio.

Milites illi quatuor, carnifices, seu crucifixores JESU, acceperunt vestimenta ejus, eaque, scissa jam, exceptâ inconsutili tunicâ, missâ sorte diviserunt inter se, cuique parte suâ cedente. Quæ ergò, & quot vestes fuerint JESU? Incertum id quidem est, verosimile tamen, tres ei fuisse, scilicet, primam, tunicam inconsutilem,

lem, quæ intima fuit instar indusii: secundam, tunicam illi injectam, similem illi Ecclesiasticorũ, quam Itali, aliique Sottanam vocant: tertiam, tunicam extimam, quæ exteriùs corpus tegebat, & ornabat, instar pallii. Hæ vestes JESU, à militibus acceptæ, atque inter illos divisæ: vestes necessariæ, non superfluæ.

Considera tu Superbe, & qui instar divitis Epulonis, purpurâ & bysso indutus ingrederis, parcitatem tui Domini, aut vel potiùs paupertatem. Non habebat ille vestes mutatorias & duplices, non purpureas aut byssinas, sed usitatas ac simplices, ad tegendam nuditatem, pellendumque frigus, ac quibus soli consulebat honestati; ut intelligas, luxum in vestitu omnem, ac superfluitatem, etiam in rebus aliis, deponendam & cavendam esse. O quàm multi Christiani hìc enormiter excedunt! Cooperti sunt (Abacuc 2.) auro & argento, & non tantùm cum divite Epulone induti purpurâ & bysso. Amant videri in publico; & æstimari, quod fore arbitrantur magis ex externis vestibus, quàm ex internis virtutibus. Neque desunt, qui, ut iis super alios emineant, totum quod habent, eoque ampliùs, impendunt. O vos vani homines, qui super alios eminere vultis, eumque in finem, vestium vel luxui vel ornatui, viscera penè impenditis! Statum vestrum si excedatis, confusionem potiùs quàm æstimationem incurritis. Dominus Joannem commendat à vestium asperitate. Ita de eo ait Matt. 11. *Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Et Apostolus dicit 1. Tim. 6. *Habentes ali-*

alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Non dicitur, quibus efferamur, aut quibus delectemur, sed quibus tegamur. Non aliter etiam locutus est Patriarcha Jacob, dum dicit Gen. 23. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum.* Ornamentum hominis Christiani exteriùs consistit in habitûs honestate, statui cujusque congruente, non in superfluitate.

Considera JESUM, dispertitis inter milites vestibus, in cruce nudum, ob amorem tui, & parce luxui, quo excedis, in tuis, quas gestas, vestibus. Parce & tempori, quod in te ornando poliendoque consumis. Quidquid agas, JESUM nudum ob oculos habe, & variis vanisque curis, quibus distraheris, te expedias.

III. Consideratio.

Milites, carnifices, inquam, JESU & crucifixores, non tantùm vestimenta JESU acceperunt, & inter se diviserunt, sed & sortem miserunt super ea, quæ cuique pars cederet. Tunicam, quod observavimus, interiorem inconsutilem non sciderunt; cætera verò, velut in quatuor partes scissa ac divisa sunt, & super eas sortem miserunt. S. Matth. Cap. 27. *Diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem.* S. Chrysostomus hìc: *Partiuntur ea vestimenta, per quæ miracula facta sunt; sed tunc nihil efficiebant, Christo ineffabilem earum virtutem cohibente.* Fuit hæc insignis Christo ignominia & afflictio, quòd suis videret oculis, vestes suas indignè ac insolenter à

militibus lacerari, aleâque jactâ, eas sorte dividi; sed voluit in extrema paupertate, nuditate & opprobrio mori; & corpus vitamque exuere, & non tantùm vestes, dareque illas, ut ignominiam nuditatis Adæ, & nostræ, tegeret vestiretque suâ ignominiâ, eâque nobis restitueret vestes immortalitatis. S. Athanasius dicit Serm. de Cruce: *Ut nos indueret vitam & immortalitatem.*

Dominus non solus spectabat hunc alearum lusum super vestes suas, sed & Mater ejus, & amici. Dicit Evangelista: *Milites hæc fecerunt.* Christo interea in tormento crucis orante, Matre ejus doloris gladium patiente, amicis eminùs flentibus. Orat Christus, dolet Mater, flent amici, aleis ludunt impii. Ita fit, Ecclesia persecutiones sustinet, pauperes fame intereunt, justus patitur; impii autem mundanique homines lætantur & gaudent, ducuntque in bonis dies suos. Amos Cap. 6. *Fratres nihil compatiebantur super contritione Joseph.* Et tu, quid facis, patiente Christo & Ecclesiâ? De Latronibus con-crucifixis non legitur, carnifices eorum quoque vestes rapuisse, easque inter se, iis inspectantibus, partitos fuisse. Parùm carnifices curant Latrones: satis illis, si affligant & crucient JESUM, insolentiam illam cum vestibus ejus, ipso inspectante, adhibentes.

Hos ego, vestium Domini detractores & partitores, dum conspicio, detractores mihi occurrunt famæ alienæ, quæ velut extima vestis est viri honesti. Famam detractores illi alienam ô quàm crebrò tollunt, ac velut inter se dividunt!

Est vir fors religiosior, dicit de illo unus: Hypocrita est, quidquid secùs appareat: sepulcrum est dealbatum, exteriùs speciosum, intùs plenum spurcitiis; exteriùs virtutibus, interiùs vitiis plenum. Alius dicit de alio, agnum refert in plateis, ita mansuetus videtur, sed in domo sua Leo est, nôrunt domestici. Tertius dicit de tertio, abstemius apparet, ac continens, sed mera apparentia est, in publico talis, in occulto potator, neque à Venere alienus. Alius; laudo virum istum, stipem liberaliter elargitur de suis: laudandus verè, si sibi caveret ab alienis. Alius: divitiæ huic multæ, utinam à parentibus acceptæ, & non iniquè partæ! &c. Detractores ejusmodi, si concurrunt, similes militibus & tortoribus sunt, qui vestes Domini, quique pro parte suâ, abstulerunt. Ne tu ex illis sis: & tibi si simile contingat in fama tua, solare te exemplo Domini, cui id in vestibus suis contigit.

MEDITATIO LVII.

JESUS moritur.

TAndem aliquando, post diuturnam per 40. sæcula cœli terræque exspectationem, adest dies ille exspectatissimus, atque hora, momentumque felicissimum, in quo omnium maximum, ac summum omnium mysteriorum, ab orbe condito, ad infinitam usque æternitatem, peractum & consummatum est. Dies jam adest quasi Criticus, & decretorius mundi jam animam agentis, ut in statũ florentissimũ restauretur. Dies

& hora

& hora placabilis Domini, quâ cogitationes pacis, & non afflictionis, mundum tacitis clamoribus invocantem, cum universitate omnium creaturarum exaudivit. Stabat ad dexteram crucis, Misericordia cum oliva, ad sinistram Justitia cum romphæa, ut tandem Christi morte, diremptâ lite, initâ pace invicem osculentur. Christus ergò, ùt vidit jam illud infiniti momenti adesse momentum, quod ab omni retrò æternitate, in arcano SS. Trinitatis concilio, fuerat decretum & præfixum, ut hominem perditum redimeret, momento illo optatissimo usus, in cruce moritur, orbe jam toto æterno Patri reconciliato, perditum damnatumque hominem, rupto perditionis ac damnationis chirographo, redemit. Gratulamur, & tibi, ô Jesu, quod absolvas, quod consummes cursum tuum, morte tuâ opus absolvens Redemptionis nostræ: gratulamur & nobis, quod perditi à primo Parente, à te denuò redempti simus. Apoc. 5. *Redemisti nos Deo in Sanguine tuo.*

I. Consideratio.

PRiùs præcedunt tenebræ, quàm spiritum emittat Dominus, & moriatur; quasi indignetur Sol ad facinus tam indignum, támque impium ac horrendum (quale est occisio Jesu, in infami cruce) nolens illud intueri. S. Matthæus dicit Cap. 27. *A sextâ autem horâ, tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* Tenebræ ergò hæ cœperunt in meridie, quando Crucifixus est JESUS, &

dura-

duraverunt per tres horas, id est, usque ad nonam horam, quæ est tertia pomeridiana, quâ exspiravit, quo tempore solet esse clarissima & summa diei lux. Ex quo manifestè apparebat, has tenebras esse insolitas, prodigiosas, & supernaturales. Nimirum Sol, cœlum, aliáque omnia astra, atrata lugebant tam indignam, ùt jam dixi, tamque impiam ac horrendam in Domino necem, necem, inquam, Dei, ac Creatoris sui; adeòque & lucem radiósque suos, à terris & terrigenis, Deum suum occidentibus, subtraxêre. S. Cyprianus hìc dicit: *Sol, ne Iudæorum facinus aspicere cogatur & radios & oculos suos subtrahit.* Et S. Chrysostomus: *Non poterat ferre creatura injuriam creatoris; unde Sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora.* Tu quoque, Christiane, indignare ad scelus hoc, illudque pio luge animo.

Quando Dominus JESUS in monte Thaboræo transfiguratus erat ante discipulos suos, vultu ejus Solis instar resplendente, & vestimentis ejus nivis instar candentibus, lux insolita clarissimaque facta est. Matth. 17. *Ecce nubes lucida obumbravit eos.* In monte Calvariæ, in quo JESUS nudus cruci affixus est, tenebræ factæ sunt, nempe, ut Sol obscuratus, ignominiam JESU denudati, suo, quo poterat, modo tegeret. Dum Cham (Gen. 9.) illudit Patris nuditati, Sem & Japhet, tegunt eam pallio. Ita dum impii ac inverecundi Judæi illudunt Christo Patri suo, in cruce denudato, Sol & Luna nuditatem ejus, velut pallio tenebrarum contegunt.

Sic natura eum tegit, quem detegit impietas. Unde hìc S. Hieronymus ait: *Videtur mihi Sol retraxisse radios suos, ne aut pendentem Dominum videret, aut impii blasphemantes suâ luce fruerentur.* Faciebat ergò Sol, aut impediebat, lucem non emittens, ne impii cum gaudio viderent Jesu nuditatem, eique insolentiùs insultarent.

Habent hìc matronæ puellæque mundanæ quod discant, tegere nempe se, ne nuditas in eis conspiciatur. Quid? denudant caput, brachia, neque ea tantùm, sed & colla & pectora nuda gerunt, nullo velo, nisi cùm solæ domi sunt, tecta. Quid ex hoc, nisi quod in sexu sic contrario libidines amoresque excitentur? Horret natura nuditatem. Tenebræ in nudo Christo, veli instar sunt, ne nuditas ejus, licèt concreto satis tegatur sanguine, appareat. Tegant se velo honestatis, ne confusio appareat nuditatis.

II. Consideratio.

QUid? non solùm tenebræ factæ sunt super universam terram, Jesu in cruce jam moriente, sed & multa alia signa, eaque grandia, atque insolita contigerunt. S. Matthæus ita refert Cap. 27. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Moriente Jesu Creatore, turbantur & concutiuntur creaturæ, in se licèt insensibiles. Ipsa *terra*, machina immanissima, *mota est.* Ut cœlum suprà, in factis tenebris, indignatur ad impium ac horrendum scelus, quo JESUS occiditur, ita & ad illud

indi-

indignatur terra, immota consistere nequiens. *Velum templi scissum est*; nempe, morte hâc Domini, veteris Testamenti mysteria, variè quidem eatenùs adumbrata, tecta tamen, tunc tandem velo sublato, in aperta luce refulserunt, patefacto sic aditu in Sancta Sanctorum, ac cœlestem Patriam. *Petræ scissæ sunt*, quæ ingentem stupendumque, toto ubique orbe, fragorem ac strepitum edunt; quasi creaturæ, quantumvìs, ùt saxa, duræ, Christo Spiritum emittente, ac moriente, morteque suâ super diabolum triumphante, Creatori suo, ob partam tam insignem ab hoste victoriam, congratulantes, gaudium suum atque lætitiam ubique manifestam velint, atque unà etiam pertinacibus velint animis impiorum Judæorum terrorem incutere, seseque isthoc modo paratas offerre ad impiorum ultionem. Creaturæ, inquam, insensibiles ac duriores, fragore suo gaudium suum, ob partam à Creatore suo victoriam, manifestum volunt, ad eum ferè modum, quo, tormentis bellicis explosis, publicam lætitiam indicamus.

Terra mota est, id est, contremuit, nimirum horrore tanti flagitii. *Terra mota est*, quia Princeps hujus mundi, qui terram seditionibus & malis concutere solebat, magno jam impetu, in gehennam præcipitatus est. *Terra mota est*, quia & immensæ majestatis Deus, intima terræ jam jam penetraturus erat: Deus, inquam, ad cujus adventum in monte Sion, mons ipse, quasi venerabundus, contremiscebat, atque fumabat. *Terra mota est*, quia & per mortem hanc commo-

venda

venda erant terrena hominum corda, atque ad Christum, ex suis locis transferenda. *Terra mota est*, quia & nova lex in terram erat inducenda. *Petræ scissæ sunt*, quia Christus *lapis angularis*, & qui in veteri petrâ significabatur, jam scissus erat, animâ à corpore dimissâ, & corpore ipso variis vulneribus conciso. *Petræ scissæ sunt*, quia & hominum corda, saxis ipsis duriora, sanguine JESU emollienda erant, sicut hirci sanguine (quod fertur) adamantis durities emollitur, ac subigitur.

Tu, ô Homo prædure, si motâ terrâ morte JESU, nihil movearis, terram ipsam ariditate & frigore superâsti. Roga Dominum, ut cor tuum aperiat, ac emolliat, fontes lacrymarum ex eo educat, illudque conterat, quò & ad omnem Dei voluntatem formetur, gratiæque divinæ imbibat amorem.

III. Consideratio.

Tandem moritur Dominus. S. Matthæus dicit Cap. 27. *IESUS autem iterum clamans voce magnâ, emisit spiritum.* S. Joannes Cap. 19. *Et hæc dicens, inclinato capite tradidit spiritum.* Vide, Christiane, vide, quo fine Christus vitam suam concludat. Solent morientium vultus, gestus, verba, ab adstantibus observari, & quales conspexerint discedentes, frequenter ab iis mente versari solet. Tu, in cujus quoque gratiam Dominus mortem suscepit, ad Crucem, in qua moritur, accede, omnia oculis mentis tuæ diligentiùs intuere, sermonemque de iis fre-

quenter

quenter misce. Clamat voce magnâ, & inclinat caput, 1. Quia voce & nutu capitis te vocat, ut crucis discas utilitatem: eam non refugias, ejus merita & commoda recipias. 2. Ut tibi in aurem loquatur, secreta sua tibi commendet, doceatque te præcepta & consilia sua. 3. Ut petitionibus tuis omnibus, orationibusque, quæ sacræ hujus mortis meritis innituntur, capite & assensu annuat. 4. Ut tibi commodiùs hoc caput inspicere, singulaque accuratè contemplari liceat, spinas, sputa, cruorem, oculos ad peccata tua jam clausos, os ad damnationem & vindictam silens. SS. Evangelistæ diversis mortem hanc verbis describunt. S. Joannes: *Tradidit spiritum.* S. Matthæus: *Emisit spiritum.* SS. Marcus & Lucas: *Exspiravit*, ut tu, non communi aliorum hominum more, sed modo singulari, JESUM migrasse scias: neque enim invitus, aut alio compellente, sed voluntate suâ reddidit spiritum. Dederat vestes, dederat nominis æstimationem, dederat corpus, dederat sanguinem, solus restabat spiritus; eum ergò & nunc voluntate suâ dare voluit, & dedit. Eatenùs dederat aliquid, & quasi per partes solverat pro redemptione nostra; hìc jam totum, integram, inquam, solutionem perfecit. Tu, Domino tuo gratias age, & te totum, tuaque omnia, ei, ùt par est, consecra.

Resumo: *Emisit spiritum*, quo hìc iterum in JESU libertas moriendi significatur. Sicut enim olim Noë Gen. 8. ex arca columbam emisit, quæ post horas aliquot reversa est, ore gestans ramum virentibus foliis, ita & JESUS spiritum suum

venda erant terrena hominum corda, atque ad Christum, ex suis locis transferenda. *Terra mota est*, quia & nova lex in terram erat inducenda. *Petræ scissæ sunt*, quia Christus *lapis angularis*, & qui in veteri petrâ significabatur, jam scissus erat, animâ à corpore dimissâ, & corpore ipso variis vulneribus conciso. *Petræ scissæ sunt*, quia & hominum corda, saxis ipsis duriora, sanguine JESU emollienda erant, sicut hirci sanguine (quod fertur) adamantis durities emollitur, ac subigitur.

Tu, ô Homo prædure, si motâ terrâ morte JESU, nihil movearis, terram ipsam ariditate & frigore superâsti. Roga Dominum, ut cor tuum aperiat, ac emolliat, fontes lacrymarum ex eo educat, illudque conterat, quò & ad omnem Dei voluntatem formetur, gratiæque divinæ imbibat amorem.

III. Consideratio.

TAndem moritur Dominus. S. Matthæus dicit Cap. 27. *IESUS autem iterum clamans voce magnâ, emisit spiritum.* S. Joannes Cap. 19. *Et hac dicens, inclinato capite tradidit spiritum.* Vide, Christiane, vide, quo fine Christus vitam suam concludat. Solent morientium vultus, gestus, verba, ab adstantibus observari, & quales conspexerint discedentes, frequenter ab iis mente versari solet. Tu, in cujus quoque gratiam Dominus mortem suscepit, ad Crucem, in qua moritur, accede, omnia oculis mentis tuæ diligentiùs intuere, sermonemque de iis frequenter

quenter

quentet misce. Clamat voce magnâ, & inclinat caput, 1. Quia voce & nutu capitis te vocat, ut crucis discas utilitatem: eam non refugias, ejus merita & commoda recipias. 2. Ut tibi in aurem loquatur, secreta sua tibi commendet, doceatque te præcepta & consilia sua. 3. Ut petitionibus tuis omnibus, orationibusque, quæ sacræ hujus mortis meritis innituntur, capite & assensu annuat. 4. Ut tibi commodiùs hoc caput inspicere, singulaque accuratè contemplari liceat, spinas, sputa, cruorem, oculos ad peccata tua jam clausos, os ad damnationem & vindictam silens. SS. Evangelistæ diversis mortem hanc verbis describunt. S. Joannes: *Tradidit spiritum.* S. Matthæus: *Emisit spiritum.* SS. Marcus & Lucas: *Exspiravit*, ut tu, non communi aliorum hominum more, sed modo singulari, JESUM migrasse scias: neque enim invitus, aut alio compellente, sed voluntate suâ reddidit spiritum. Dederat vestes, dederat nominis æstimationem, dederat corpus, dederat sanguinem, solus restabat spiritus; eum ergò & nunc voluntate suâ dare voluit, & dedit. Eatenùs dederat aliquid, & quasi per partes solverat pro redemptione nostra; hìc jam totum, integram, inquam, solutionem perfecit. Tu, Domino tuo gratias age, & te totum, tuaque omnia, ei, ùt par est, consecra.

Resumo: *Emisit spiritum*, quo hìc iterum in JESU libertas moriendi significatur. Sicut enim olim Noë Gen. 8. ex arca columbam emisit, quæ post horas aliquot reversa est, ore gestans ramum virentibus foliis, ita & JESUS spiritum suum

emisit, post triduum rediturum cum exercitu viventium Sanctorum. *Emisit*, non amisit, quia rediit. Considera cum glorioso agmine Angelorum, JESU animam, ad sanctos illos, ut eos ab inferis educat, descendentem. Considera, JESUM adventu suo loca illa infera, sed tenebris horrida, novâ luce illustrasse: sanctos Patres obviàm advolasse: pro redemptionis beneficio, pro se, ingratisque filiis suis, gratias egisse: novâ deinde omnes stolâ indutos, atque ad divinæ naturæ contemplationem admissos, & priùs quidem infernum, quàm cœlum, beatorum Sedem, beatis animabus repletum. Considera, quid hìc isto triduo Dominus tuus peregerit: acceptam à Patre potestatem, in cœlo & in terra, ab infimo orbis loco exorsus est. Itaque 1. dæmonem, magnâ sapientiâ & virtute devictum, dignis suppliciis, cum cæteris hostibus suis, affecit. 2. Leges novas inferno statuit, ne quis Sanctorum eò deferretur imposterùm, cavit, loci patentis os obstruxit, & ne quid ad mortales inde mortalis fœtoris exhalaret, conclusit. 3. Sanctis Patribus, tot jam ante sæculis promissam attulit salutem, & his, qui in carne erant, spiritibus prædicavit, 1. Petr. 3. hoc est, pacem annuntiavit, etiam illis, qui propter incredulitatem, cæteraque peccata, diluvio ac aliis malis castigati, ante mortem seriò conversi fuerunt.

Tu roga Dominum, ut in morte tua dæmonis vires cohibeat, tibi veram consolationem ac pacem ferat, pacem stabilem in vitam æternam.

MEDI-

MEDITATIONES PRÆDICABILES DE

Septem verbis à Christo in Cruce dictis.

MEDITATIO I. DE

Primo Christi in cruce verbo:

Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. 23.

DOminus JESUS, qui unus est Magister omnium, vix ascenderat funest. m crucis cathedram, & illicò aperiens os suum, cœpit loqui, & docere. Loquitur porrò & docet in causa eorum, qui Crucifigunt eum, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* S. Lucas ait Cap. 23. *JESUS autem dicebat.* Qui hactenùs, cum omnium quidem admiratione, tacuit in causâ propriâ: & adjuratus, vix adduci potuit, ut loqueretur, abstinuitque à defensione sui, nunc, in maximo constitutus crucis tormento, non tacet in causa alienâ. *JESUS autem dicebat.* Expendamus singula. Quis loquitur? JESUS, filius Dei. Cui loquitur? Deo, Patri suo. Ubi lo-

quitur? in arbore crucis. Quando loquitur? vicinus jam morti. Quomodò loquitur? expanſis manibus. Pro quibus loquitur? Pro inimicis & crucifixoribus ſuis. Et non tam loquitur pro illis, quàm roget, & ſupplicet. Ecquid? *Pater, ignoſce illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* O vos felices JESU crucifixores & occiſores, qui talem nunc, ac tantum nacti eſtis rogatorem & ſupplicatorem!

I. Conſideratio.

DOminus rogat in cruce ſua & ſupplicat pro inimicis & crucifixoribus ſuis. O ſupplicationem excellentem, charitatis, miſericordiæ, ac pietatis plenam! *Pater*, inquit, *dimitte illis.* Patri ſupplicat filius pro inimicis ſuis; nempè, ne ab illis graviſſimi ſanè horrendique ſceleris, ne iniquiſſimæ, inquam, crucifixionis juſtiſſimam vindictam ſumat. O ſupplicationem, ùt ſummi meriti, ita & optimi exempli! Patrem compellat filius. Quid? ſanguinolentos ac moribundos ad patrem convertens oculos, velut tacito cordis clamore, Patrem alloquitur. Pater, opus, quod dediſti mihi, ut facerem, jam jam conſummavero. Tua fuit voluntas, ut de cœlo deſcenderem, hominem aſſumerem, novem menſibus, in utero matris abditus, laterem, naſcerer in ſtabulo, recumberem in præſepio, fugerem in Ægyptum, ſubditus eſſem parentibus; conſummavi. Juſſiſti, ut triginta tribus annis in mundo, pro ſalute mundi laborarem, per avia & devia ovem perditam quærerem, in humilita-

te

te utique & paupertate, in fame, siti, frigore, ac nuditate; consummavi: Calicem, quem dedisti mihi, Pater, jam exhausi: vix temporis superest momentum, quo victurus sum: rogo itaque te, ac per crucem & passionem meam rogo: rogo te, per vitam, quam in Passione mea do, & per sanguinem, quem effundo. Rogo, Pater, unum hoc, per omnia illa, eritque, quod rogem, postremum.

At quid illud, mi JESU, est, quod roges & ita roges? ita & impetrare ardes? Rogas, & pro inimicis & occisoribus tuis, & pro cæteris peccatoribus, etiam gravissimis, rogas, pro omnibus, quotquot sunt, hominibus, ne Pater tuus vindictam ab eis sumat, sed magis misericordiam illis præstet. O quàm cordi, JESU in cruce sua est cura de inimicis & occisoribus suis! primam in cruce vocem de iis emittit. Prius quàm Paradisum promittit pœnitenti latroni: prius quàm Matri suæ Joannem assignet in filium, eique matrem suam assignet quoque in matrem: prius quàm ardentem in cruce declaret sitim, quin & priùs quàm patri suo proprium commendet spiritum, curam gerit, proditque de inimicis suis, ne quid mali contingat illis, quin &, ut hoc malum avertat ab eis, quod, hoc ipso temporis articulo, eum occidendo, commerebantur. O quàm elucescit in hoc charitas ejus, misericordia, & pietas! Parùm abest, Domine, quin oggeram tibi, de tuis adeò crucifixoribus & occisoribus solicito, quod Davidi regi, plangenti mortem rebellis filii sui Absolonis velut expro-

brat dux Joab, 2. Reg. 19. *Diligis odientes te*, *& odio habes diligentes te.* David pater, in periculoso illo prælio, quod gerebat cum Absolone rebelli filio suo, solicitus vel maximè erat de vita & salute ejus, cùm tamen, victoria si stetisset à parte filii, sibi parenti exitium attulisset. Ita & tu, Domine, primùm de vita saluteque inimicorum tuorum, eo ipso quidem, quo te occidunt, tempore solicitus es: primam, quam in cruce edis emitisque, vocem, ea pro eis est. Nil miror, Domine, adeò te, ac primùm pro inimicis tuis solicitum esse: pro inimicis tuis in mundum venisti, pro inimicis tuis crucem ascendisti, in eâ pro illis moriturus.

O quàm longè absunt multi Christiani ab exemplo Christi, ducis sui! Ipse de inimicis primùm curat: ipsorum priùs quàm sui, solicitus est; ipsorum, inquam, actu jam se occidentium, atque adeò in flagranti eorum flagitio: vitam ei auferunt pretiosissimam, & non tantùm famam, atque eò magis solicitus est, pœnam ne referant tanti sceleris sui. Tu, si vel leve quid in te committatur, si vel verbulum feratur de te minùs honorificum aut vel minùs gratum: ac præcipuè si putes tantulùm tibi eo famæ tolli, excandescis, vindictamque cogitas, quam &, post longa sæpe tempora, sumis; respice in Dominum ac ducem tuum, inimicorum suorum priùs, quàm sui ipsius, solicitum, & quidquid injuriæ contingat tibi, exemplo illius, obliviscere, ac in bono vince.

II.

II. Consideratio.

SUpplicationem, quam hìc nunc Dominus Jesus in cruce pro inimicis & crucifixoribus ad Patrem dirigit, excellentem dixi, charitatisque, misericordiæ ac pietatis plenam. Et sanè excellens ea est, dignaque expendi in singulis. Dicit, *Pater*, quod nomen est benignitatis & misericordiæ: non dicit, *Domine*, quod est severitatis & justitiæ. Zacharias Propheta, 2. Paralip. 24. cùm interficeretur, quia populum increpaverat, dicebat: *Videat Dominus, & requirat.* Non ita Dominus noster JESUS. *Pater* dicit, ut sic eum benignitatis ac misericordiæ, vel ipsâ compellatione memorem reddat. *Pater*, agnosce me filium tuum, ut mihi filio nil recuses. Ego ideò in mundum veni, ut tu hos inimicos pro filiis habeas. Tu igitur audi me, pro illis rogantem & deprecantem. Nam sicut imposterùm fusa à Sacerdotibus in Ecclesia oratio efficax futura est, quæ ita concluditur: *per Christum Dominum nostrum*, ita ego te compellans Patrem, nunc rogo per me, filium tuum. Itaque quàm carum me habes filium, ita me nunc orantem suscipe. Quia & hanc crucem ascendi, & has plagas suscepi, ut illis à te veniam impetrarem. Si me filium non exaudias, preces si rejicias, gravius mihi supplicium inferes, quàm sit crux ipsa: quam & ideo sustineo, ut gravius malum tollam, hoc est, ut iram tuam ab eis avertam. Parce igitur doloribus tui filii, ne frustra suscepti videantur. Tu, Pater, mercedem reddis laboribus aliorum; hanc

ergò & mercedem meorum laborum peto ſolam, ut iſtis veniam concedas. Fungitur hìc JESUS, velut Sacerdotis officio, orat pro peccatis populi. Impletum hìc illud Iſ. 53. *Et pro transgreſſoribus rogavit.*

Pater, dimitte. Dimitte, totum nempe, quantum quantum in me commiſerunt ſceleris. Suſcipe non tantùm flagella mea, ſpinas, ſputa, vibices ac vulnera, ſed & hanc mortem meam pro peccatis eorum. Reddo ego, quidquid illi debent. Sanguinem meum do in pretium, dolores in lytrum, corpus & animam in Sacrificium, vitam in ſatisfactionem. Sit itaque, Pater, apud te miſericordia, quia hæc eſt redemptio copioſa. Res quidem magna petitur, amneſtia nempe mortis illatæ unigenito filio Dei; ſed ipſe peto, qui filius ſum, non additâ conditione, ùt priùs pro me petebam: *Pater, ſi fieri poteſt*; ſed abſolutè, *Pater, dimitte.* Diſcamus ex hoc, & peccatorum remiſſionem abſolutè petendam eſſe, quia ea ſemper eſt ad ſalutem hominis, atque adeò ad gloriam Dei: & nos proximis, delicta in nos commiſſa abſolutè, & abſque conditione remittere debere. Petit Dominus illis ſtatim dimitti, non differri vult remiſſionem ad mortem, licèt vicinam. Nolit migrare ex hac vita, niſi pace jam cum Deo compoſitâ. Et quidem parentes morituri, non rarò filiis exignas opes relinquunt, eaſque multis difficultatibus, oneribus, debitis, & litibus implicatas; Dominus verò ante mortem, ſanguine ſuo, debita noſtra ſolvit, difficultates & onera tollit, pacemque cum Patre pro pecca-

peccatoribus conciliat. Ait itaque, *dimitte*, Pater:& quidem nunc, quia venit tempus miserendi ejus, nimirum hora Sacrificii, dies satisfactionis, tempus remissionis, tempus extremum vitæ meæ, quo jam exspiraturus, extremam petitionem propono, quæ est, *Pater*, *dimitte*.

Sed quibus? *illis. Pater*, *dimitte illis*: non addit, damnatoribus, & crucifixoribus meis; dicit simpliciter, *illis*. Tum ut tu, Christiane, ab omni convitio abstineas; tùm quia Dominus tuus neminem reputat inimicum, qui omnibus pretium mortis suæ, & salutem offert, & ipsos Judæos, damnatores & crucifixores suos, tametsi non propter opera eorum mala, attamen propter patres eorum, viros justos, ac sanctos parentes, filios charos habet, eisque benefacit. *Illis*, ait, in numero plurali, id est, non his modò, qui nunc in mortem meam conspirârunt, sed & iis prætereà omnibus, qui peccatis suis, ullo unquam tempore, huic passioni meæ causam dederunt. Non excluduntur ab hac rogatione vel ii ipsi, qui Domino hanc nunc mortem inferunt; unde spes remissionis eò major datur cuique alteri, præsertim si preces suas, cum hâc Christi prece conjungat. Si enim illis non petentibus oratio Christi prosit, proderit utique petentibus, precesque suas cum Christi prece conjungentibus.

III. Consideratio.

MIremur ampliùs charitatem, misericordiam ac pietatem JESU, dicentis, rogantisque è cruce sua: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt*

quid faciunt. En, ipse, cui omne judicium (Joan. 5.) à Patre datum est, ac qui ipse gravissimè læsus, non judicis tamen vel accusatoris, sed defensoris ac Patroni partes suscipit. Judæi quærebant contra JESUM, de quo eum accusarent, sed nihil invenerunt accusatione dignum. JESUS econtra quærit pro eis, quo excuset illos. Sed peccati eorum tanta fuit, tamque aperta malitia, ut nihil, præter ignorantiam, adferri potuerit. Affert ergò illam JESUS in in eorum excusationem, inquiens: *Non enim sciunt, quid faciunt.* Attamen ignorantia illa, ceu quæ voluntaria, non magis eos excusare debuit, quàm excusaret quem, qui sciens prudens oculos claudit, ne alium, quem lædit, aut occidit, quisnam sit, videat. Si verò Dominus, in ipsis jam tormentis, tortorum elevet peccata, nonne & in cœlis modò, apud Patrem, eos excusabit, qui fide & devotione, dolentesque de peccatis, invocant nomen ejus? imò verò: & peccata eorum excusat, & veniam pro eis & postulat & impetrat.

Verum est: non legimus Patrem filio suo ita postulanti, respondisse voce; *exauditus* tamen ille *est* (Hebr. 5.) *pro sua reverentiâ.* Pater filio suo, oranti in horto, negaturus, quod postulabat, aut vel proponebat, respondet per Angelum; concessurus nunc respondet per seipsum, non voce, sed facto. Nam 1. prohibet creaturas omnes, ne in ultionem mortis Creatoris sui, in Auctores illius insurgant, quæ sanè hoc fecissent, & velut pro Creatore suo pugnâssent, nisi

nisi hæc Domini oratio eis obstitisset. 2. Latroně alterum ad pœnitentiam adducit, gratiâ eum perfundens, cui assentiens conversus est. 3. Centurionis nominatim, & aliorum plurium, qui non nominantur, animos quoque immutat, ut dicant jam (Matth. 27.) *Verè filius Dei erat iste.* 4. In solemnitate Pentecostes, nunc tria, nunc quinque hominum millia, ex his ipsis convertit. Igitur Deus Pater, non externâ voce, sed interno assensu, in hunc modum roganti filio: *Pater, dimitte illis*, respondit: Concedo, quod petis, fili; depositâ justissimâ irâ, fontes aperio misericordiæ, offeroque gratiam, & peccatorum condonationem, & filiorum adoptionem, tam his, qui in te sævierunt, quàm aliis omnibus, ubique terrarum, & omnium sæculorum peccatoribus, dummodò misericordiam admittant oblatam; siquidem invitum adigere nolo, sed potestatem facio omnibus, ut & mecum in gratiam, si velint, redeant, & filii mei fiant, meamque in cœlis hæreditatem & Regnum adeant, modò fide & Sacramentis, Passionis hujus merita ferant.

Hìc tu, Christiane, magno affectu inclama Deo: magnæ, Domine, sunt misericordiæ tuæ, magna liberalitas tua, oro te, ut donum mihi largiaris sapientiæ, quâ magis magisque noscam te, & bonitatem tuam: & depulsâ ex me invidiâ, da mihi virtutem charitatis, quâ magno, sicut tu in nos, in proximos amore ferar.

ME-

MEDITATIO II.

DE
Secundo Christi in cruce verbo,

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.
Luc. 23.

DOminus noster, pendens in cruce, in medio duorum pendebat latronum. Unus autem ex illis Latronibus, in quorum medio pendebat, correptus pœnitentiâ vitæ anterioris, pessimè actæ, dicebat ad JESUM: *Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum*, Regnum cœleste atque divinum, ad quod tendis per hanc mortem tuam; ac quod mox aditurus es; in quod & mox tuos tecum introducturus. Quarè te obsecro ego, ut & me comitem habeas in hoc itinere tuo. Grata quidem Domino hæc postulatio, licèt magna. O felicem oratorem, qui tam facilè exaudiris! Enimverò respondet ei Dominus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Est hoc alterum Christi in cruce verbum: verbum dulce & gaudiosum, quod & sub hoc sueto sibi jurejurando: *Amen dico tibi*, confirmare & roborare dignatur, ne quid incertitudinis aut dubii, de rei hujus maximæ veritate, cuipiam supersit.

I. Consideratio.

VIdemus Gen. 40. captivum Joseph, velut in medio duorum con-captivorum, quorum

rum alter pincerna erat Regis, piſtor alter. Illum videmus in Regis gratiam reſtitutum, prioríque ſuo admotum officio; hunc verò ſuſpenſum videmus in patibulo. Te, Domine, pendentem videmus in medio duorum latronum, quorum alter pœnitens tecum in Paradiſum feliciter aſſumitur; altero verò impœnitente infeliciter pereunte. Pœnitentem expendamus latronem. Dicit: *Domine memento mei*, &c. q.d. Domine, omnium ſcelerum meorum, & horum nunc nominatim, ob quæ infamis hujus furcæ plector ſupplicio, me ſummè pœnitet, eorum à te ſupplex veniam poſtulo, ac pro qualicunque ſatisfactione, ſupplicium hoc ac tormentum, quo enecor, tibi offero, meque totum tibi reſigno, dedico, conſecro. Utinam mihi pro te, Fideque tuâ, tuique amore & hæc, & plura, iiſque majora pati concedatur. Prodit ſic ille vivam ardentemque fidem ſuam, ſpem quoque ac charitatem, devotionem, humilitatem, contritionem, patientiam, cæteraſque præclariores virtutes. O miram, felicemque converſionem, quæ ex infami latrone illuſtrem confeſſorem, virumque Sanctum reddit! Mira fuit converſio Magdalenæ, mira Sauli in Paulum commutatio; ſed magìs mira hujus converſio & commutatio Latronis. Magdalena viderat JESUM, ex factis ſuis ac miraculis, ùt virum Sanctiſſimum, ac Prophetam ab omnibus paſſim habitum; Saulus eum ſe è cœlis verberantem ſenſerat: Latro verò in ipſa cruce, ad Chriſtum, qui velut ſibi in ſcelere & ſupplicio ſimilis videbatur, converſus eſt, ſed & converſus per actus he-

roicos, fidei, ſpei & Charitatis, virtutumque cæterarum. Et ſi verum (ùt quorundam opinio eſt) quod priùs cum ſocio, blaſphemias in Dominum conjecerit, tantò magìs mira ejus converſio evadit. S. Leo ita perorat Serm. 2. De Paſſione: *Quæ iſtam fidem in latrone exhortatio perſuaſit, quæ doctrina imbuit, quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miraculoſa, ceſſaverat tum languentium curatio, cæcorum illuminatio, reſuſcitatio mortuorum: ea ipſa, quæ mox erant gerenda, non aderant; & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt ſupplicii ſui eſſe conſortem. Inde ergò oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipſa reſponſum.* Latro unus (quod jam dixi) convertitur, & ſalvatur, altero impœnitente & pereunte. Habuit & hic non una gratiæ & exterioris & interioris auxilia, ad converſionem & excitantia & adjuvantia. Vidit, perinde ac alter, ſtupendam Chriſti, in ſummis & injuriis & tormentis patientiam, charitatem quoque ejus eximiam, erga ſuos etiam inimicos, ac præterea ſodalis ſui co-latronis compunctionem & converſionem, dicentemque ei audiverat Dominum, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Fruſtra omnia, nulla ei de pœnitentia cogitatio: auxilia gratiæ, exteriora interiora, ac quantumvìs fortia ac præſentia, vel contemnit, vel negligit; atque ſic ille, (quid ni?) perit.

Videmus in Latrone converſo, inque confeſſorem ex latrone mutato, vim atque efficaciam gratiæ Dei. S. Auguſtinus exclamat ſuper hunc latronem: *Hæc mutatio dexteræ Excelſi eſt.* Sed non

non ita, Augustine, dexteræ Excelsi est, quin & Latronis ipsius quoque sit. Dexteræ Excelsi, gratiam elargientis; latronis verò, gratiæ consentientis. In latrone autem non converso videmus, gratiam Dei non esse talem, ut semper effectum habeat. Gratia Dei, ea nempe, quam Deus homini dat ad operandum & merendum, effectum habet, & non habet, dependenter à consensu, & non-consensu hominis. Gratiæ Dei effectum habet in uno latrone, quia ille gratiæ, cui potuit non consentire, consensit; & conversus ille est. In altero latrone effectum non habet, quia ille gratiæ, cui consentire potuit, non consensit: & conversus ille non est. Iste salvatus est, hic periit: causâ salvationis in illo, à Deo gratiam misericorditer dante, proficiscente; in hoc verò causâ perditionis in ipsum, gratiam negligentem, redundante.

O Te felicem, si conversum imitatus latronem, gratiæ assentiaris, quâ à Deo ad conversionem præveniris! ô infelicem te, si cum latrone non converso, gratiæ, quâ præveniris à Deo ad conversionem, non assentiaris! Offert benignus Deus gratiam suam omnibus, eamque & pro loco & tempore elargitur. At quoties ingratus, ignavúsque homo eam respuit! Gratiam non respuisse, alteri latroni causa fuit conversionis & salutis; respuisse verò illam, alteri causa fuit impœnitentiæ & damnationis. Roga Deum, eam tibi, ex sua benignitate, gratiam tribuat, quam effectum in te habituram, id est, quâ te conversum iri, videt.

II.

II. Consideratio.

DIcit latro, qui deinde conversus est, *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Audit à Domino, *hodie mecum eris in paradiso.* Mirare tu & obstupesce, non dico bonitatem Domini, supplicum preces & vota excedentis, sed liberalitatem ejus in bonitate sua. Petit Latro, ut Dominus, dum exstiterit in regno suo, sui aliquando recordaretur; & Dominus paradisum ei adfore, eodem quidem die illo, asserit, ut sibi adsit in eo, iisdemque in illo secum pascatur deliciis. Memoriam dumtaxat petit, & res ipsa datur. Eusebius Emissenus Hom. de bono latrone Christum ita loquentem inducit: *Quid me, ô fidelis comes, & unicus tanti testis triumphi, tantoperè exorandum putes, ut in die judicii mei meminerim tui? Hodie mecum eris in paradiso.* Næ, gratissima Domini ad latronem responsio, vox dulcis, *hodie.* Dicit Dominus, non *cras*, sed *hodie* dicit, *mecum eris.* Gratulamur meritò nobis, quod Deum habeamus adeò in nos liberalem, non procrastinantem sua beneficia, sed accelerantem. Deus noster fons est uberrimus, qui suas sibi non reservat aquas, sed aliis eas profluere & prodesse facit. Sol est, circuiens orbem, qui lucem diffundit ubique, & omnia lætificat. Supra quàm quis postulare auderet, benefacit, & citò postulata concedit. Dictum S. Ambrosii est: *Nescit tarda molimina Spiritûs sancti gratia.*

Dicit Dominus latroni: *Mecum eris.* Summum

mum

mum bonum est, esse cum Domino. *Cupio*, exclamat Paulus Philip. 1. *Dissolvi*, *& esse cum Christo*. Addit Dominus, quò ad bonum illud, *in paradiso*, id est, in loco deliciarum voluptatumque, ubi mecum, in beatitudine & in visione Dei beatificâ, futurus es. *Hodie*, q. d. jam nunc hâc ipsâ die, te in perpetuum felicem efficiam. Hodie te regem, in regno gloriæ divinæ mecum con-regnantem constituam. Ita ex SS. Patribus plures. S. Augustinus Tract. III. in Joan. Tò, *in paradiso*, explicat, *in cælo*, id est, in cælesti beatitudine. Dominus quidem cum latrone, die illo, quo obiit, non ascendit in cælum, sed descendit in limbum Patrum, ibique eis visionem divinitatis suæ impertivit, itaque eos & beavit; quarè tum rerum sortes mutavit: fecit enim, ut limbus esset paradisus, ut inferi essent superi, & infernus esset cælum; ubi enim Christus est, ibi paradisus est: ubi visio Dei & beatitudo est, ibi cælum est. Ad cur Dominus latroni, qui regni meminerat, dicens, *Dum veneris in Regnum tuum*, non dicit, *hodie mecum eris in Regno meo*, sed *in paradiso*? Dominus Regnum suum, cælum, inquam, aditurus non erat, nisi post quadraginta demùm dies; non ergò conveniebat dicere: *Hodie mecum eris in Regno meo*. Dicit itaque, *in paradiso*. Et quidem per hanc clavem, per crucem, inquam, dominicam reserata est nobis paradisi porta, quam lignum scientiæ boni & mali, peccato violatum, clauserat. Dicit, *in paradiso*. O quantum hoc est pretium! longè sanè maximum, quamvis nihil aliud promitteretur, quàm ut

cum Domino esset. S. Augustinus: *Ubi malè poterat esse cum Domino? Et ubi benè poterat esse sine illo?* sed promittitur illi, & ut cum Domino sit, & ut cum illo in paradiso sit, non terrestri, sed cælesti, longè præstantiore, nempe in beatitudine animæ, quæ in visione Dei posita, atque adeò ipsa essentialis beatitudo est, summumque bonum, quod omninò hominis sistit & satiat appetitum, ac bonorum omnium aggregatio est.

Perpende, pia anima, benignum Dei tui in te affectum, bonoque esto animo. Nam qui latroni de cruce, in ipsaque mortis viciniâ pœnitenti, paradisum promisit, tibi, qui totam vitam, omnemque ætatem tuam ejus impendisti obsequio, non minorem laboris ac servitii mercedem redditurus est. Cæterum quia paradisus hìc non addicitur latroni, nisi jam crucifixo, si tu consors vis esse paradisi, crucifige carnem tuam cum vitiis & concupiscentiis suis. Fac hoc, & tibi quoque dici poterit, sub finem vitæ tuæ: *Hodie mecum eris in paradiso.*

III. Consideratio.

PRofectò, verbum hoc, dulce ac gaudiosum, à Christo latroni dictum, sub utriusque ultimum vitæ articulum: *Hodie mecum eris in paradiso*, omnes ad thronum Divinitatis, citiùs aut seriùs accedentes, & excitat & animat. Per verbum illud manifestum redditur omnibus, nullius peccatoris seram seu vanam esse pœnitentiam, si modò vera sit. Præclarè Abbas Arnaldus Lib. 6. Bibl. SS. PP, *Non arctatur*, inquit, *numero, non clan-*

clauditur fine, nullas habet metas divina clementia. Sit, qui pœniteat, non deerit, qui indulgeat. Non huic pœnitenti multorum annorum jejunia imponuntur, non sacco indui jubetur, aut cilicio, simul & confitetur, & justificatur, & glorificatur. Multa antiqua peccata abolet gratia, nec processu moræ, quæ temporis indulgentià limat, colliditque culpæ rubiginem, sed statim, Spiritu Sancto illabente, siccatur fœda labes, nec ullum superest fœditatis vestigium Vulneri, quod misericordiæ abluit lavacrum. Pœnitentia differenda non est, quæ sanè sine ingenti periculo non differtur. Sacrum monitum est: Eccles. 5. *Ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius.* Si tamen dilata sit, & dilata ad finem vitæ, vera autem, sera non erit, nec vana; & si vel ultimus spiritus, halitus ultimus, mali etiam latronis, fuisset dolor & gemitus, è corde profectus contrito, si actus, inquam, veræ pœnitentiæ, totum, quod peccati, in eo abolevisset: quæcunque, cita aut sera, vera pœnitentia, quidquid superest peccati, abolet.

Latro in cruce confessus est peccata sua, quæ confessio continetur in hoc: *Nos digna factis recipimus.* Non negavit peccata sua, non excusavit, non extenuavit, sicut multi faciunt; atque ideò mox absolutionem ab eis accepit, contentam in illo; *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sed objicis: Latronem non talem fecisse confessionem, qualem nos requirimus, particularem. Ita est. Sed ea tunc necdum erat aut instituta: aut præcepta à Christo: instituta & præcepta est post

Domini Resurrectionem. Dein & latro plùs tùm fecit, quàm facere tenebatur; sufficiebat nempe tùm, Deo in corde confiteri: & ipse insuper ore confessus est, pluribus quidem id audientibus. Rursus, jam ante confessus erat judicibus crimina sua; sed quia coacta erat confessio illa, non putabat eam sufficientem fore; ideo & alteram adjungit voluntariam. Quâ in re potiùs ostendit, confessionem peccatorum externam medium esse congruentius ad eorum remissionem obtinendam. Habuit & detestationem peccatorum suorum: quomodò enim non detestaretur in se, quod in socio suo corripuit? Habuit & satisfaciendi promptitudinem, quia pro sceleribus suis libenter patiebatur; quid ni scelerum illorum remissionem obtinuerit? eâque obtentâ, nihil superest, quod eum à Paradiso impediat.

Dices, quid angor de peccatis meis? Misericordia Domini magna est. Sub ultimam vitæ horam, eam in Latronem exeruit: peccata ei remittens, Paradisum concessit. Pergam porrò viâ, quâ cœpi: haud seriùs erit, licèt sub mortem pœniteam. Absit præsumptio isthæc, ut pecces liberiùs: cave tibi ab illâ. Duos cogita Latrones: non nisi unus ex duobus pœnituit, & salvatus est, altero, absque pœnitentiâ æternùm pereunte. Pusillanimis fortè es? diffidis fortè de venia obtinenda, quia peccasti graviùs, atque in peccatis hæsisti diutiùs? Animos cape, alterum vide latronem, sub finem pœnituit vitæ, & veniâ saluteque donatus est, nactus Paradisum. Certior sis,

ſis, quâcunque pœnitueris horâ, veniâ donabere. Homini Chriſtiano, ſalutem ſuam adamanti, inter ſpem & metum, velut per viam mediam, incedendum eſt. Quidquid ſit, ſperes ſemper, deſperes nunquam. Animos tibi faciat illud: *Qui Mariam abſolviſti, & Latronem exaudiſti, mihi quoque ſpem dediſti.*

MEDITATIO III.
DE
Tertio Chriſti in cruce verbo,

Mulier, ecce filius tuus. Fili, ecce Mater tua Joan. 19.

SAnct. Joannes ita dicit Cap. 19. *Cùm vidiſſet ergò JESUS Matrem*; vidit & diſcipulum, quem diligebat, Joannem. Dicit JESUS Matri ſuæ, Joannem demonſtrans: *Mulier, ecce Filius tuus.* Dicit & Joanni, demonſtrans Matrem: *Fili, ecce Mater tua.* Mater JESU conſtituitur mater Joannis: & Joannes conſtituitur Filius Matris JESU. Joannes in Matre JESU novam ſibi acquirit Matrem: & Mater JESU in Joanne, novum ſibi acquirit filium, curatorem quoque & cuſtodem. Utinam, ô Maria, quod ſubſidii ac ſolatii perdis in JESU, invenias in Joanne, altero jam filio tuo, non naturali, ſed vicariali! Matri dilectiſſimæ, proximus morti JESUS, dilectum aſſignat diſciplum. Joannes à puero Chriſtum ſecutus fuerat, annoſque juventutis ſuæ ei dicaverat: Quid? cæteris latentibus comparet in Calvariæ monte: rectè itaque

præmium refert dilectionis suæ, fidelitatis, & constantiæ, commendationem nempe & custodiam Matris Jesu.

I. Consideratio.

O Crudele spectaculum! Mater Jesu adstat cruci sui filii, & gladio doloris transfigitur anima ejus. O Mater dolorosa, non est dolor sicut dolor tuus: magna est, velut mare, contritio tua. Joan. 19. *Stabat autem juxta crucem JESU, Mater ejus.* Nimirùm, ubi Jesus est, ibi & Maria est; ubi filius, ibi mater, filio fidelis usque ad mortem, ideò stabat juxta crucem, in qua moriebatur filius. Maria cum JESU in Bethlehem, Maria cum JESU in Jerusalem; Maria cum Jesu juxta præsepe, dum nascitur, Maria cum JESU juxta crucem, dum moritur. Non possunt divelli ab invicem societate, qui erga invicem tantâ conjunguntur charitate. Stabat mater, pendebat filius: juxta crucem illa, hic in cruce. Stabat, & perstabat, sibique, tot inter tristitia, constabat. Non avertebat ea oculos à filio, ne videret interitum ejus, uti Agar (Gen. 21.) quæ Ismaëlem suum videre non poterat morientem. Stabat Maria, non ùt imbellis fœmina, muliebriter ejulans, nedum animo deficiens; sensibus stabat integris, dolores persentiscens animo. O quantum discrimen inter Bethlehem & Jerusalem! In Bethlehem videbat mater nasci filium; in Jerusalem videt mori illum. In Bethlehem videbat eum pannis involutum; in Jerusalem videt eum clavis confixum. In Bethlehem vide-

debat eum jacere in fœno; in Jerusalem videt eum pendere in ligno. Nihil ei in Jerusalem, vel tantillùm ad solatium, omnia ad majorem doloris cumulum. Aut cum JESU nos simus oportet in cruce, aut cum matre JESU juxta crucem, aut vel saltem non simus sine cruce.

At cur huic mater hæc crudeli spectaculo adesse voluit, supplicio, inquam, supremo filii sui, quo ipse in cruce interibat? minùs quidem decere videtur verecundiam muliebrem, suppliciis reorum interesse. Fecit hoc, certè non curiositate mota, aut levitate, sed ùt, quæ summo amore, talem tantumque filium complectebatur, quemque & ubique locorum secuta fuerat, in morte non desereret, ut, si posset, quod tamen non potuit, vel solatii aliquid vel obsequii præstaret. Et quidem præsens hic, non tam filii mortem, quàm modum humanæ redemptionis spectare, in votis habebat, illiusque contemplatione in amorem Dei magìs incendi. Et filius matrem suam huic spectaculo voluit esse præsentem, ut testis assisteret pretii persoluti pro peccatis humani generis: ut & ipsius ardentem in nos amorem cerneret, nostrique proinde patrocinium ipsa susciperet: ut Regina Sanctorum omnium, insignis illius coronæ, quæ martyribus donatur, expers non esset, sed præ cæteris omnibus nobilius martyrium subiret: denique ut matris præsentia doloris sui augeret materiam. Vide, O anima pia, & admirare, duo hìc luminaria magna obscurari, luminare majus, JESUM, justitiæ solem, qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc

 mun-

mundum; & luminare minus, Mariam pulchram ùt lunam, utrumque doloribus tantùm non confici.

Tu Christiane, amans crucis, ad JESU matrem accede, cruci proximam, quia hæc unica via plorantes dolentesque deducet in cælũ, cùm cæteri ridentes, cachinnantes, blasphemantes infernum petant, rogáque matrem hanc, ut & tibi assistat morienti, tuas tunc angustias soletur, quæ filio morienti in cruce, doloribusque & angustiis confecto, tantâ constantiâ & fidelitate adstitit.

II. Consideratio.

EN, Dominus JESUS, qui Matri suæ Joannem dedit filium, dicens matri: *Mulier, ecce filius tuus*, reciprocè matrem suam & Joanni matrem reddit, dicens Joanni: *Fili, ecce mater tua.* Joannes, qui Domini amore, & patrem & matrem deseruerat, matrem jam recipit longè præstantiorem: pro matre piscatoris, accipit matrem Salvatoris: pro matre hominis, matrem Dei: matrem accipit gratiâ plenam, inter omnes & super omnes mulieres benedictam, brevique & super omnes angelicos spiritus exaltandam. *Ecce, mater tua*, dicit Dominus Joanni, de matre sua. Notemus singula. *Ecce*, summum nempe beneficium, ut communem Deus & homo, Jesus & Joannes, habeant parentem. *Mater*, nempè quam venereris & diligas, ad quam confugias, in qua spem colloces, quæ media sit Deum inter & te, ac per quam denique Deus suscipiat preces tuas.

tuas. *Tua*, non solùm generis humani, sed & cujuslibet hominis patrona, ùt quæ dilexit te, ac filium suum dedit in mortem pro te, eum passa crucifigi & occidi pro te. Et Joannes quidem omnia licèt dimiserat, votoque paupertatis, cum cæteris Apostolis, se obstrinxerat, nihilque sibi reliqui fecerat, hanc novam matrem libenter recepit in curam suam, curamque illius egit, & ne quid deesset ei, de fidelium eleemosynis, solicitè providit. Tu roga Dominum, ut Matrem suam, etiam tibi matrem esse faciat, ut ejus tuearis honorem, augeas gloriam, & cum illa, juxta crucem consistens, crucis dona accipias.

Gratulor tibi, O Joannes, honorem istum ac gloriam, quod mater Dei, mater Jesu, tibi quoque data sit in matrem. JESUS certè, quod sibi matre suâ charius erat, in terra non habebat. Quidni ergò, summum quoddam bonum sit matrem JESU, matrem Deiparam habere & matrem suam? Neque hoc, O Joannes, tibi invidemus, quod tibi in matrem data sit, modò maneat tamen & mater nostra. Et quidem bono nos simus animo: neque enim uni Joanni, sed in Joanne, nobis quoque singulis, adeòque & universæ Ecclesiæ, fidelibusque omnibus, dictum est à moriente in cruce Christo: *Ecce, mater tua.* Quanta Christi in nos charitas! quanta & nostra, per matrem ejus felicitas! De Patris æterni charitate & dilectione dicitur Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Quidni & dicatur, sic filius Dei mundum dilexit, ut ei daret matrem suam? Dedit verò eam mundo,

 quando

quando ei in Joanne dixit: *Ecce, mater tua.* Imò verò: hìc possum, paucis immutatis, verba usurpare Pauli Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui autem proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Si Christus, filius Dei, pro nobis, quis contra nos? Qui etiam propriæ matri non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illam, dum dixit Joanni: *Ecce, mater tua,.* Concludit Paulus, & nos cum Paulo: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quomodo non etiam cum illa matre donavit nobis omnia? Dicat nunc igitur quilibet, traditâ sibi matre illâ, quod Salomon de sapientia Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum ea.*

Itaque gaude peccator: Maria mater tua est, atque ex hoc & JESUS est frater tuus: & Pater JESUS, Pater tuus; ergò & regnum ejus regnum tuum. Erige te in spem, & confide, quia quæ Mater est Dei, est & mater tua: & quæ mater est judicis, est & mater rei. Si miser es, spera in eam; est enim Mater misericordiæ. Si indiges, invoca eam; est enim Mater gratiæ. O pientissima Mater, me sub pallium tuum recipe, sub illo protege me, sinu tuo me confove. *Monstra te esse Matrem.* Hoc unum obsecro, & tutus modò, & amodò salvus ero.

III. Consideratio.

JESUS pendens in cruce, ultimum jam jam daturus spiritum, sicut Joanni assignat Matrem, suam nempe, ita & Matri assignat filium

filium, nempe Joannem, dicens ei de illo: *Ecce filius tuus.* Quid ni Dominus novum assignet filium Matri suæ? videbat eam orbatam Parentibus, viroque, fratribus, sororibus, omnique prorsùs alio humano, & subsidio & solatio destitutam. Assignat Matri filium, sed pro Deo hominem, pro Magistro discipulum, pro filio naturali adoptivum. Miraris forte, quod Dominus Joannem, præ aliis Apostolis, assignârit filium? Facit hoc, quia Joannes, præ aliis Apostolis, cum Matre illa, ei, in cruce pendenti, assistit, constans ac intrepidus, tot inter Judæorum odia & opprobria. Meruit ergò ipse, ut à JESU, quasi in fratrem adoptaretur, ac pro se à JESU, velut filius, Matri ejus surrogaretur. Sed & Dominus in Joanne, cæteros Apostolos, imò & fideles omnes, quasi filios, Matri suæ assignavit, & commendavit. Maximè verò eos, qui virgines, castique sunt, ac proximè JESUM in cruce sua consectantur, sic enim fiunt amicissimi, ac intimi Christo, ejusque Matri. Uti fuit S. Joannes, qui proinde à S. Cypriano vocatur *Cubicularius Christi.* Gratulor tibi, ô Joannes, JESU discipule, præ aliis ab eo dilecte, quod constitutus tu sis tantæ Matris filius, atque etiam tutor, patronus, curator & custos. De cura tua ac custodia tantæ Matris, fidelissima, quis ambigere possit? Et meritò sanè tibi virgini præ aliis virgo Mater commendatur. Theophilactus super hoc dicit: *Pura puro commissa est.* Et S. Ambrosius hìc: *Cum quo virgo habitare debebat, quàm cum eo, quem filii heredem, integritatis sciret esse custodem?* De-

Dominus Ioannem filium assignans Matri suæ, eam vocat mulierem. *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus.* Dicit, *mulier*, non dicit, *mater*, ne nominando matrem, animam illius majore dolore afficiat, teloque eam verberet acriore, juxta quod Baptista canit Mantuanus, *Ne materna pium laceraret viscera nomen.* Non dicit, *mater*, ne adstantes judæos contra eam concitet. Alii dicunt, quia ad mortem & cælum tendens, parentelas humanas hujus vitæ abdicaret, & abdicandas esse, docere volebat. Volebat & Dominus Matrem suam ad fortitudinem, & animum excelsum omnia fortiter tolerandi, excitare, eamque & reddere memorem, se esse, de quâ prædixit Salamon Prov. 31. *Mulierem fortem quis inveniet?* Mater JESU Maria ampliùs quodammodò passa est, ac diutiùs, quàm filius ejus, cujus passio desiit in morte. Sed tunc passio Matris ac compassio non desiit, sed crevit. Enimverò Christi corpus mortuum, de cruce depositum, ipsa recepit, cum redivivo dolore, ac deinde per tres dies sepulturæ, cruciatus filii crucifixi, quos ipsa cominùs oculis suis aspexerat, vivi hærebant in imaginatione ejus, non absque cruciatu suo; usque dum filius resurgens suâ apparitione, consolatione & gloriâ, eum abstersit. Rursus, Mater relicta fuit à filio post se, ut illa Apostolorum & fidelium foret Mater, eos lapsos colligeret, afflictos solaretur, titubantes solidaret, dubiis anxiisque consuleret, atque eos per omnia dirigeret, instrueret, animaret &c. Gratulemur nunc & nobis, & gaudeamus, quod in Joanne, de quo à

Chri-

Christo dictum est Matri suæ: *Ecce, filius tuus*, talis & nos, tantæque Matris filii constituti simus.

Geramus itaque nos, eâ quidem modestiâ, ac pietate, ùt decet talis tantæque Matris filios. Ne filii degeneres simus, qui non agnoscuntur ab eâ. O quot tales sunt, filii Matris istius, nomine, non re; atque ideò nec nomine illo digni! O Ter optima Mater, nos, qui te Matre gloriamur, agnosce filios tuos, curâ tuâ fove nos, juva nos ope tuã: *sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.*

MEDITATIO IV.

DE

Quarto Christi in cruce verbo,

Deus meus, Deus meus, ùt quid dereliquisti me? Matth. 27.

QUid dicis, O Propheta David? Ais Ps. 36. *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum.* q.d. in tam longo tempore, à pueritia usque ad senectutem, derelictum non vidi virum justum; adeòque velut impossibile existimas, ut justus derelinqueretur. Sed quid si tibi, O Propheta, justum aliquem ostendam virum, qui à Deo derelictus est? An non justus est Dominus JESUS, Dei filius? utique justissimus; siquidem de eo dicitur Jerem. 23. *Hoc est autem, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et hic tamen in cruce sua clamat: *Deus meus, Deus meus, ùt quid dereliquisti me?* Propheta intelligi debet, quasi

quasi nonnihil perexcessum loquatur : non est impossibile, ut derelinquatur justus, sed mirum hoc, atque insolitum est. Non diffiteor tamen, quin in hac Jesu declarata in cruce derelictione à patre, multum mysterii contineatur.

I. Consideratio.

DOminus pendens in cruce, jam jam moriturus, vocem edit altam certè ac claram, hanc nempe, *Eli, Eli, lamma sabathani*, id est, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* ? Hic Dominus, qui hactenus in cruce sua aliorum meminerat, sui tandem meminit in primo suo in cruce verbo, quod erat: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, meminerat crucifixorum suorum, auctorum mortis suæ. In secundo suo in cruce verbo: *Hodie mecum eris in paradiso*, meminerat Latronis sibi à dexteris concrucifixi. In tertio suo in cruce verbo: *Mulier, ecce filius tuus. Fili, ecce mater tua*, meminerat suæ matris, ac discipuli sui. Atque non tantum eorum meminerat, sed & curam gesserat, bonumque eis impetrare sategerat. Nunc tandem, inquam, meminit dominus sui; vel potius, velut non rectè secum agatur, conqueritur. Quid hoc rei est, Domine? Nihil hucusque in te repertum queremoniæ! & nunc demùm conquereris: & quidem desertum te à patre tuo? Non capio: Pater non deserit filium, nec potest deserere; adeòque desertum à patre te, conqueri non potes. Declaras tantummodò, te, à patre tuo, ab instante jam jam morte, non eripi: pati patrem tuum in

te

te tam diram passionē, absque ulla nunc singulari consolatione, aut mitigatione; sustinere eum, te, in carne tua, parteque animæ inferiore, tormentis atque doloribus enecari. Declaras, inquam, tantummodò, quàm amara acerbaque tibi sit in cruce mors: quàm amara, ac acerba animæ tuæ à corpore, per tantos dolores, avulsio: quàm amara, acerbaque partium istarum amicarum separatio.

Calvinus ait, hæc verba Christi ad patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* esse Christi desperantis. Vult enim debuisse Christum, omnem Dei iram, peccatis nostris debitam, experiri in se, ac per consequens, damnatorum pœnas eum ferre, inter quas quoque desperatio est. Verùm, pessimum hoc, indignumque Christiano homine dogma, seipsum facilè elidit. Si enim in cruce Christus desperavit, ergò peccavit in cruce, peccato quidem gravissimo, cujusmodi est desperatio. Ergò iræ Dei non satisfecit, sed eam magis accendit. Et quomodò dici potest desperasse Christus, qui paulò post moriens animam suam, dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, in Patris manus commendavit? Non desertus Christus in cruce & morte sua, ab unitate & unione hypostatica verbi: non à gratia, & amicitia Dei; nullatenùs hoc esse potuit, sed desertus solummodò à consolatione singulari, in morbis, amaritudine & acerbitate, sine ulla illius mitigatione; unde & Dominus in hanc Patris sui voluntatem plenissimè resignatus, moriens pro peccatis no-

noſtris , pro eis etiam pleniſſimè ſatisfecit.

Perpendamus, cur Dominus clamorem hunc: *Eli, Eli, lamma ſabathani. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* ſub finem vitæ ediderit. Non quidem edidit illum, ut à ſe dolores averteret more noſtro, qui ad primum doloris ſenſum clamamus ſæpe, doloreſque amotos à nobis volumus. Neque ut vindicta hujus mortis à nobis ſumeretur: non enim vindictam volebat Dominus, ſed miſericordiam. Edidit clamorem illum, ut, qui tribus jam in cruce horis, nullum, vel ſermone vel gemitu, ſignum vitæ dederat, necdum de vita migraſſe, ſciretur: neque putaretur, eum hominem non fuiſſe, aut vel dolores non ſenſiſſe. Perpende, inquam, hoc Chriſti, in cruce pendentis verbum: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Habent viri pii, ſanctique ſuas tribulationes, ſed & habent ſuas conſolationes. Ait Pſalmiſta David Pſ. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Sed piis ſanctiſque hominibus iſtis non adeò adeſt Deus, quin ſubinde eos tantisper deſerat. Ita Deus Jeremiæ 54. *In modico, ad punctum dereliqui te.* Expedit ſic fieri, quò magis eorum probetur & pietas & ſanctitas, & an non ex ſola Deo adhæreant conſolatione.

Si & tu derelictum te aliquandò arbitreris, ne animus tibi concidat, Dominum tuum, in ipſa cruce ſua, tormento omnium præcipuo, derelictum conſpice, & facilè tibi dejectus erigetur animus, ipſaque Domini derelictio, tua ex hoc erit conſolatio.

II. Con-

II. Consideratio.

SEd singula, in hoc verbo Christi, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, merentur expendi. Dicit, *Deus*, non dicit, *Pater*, quia patrem compellare erubescit, quippe qui personam gerit peccatorum, ut tu superbiâ depositâ discas humilitatem. *Meus*, q. d. cùm omnium creaturarum sis Deus, nomine creationis, *meus* tamen Deus es multis nominibus. Deus meus peculiariter, tum quod humanam naturam in filii personam assumi voluisti, & evehere me super omnem creaturam; tùm quod ipsis manibus tuis hoc meum corpus in utero Virginis Matris formasti; tùm quod ego te singulari semper affectu, sine vitio & colui & observavi. Ingeminatio verò hæc: *Deus meus, Deus meus*, affectum hujus orationis summum arguit. Dicit, *ut quid*, non quærit causam, ne perfectio minuatur obedientiæ, sed queritur naturali affectu, 1. quidem nullo se merito suo relinqui, 2. de causæ indignitate, ut vilissimum servulum (ait patri) redimeres, filium tradidisti. *Dereliquisti*. Non dicit, *derelinquis*; sed *dereliquisti*, quemadmodum in hac passione mea, ita & in cæteris vitæ meæ actibus, ita ut mihi & illud adaptetur Ps. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Res indigna, divitem habere parentem, sed qui divitias largâ in alios diffundat manu, atque etiam in nequam homines, filium autem præterit. Ps. 16. *Quia de absconditis tuis*, (divitiæ abscondi solent) *adimpletus est venter eorum.* Ego interea filius relinquor

quor mendicus, & pauper, atque à puero ad gravissimos labores cogor. Ps. 87. *Elongasti à me amicum & proximum*, qui mihi in malis meis auxilio & solatio esse poterant. Ibidem: *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.* Obruisti me & demersisti doloribus, & derelinquis me. *Me*, id est, filium tuum, quem ab æterno genuisti, unigenitum, ac præ creaturis omnibus charissimum tibi semper habuisti.

Cæterùm notat S. Evangelista, Dominum, se derelictum inclamasse, circa horam nonam: atque priùs tenebras esse factas, ab hora sexta. Dicit: *Ab horà sexta usque ad horam nonã tenebræ factæ sunt, super universam terram*, sole radios suos retrahente. Fuit hoc signum iræ divinæ in abominationem sceleris Judæorum, JESUM occidentium, atque in testimonium quoque gloriæ illius, quem ipsi noluerunt agnoscere: ac in symbolum denique admirandæ eorum cæcitatis, quam & ipsæ creaturæ insensibiles condemnant, compatientes creatori. Subtrahit ergò se Sol, ne lumen tanto sceleri videretur commodare, sed illud se execrari, simulque designat, illum Solem occumbere, qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, ejusque luce mentes Judæorum destituendas esse. Sic cæcitas in animis Ægyptiorum, externis, iisque crassissimis tenebris & ostensa fuit & vindicata. Verisimile autem est, in istis tribus horis tenebrarum, obstupefactos stetisse, & obmutisse hos, qui circa crucem, blasphemè se & insolenter gesserant, quia nihil tunc

tunc dictum legimus aut à judæis, cruci adstantibus, aut ab aliis, qui se eis adjunxerant. Impletum hìc itaque est illud 1. Reg. 2. *Impii in tenebris conticescent*. Interea Dominus, in illo trium horarum silentio, apud se, pro se & pro nobis oravit Patrem, fungens officio supremi Sacerdotis, deprecantis pro peccatis & delictis populi, & veniam illis impetrantis. Contemplare, O pia anima, & justam in Christo querentis sic, causam, sed & ardentem Patris in te amorem, qui ut tuas querelas audiat, filii vocem querulam velut surdâ aure transivit, quem voluit non modò scire, sed & experiri miserias, tùm ut nosset compati tuis, tum ut tibi scientiæ donum commendaret, quo scias rebus omnibus uti ad salutem.

III. Consideratio.

DOminus JESUS, suam in cruce declarans derelictionem, linguâ utitur Hebraicâ, & syriacâ. Dicit, *Eli*, *Eli*, quod hebraicum, & *lamma sabathani*, quod syriacum est. Romani milites, qui Dominum crucifigebant, utì S. Hieronymus observat, cùm hebraicè ignorarent, audivissentque autem à judæis, quibuscum agebant, non semel *Eliæ* mentionem, decepti affinitate vocis, existimabant, *Eliam* à Domino invocatum. Militibus hisce similes sunt hæretici, qui verba sacra, multis in locis, non benè intellecta, temerè ac perperam interpretantur, & usurpant, ac non raro in suam ipsorum perditionem. Considera, totis illis tribus horis, à sexta usque ad nonam, id est, à duodecima usque ad tertiam Eclypseos, ste-

ſtetiſſe omnes attonitos, ſine motu, ac voce, redeunte autem ſenſim luce, etiam impios revertiſſe ad ſuas irriſiones & inſultationes, in quo videmus, quod malorum impietas ad tempus quidem prohiberi poſſit, ſed quod ſine ſingulari Dei favore, non auferatur, illis continuò in idipſum redeuntibus.

Romani milites vocem *Eli*, Eliam interpretantes, dicebant: *Eliam vocat iſte*, addebantque: *Sine, videamus, an veniat Elias, liberans eum.* Erratis vos milites, ignorantiâ craſsâ laboratis. *Eli* non tantundem eſt, ac *Elias*; & ſi tantundem foret, non veniret ille, ut eum liberaret à cruce ſua, ùt opinamini vos; liberari ipſe non vult ab eâ. Fixum eſt ipſi in cruce manere, morique in ea, id eſt, opus Redemptionis noſtræ in ea operari & abſolvere: neque vel conſolationem ab eo, ſi veniret, acciperet, cùm & fixum ei ſit, omnimodè, etiam à Patre ſuo, derelinqui. Dominus totus in cruce ſuâ derelictus fuit, auxilio prorſus omni ac ſolatio deſtitutus, totâ paſſione ſuâ, purum ipſe paſſionis calicem exhauſit, nobis non niſi dolore & gaudio mixtum præbet. O quàm exiguæ & leves ſunt paſſiones noſtræ, ſi cum paſſionibus Domini noſtri comparentur! ipſe paſſus eſt omnia tormenta, cruciatus omnes; nos non niſi aliqua, unum hinc inde aut alterum, patimur. Ipſe nullos admiſit, nullos habuit amicos, à quibus conſolationem accipiebat; nos habemus plures, qui conſolantur nos: adſunt & vicini nobis, qui noſtris miſeriis compatiuntur; ægrotantibus nobis adſunt medici, qui medelam adhibent, &

benè

benè ſperare faciunt. Adſunt viri miſericordes, qui egentibus manum porrigunt. Adſunt viri ſpirituales, qui confortent puſillanimes, & pro ipſis orent. Dominus paſſus eſt longo tempore, tempore totius vitæ, ad halitum uſque poſtremum, in quo modò dicit: *Deus meus, Deus meus, ùt quid dereliquiſti me*! nos non patimur, niſi tempore breviſſimo, atque etiam interpolato, non enim continuò patimur. Si paſſio noſtra cum Domini paſſione committatur, quod patimur nos, totum, vix aut ne vix quidem paſſionis nomen meretur.

Habes hìc, O Chriſtiane, qui deſolatum te & afflictum exiſtimas, quem aſpicias JESUM, Dominum ac ducem tuum deſolatiſſimum & afflictiſſimum. Deſolatio illa & afflictio, derelictio, inquam, velut querelas ei extorquet. Si & tua derelictio te querulum reddat, confortare, & anima te, exemplo ducis tui, duratura non eſt, niſi ad breve ſpatium. Ora Dominum tuum, ùt merito derelictionis ſuæ, tuam vel tollat, vel minuat: ac quò magis fortè deſtitutus fueris ſolatio humano, eò tibi plus ſolatii divini præſtò erit. Divinam tibi promitte conſolationem, quæ dum corpus affligitur, lætificet tibi animum.

MEDITATIO V.

DE

Quinto Chriſti in cruce verbo,

Sitio. Joann. 19.

SAnct. Joannes ita dicit: *Poſtea ſciens JESUS, quia jam omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur*

maretur scriptura, dixit, *Sitio*. Dicit, *postea*, id est, post tres ferè horas, sub viciniam mortis suæ. *Ut consummaretur scriptura*, hæc nempe Ps. 68. *Et in siti mea, potaverunt me aceto*, dixit, *Sitio*; ne hæc prædicta aceti potatio omittatur, admonet ipse crucifixores suos: & quidem mox, ad admonitionem illam, aceto potatus est. *Vas*, inquit Evangelista, *erat positum, aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus*. Non simplex erat, aut una, sitis illa, quam patiebatur in cruce sua Dominus, sed multiplex & varia, corporalis, spiritualis &c.

I. Consideratio.

DOminus JESUS imprimis sitim in cruce sua patiebatur corporalem. Excitaverat illam in eo corporalis fatigatio, & sanguinis effusio, sanè acriorem. Neque hoc mirum: per plures horas, nempè à cœna pridianâ fatigatus erat vehementer; quid ni fatigatio illa sitim in eo excitârit acrem? atque vel præcipuè in eo, sanguine adeò exhausto? Sitiebat JESUS, & vehementer sitiebat. S. Cyrillus dicit: *Dolores innatum calorem exagitant, vel quod in profunditate est humidum consumunt, & igneis ardoribus dolentis viscera urunt*. Hinc & fauces siccantur, & præ siti arescunt. Impletum hìc itaque in Domino illud Ps. 21. *Aruit, tanquam testa, virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis*. De viro legimus gravissimo, ajente, præsentibus aliis, nunquam se illud intellexisse, utì jam ad vivum in-

intelligebat, cùm simili siccitate faucium & siti se laborare persentisceret: atque ex eo metiebatur, quanta fuisset JESU, in cruce pendentis, sitis, sitiente illo & dicente: *Sitio*, & quantus ei ex siti illa cruciatus. *Novi*, inquit Card. Bellarminus Lib. 2. De septem Verb. C. 7. *Personam, quæ multis affecta verberibus, ex quibus ingens copia sanguinis effluxerat, nihil nisi potum desiderabat, quasi nihil mali pateretur, præter ardentissimam sitim.* En, hìc nunc Dominus, pendens in cruce, tali siti affligitur. Quid? exuritur & exeditur, ac in siti illa moritur. Sampson populi dux velut invincibilis, solus mille prostraverat Philisthæos, siti tamen victus est. Ita S. Scriptura de eo Jud. 15. *Sitiensque valdè, clamavit ad Dominum, & ait: tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam: en, siti morior.* Pari modo dux noster JESUS in cruce sua. Neque juvit eum, sitim suam in cruce declarasse, dicendo: *Sitio.* Davidi regi, dicenti 2. Reg. 23. *O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna, quæ est in Bethlehem*, mox potus desideratus allatus est ab amicis, qui vitam suam propterea præsenti periculo exponebant. Non ita cum Domino actum est. Dicenti in cruce, *Sitio*, desideratus non offertur potus: quid? in majus tormentum potatur aceto.

Hoc considerent ebriosi & gulosi homines. Magnus est eorum numerus. Considerent hoc, inquam, homines temulenti, bibaces, effusique, vini melioris potatores, *Qui* (Is. 5.) *consurgunt manè ad ebrietatem sectandam, & potandum*

dum usque in vesperam, ut vino æstuent, potentes ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Et Prov. 23. *Qui commorantur in vino, student calicibus epotandis.* Considerent & perpendant bibones & helluones hanc à Domino editam in cruce voculam, *sitio:* ipsimet illi sunt, qui bibitionibus, & helluationibus Dominum sitire cogunt. Non deterret illos gula, quæ nostros in Paradiso proto-Parentes perdidit: non deterret illos, quod gulâ suâ immodicâ, perdant opes suas: neque quod famam perdant, quin & animas suas. Non deterret eos exemplum Epulonis (Luc. 16.) cui aquæ guttulam petenti, quâ lingua ejus tantisper refrigeraretur in flammis, negata est. Perpendant sitim JESU in cruce ardentissimam, & gulæ suæ immodicæ nuncium facilè remittent.

Abstinentiam adamate ac sobrietatem, ùt Dei amicam, utilem ad pietatem atque necessariam. Tit. 2. *Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in spiritu Sancto: sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo.* 1. Petr. 5 *Fratres, sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit, quærens quem devoret.* Thess. 5. *Nos autem, qui Domini sumus, sobrii simus.* Doctrix sit tibi, Christiane, sitis Christi. Roga eum, ut te, terrenæ abstemium alimoniæ, satiet uberibus suæ gratiæ.

III. Consideratio.

QUæ tibi præterea, Domine JESU, sitis est, dum hìc dicis, *Sitio?* Sitis tibi est implendi

di voluntatem Patris tui, quæ eſt, ut redimamur nos, à ſervitute ac tyrannide dæmonis. Sitim itaque habes perficiendi opus redemptionis noſtræ. Ait S. Joannes: *Ut conſummaretur ſcriptura, dixit JESUS, ſitio.* Videbat omnia, quæ paſſurus erat, ab æterno præordinata & decreta à Deo, eaque & in ſcripturis prædicta; idcircò æſtuabat vehementer, illam præordinationem, ac decretum Dei, id eſt, voluntatem illam Patris ſui implere: & quidem quò ad omnia, ita ut ne apex unus aut unum jota præteriretur. Cum ergò etiam & aceti potationem, & decretam ſibi, & in ſcripturra expreſſam, adeòque & à ſe exſolvendam ſciret, idcircò dicit, *Sitio*: potum nempe ſibi decretum, ut Patris ſui in eo adimpleat voluntatem. Sciebat Dominus parùm ſibi profuturum, quem daturi erant potum, nihil eum eſſe neceſſarium, plurimum autem referre, ac neceſſe eſſe, ut impleatur ſcriptura; ideò & ſuo hoc ex cruce, *Sitio*, iſtius admonet illos.

Domine JESU, an non ſatis, ſi admittas, quidquid acerbum ac amarum tibi offertur? ut adferant, ipſe admones? Acri nunc denique te aceto potant. Fortè nulla eis de hoc in mentem veniſſet cogitatio, niſi à te admonitis. Video, Domine, quod ſitis quoque in te ſit, licèt paſſus ſis omnia, patiendi ſemper plura. *Sitio*, ais, reſciens nondulcem tibi potum, ſed amarum; non vinum aut ſiceram, ſed acetum oblatum iri. Sub poſtremum vitæ articulum es: non in dulcedine, ſed in amaritudine eam claudere ardes. Ità nem-

pe & scripturæ satisfacis, quæ aceto te, in siti tua, potandum dicit, & voluntati Patris tui, qui & ita voluit. Hâc eâdem de causa Petrum, lapso vespere, volentem à te hunc passionis calicem avertere, acriùs reprehendis, dicens ei: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Consideras nimirum, Domine, & inobedientiam, ac transgressionem Adami, protoParentis, & transgressiones posterorum ejus, qui tam facilè ad res vetitas extendunt manus, Deique vetantis voluntatem tam parvi æstimant. Atque hinc voluntatem istam tu perfectè adeò, ac copiosè implere curas, ut copiosa tua satisfactio, copiosæ eorum respondeat transgressioni.

Discite vos, quiqui Christiano nomine gloriamini, excitati exemplo ducis vestri Christi, voluntatem adimplere Dei. Sitis vobis sit, uratque ea vos illam adimplendi. Dicit Apostolus 1. Thess. 4. *Voluntas Dei est, sanctificatio vestra.* Hanc Dei voluntatem, ut impleatis, sanctis incumbite operibus: operibus sobrietatis, justitiæ, pietatis, Tit. 2. *Sobriè, justè, ac piè viventes in hoc sæculo.* Luceat sanctitas vestra, in sanctis illis operibus, coram hominibus, ut eam illi imitentur. Sancti estote conversatione, sancti moribus. Hoc vult à vobis Deus: hæc vos sitis urat, impellatque, sitis, inquam, Dei voluntatem adimplendi sanctificatione vestrâ. Orate Deum, gratiam elargiatur abundantiorem, ut abundetis magis. Abundantes gratiâ abundate & operibus; atque gloriâ aliquando, quæ operum sanctorum merces est, abundabitis.

III.

III. Consideratio.

O Nos longè felicissimos! Sitis, quæ Domino nostro in cruce sua est, sitis longè ardentissima, sitis est conversionis nostræ ac salutis. Hâc ille siti laborat: quid? exuritur & exeditur illâ, quando dicit in cruce sua, *Sitio.* O vos homines, ad unum omnes, justi ac peccatores, gratulemini vobis, gaudete & exultate, sitit Dominus & conversionem & salutem vestram. Hæc sitis pars etiam pretii est, quo ille omnes redimit, desiderans, ut qui redempti sunt, ad salutem pervenire possint, ac perveniant. Exclamat Apostolus Philip. 1. *Testis mihi Deus, quomodò cupiam vos, in visceribus JESU Christi.* Votum Paulo per-ardens est, pro suis fidelibus, ut salventur; ardentius autem Christo est votum pro omnibus hominibus, ut ad salutem pertingant: præ-ardens hoc votum refert ejus ardentissima sitis. Sitim hanc suam Dominus declaravit mulieri Samaritanæ, aquam ab eâ petens, dicendo Joan. 4. *Mulier, da mihi bibere.* Non ita ab ea petebat aquam, quàm animam. O quàm vehemens ardensque sitis illa Domini? nec omnia mundi flumina, aut fontes, imò nec totius oceani aqua eam exstinxerit. Cant. 8. *Aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Tu sitis, Domine JESU, animas nostras; sed & animæ nostræ sitiant te. Dicit Psaltes regius Ps. 41. *Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum.* Et, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te*

te Deus. Sed magìs Deus ſitit hominem, ac ſalutem ejus.

At quid eſt? Dominus noſter, in toto ubique corpore graviſſima tolerat tormenta: in capite ſpinas, in manibus pedibusque clavos, in membris reliquis vulnera ac vibices: de nullis conqueritur, de nullis loquitur tormentis: de ſola loquitur ſiti ſua. *Sitio*, inquit. Eſt hoc, quia alii in toto ubique corpore cruciatus patebant, hic verò cruciatus, ſitis, inquam, latebat. Voluit, ut & iſta innoteſceret, ac pati ſe in lingua quoque ſua ac palato, amaritudinem, pro primi nempe in Adamo peccati dulcedine. Illud inceperat à delectatione pomi guſtati in paradiſo; finem hìc nunc accipit in amaritudine. Sitit Dominus, & pro peccato gulæ ſiti ſuâ ſatisfacit, quod in Eva primùm, ac deinde in Adamo præceſſit. Sitit, ut ab æterna nos ſiti liberet, qualem, abſque ulla aquæ guttula, æternùm Epulo patitur in flammis. Sitit Dominus, ut ſitim in nobis extinguat malignam, quâ malis noſtris pravisque deſideriis indulgere ſolemus, & cupimus, ſitim nempe ambitionis, opum, voluptatis, iræ, vindictæ. Hac ſiti laborant homines plerique hujus ſæculi. Maligna iſthæc ſitis eſt; ſitim hanc Dominus ſiti ſua elevare, aut vel temperare deſiderat. Sed, heu, irrito in multis conamine; quin & in aliquibus maligna illa ſitis tantùm non elevatur, aut vel minuitur, nedum extinguitur, ſed magis continuò inflammatur & acuitur; ut multum modò in mundo locum poſſideat verſiculus ille:

Ambitioſus honos, & opes, & cæca libido:

Hæc

Hæc tria, pro trino numine, mundus habet.

Contemplare, O anima pia, tuæque ſalutis ſitibunda, ſitim JESU: ſitim quidem corporalem, ſed ſitim tamen magis ſpiritualem, quæ eſt deſiderium ejus ardentiſſimum pro redemptione & ſalute tua. JESUM, inquam, contemplare ſitientem. S. Auguſtinus, eum ita dicentem tibi exhibet in Pſ. 61. *Sitis mea ſalus veſtra eſt, redemptio veſtra, gaudium veſtrum: plus animarum veſtrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenent.* Gratulare tibi amorem, quo in te fertur ſitiens JESUS. Gratias ei age pro amore illo, tuoque eum amore recompenſa. Diſce ab eo, qui adeò ſitit ſalutem alienam, ſitire propriam. Gratiam ab eo pete, quâ ſitim illam in te acuat, augeatque, donec tandem gloriâ, qui finis illius eſt, in cœlo ſatietur.

MEDITATIO VI.

DE

Sexto Chriſti in cruce verbo,

Conſummatum eſt. Joan. 19.

VErbum hoc, à Chriſto in cruce dictum: *Conſummatum eſt*, ſi ritè expendatur, præ cæteris ſingularem adfert conſolationem omnibus, quidem hominibus. Alia Chriſti in cruce verba ad hos vel illos pertinent: ad Auctores mortis ejus, ad Latronem, ad Matrem, ad diſcipulum, ad ipſum Chriſtum. Hoc verò verbum: *Conſummatum eſt*, pertinet ad omnes. Significatur verbo illo, debita hominum omnium eſſe perſoluta, omniaque perfecta, quæ ad omnium ſalutem

erant

erant necessaria. Testamentum, quo varia variis legat Dominus in cruce, & condidit & complevit. Auctoribus mortis suæ legat flagitii illius indulgentiam: paradisum legat Latroni: Matri suæ legat discipulum, discipulo matrem: Spiritum suum legat Patri, quod in proximo ejus verbo videre erit. Atque nunc, ut conditum à se testamentum debitèque obsignet, dicit: *Consummatum est.*

I. Consideratio.

VErbum quidem breve hoc: *Consummatum est*, sed multæ significationis. Rectè illud Dominus in cruce pronuntiat, quia in cruce, id est, in morte Domini consummatæ sunt figuræ omnes ac prophetiæ, quæ ad ejus pertinent passionem: impleta omnia, nihilque post illa restat implendum. Impletæ umbræ & ceremoniæ. Cessant jam illa, sicut cessat præludium, sonante horâ. Figuræ permultæ præcesserunt ab initio sæculi, quæ jam omnes finem habent. Ecce Abel, jam foràs in agrum adductus, & à fratre interemptus. Ecce jam Noë in tabernaculo nudus, sed à filiis irrisus. Ecce jam Isaac ligna portans, & in montem conscendens, à patre immolatus. Ecce jam scala erecta in cælum viam pandens, & Dominus innixus scalæ. Ecce jam Joseph à fratribus venditus, tunicâ polymitâ exutus, à ferâ pessima devoratus. Ecce serpens jam elevatus, quem qui aspexerit, vivet. Impletæ prophetiæ. If. 53. *Vidimus eum, quasi despectum: novissimum virorum, virum dolorum: & non erat ei species;*

neque

neque decor, flagellis, livore, & vulneribus totus deformatus, atque adeò velut aspernabilis & contemptibilis. Jer. 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Dan. 9. *Post septuaginta hebdomades occidetur Christus.* Gen. 49. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Deut. 28. *Erit vita pendens ante oculos tuos.* Plures ubique in SS. scripturis occurrunt similes Prophetiæ, sed omnes pariter sunt impletæ.

Consummatum est; id est, opus à me Redemptionis humanæ peractum est, & absolutum: omnia Patris mei mandata, mihi data, perfecta sunt, ita ut vel minimum non desit punctum. Omnes acceperunt finem, & pretii facta est copiosa solutio pro debito peccati, cum diruptione chirographi. Diruptum est imperium mortis & Diaboli, *ut* (Dan. 9.) *finem accipiat regnum peccati. Consummatum est*, quidquid æterna sapientia constituerat: quidquid rigor justitiæ exigebat: quidquid charitas poterat: quidquid sanctorum Patrum & Angelorum desideria poscebant: quidquid denique conveniens erat ad Redemptionem nostram, nec amor ultrà progredi potuit. *Consummatum est*; nempe matrimonium Christi cum Ecclesia, jam ab initio sæculi præfiguratum ac promissum, initiatum in Patriarchis, ratificatum in Prophetis, in Incarnatione consecratum, perfectum & absolutum in cruce. Hæc est dies desponsationis perfectæ, in sponsalitia corona spinea, ac thalamo crucis florido.

Sed ulteriùs verbum hoc, *Consummatum est*, deducendum & explicandum est.

II. Conſideratio.

PAtere, patiens ac pie meditator, ut verbum illud aliquantò deducam latiùs. Dominus ipſe illius aliquandò meminit, aut vel de conſummatione illa aliquando prædixit. Ita ait Luc. 18. *Ecce, aſcendimus Jeroſolimam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis.* Et Joan. 17. *Opus conſummavi,* (Pater,) *quod dediſti mihi ut facerem.* Opus nempe Redemptionis humanæ. Non quidem illud tunc erat conſummatum, quia verba illa à Domino dicta ſunt in ultima cœna, ante inchoatam paſſionem; ſed erat tunc brevì conſummandum, videlicet in ara crucis, quam jam proximè aſcenſurus erat; in eaque dein omnia perfectè conſummata ſunt: neque ante ſupplicium crucis conſummari poterant, quia ſine ſanguinis effuſione (Hebr. 9.) nulla fit peccatorum remiſſio, & teſtamentum non confirmatur, niſi morte teſtatoris. Modum quoque expende conſummationis, nempe inſignem Domini conſtantiam animi, invictamque fortitudinem. Ipſe perfecit omnia ſine alio. *Torcular*, ait Iſ. 63. *calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*, ut tu perfectionis ac pietatis ſtudium non deſeras etiam ſolus, deſertuſque ab omnibus; videt enim & ſublevat Deus, ne tibi deeſſet, laboranti; Chriſto velut opem negavit, pœniſque replevit, ut tu in obſequium Domini tui, nullis viribus parcas. Ad finem uſque operis ipſe perſeveravit. Tu non rarò bonum aggrederis quidem, ſed rariùs proſe-

que-

queris, rarissimè absolvis. Pete, ut tibi largiatur Dominus donum fortitudinis, ne in virtutum deficias studio. O quàm addicto tibi animo, invitat te! *Tauri mei*, inquit Matth. 22. *& altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.*

Ecce, in hac Passione Domini, velut in mensa opipara, omnes inveniuntur spirituales deliciæ, pro gustu cujusque, quod S. Scriptura Sap. 16., de manna commemorat. Omnium quoque morborum ea est medicina, debitorum omnium persolutio. Consummata jam ea, fruere tu illâ, totusque in patientis amorem effusus, nihil aliud præter eum scire ac desiderare velis. Dicit Dominus Patri suo, *Consummatum est*, quasi interroget illum, num desit quid ad operis consummandi, quæ est redemptio nostra, perfectionem; adeòque & omnes creaturas, etiam hostes, citare potest, ut si quid desiderari ad hanc consummationem putent, id ante mortem suam edicant. Fatetur Dominus, se largiter persolvere velle, si quid adhuc desit solvendum. Hæ largæ Domini divitiæ sic tibi paratæ sunt, ut ipse tibi eas accommodare & debeas & possis. Prandium quidem adornatum est: sed mensa à te est adeunda, & cibus ori admovendus. Medicina confecta est, sed variis pixidibus, septem, inquam, Sacramentis, in officina Ecclesiæ, inclusa. Pretium solutum est, sed necdum tibi omnimodè applicatum. Prandium reipsâ adi, cibum ori admove, medicinam reipsâ sume, pretium debitè applicetur: studio, inquam, virtutum constanter insiste, ut quod, pro universo humano genere, actum

effectumque est, pro te & acceptetur, tibique adhibeatur, atque suum in te effectum habeat.

Ora Dominum, ut qui dies suos, infinitis bonorum operum meritis, implevit, & consummavit, dies quoque tuos, inanes ac vacuos, transire non patiatur.

III. Consideratio.

Considera, quis ille, qui dicit, *Consummatum est.* Est ille Christus Dominus, Deus & homo: Et quidem ùt homo, solutionis pretium offert: ùt Deus, illud acceptat. Sicut igitur is, qui vinum promit, & is similiter, cui promitur, impletâ jam mensurâ, dicunt sufficere, fides utrique adhibetur, ita & Christo Domino credendum est, dicenti, *Consummatum est.* At *ubi* hoc dixit? Dixit hoc in Altari crucis, in quo pretium illud Deo persolvebatur: in loco eminenti, ut more præconis hæc nova nuncia mundo promulgeat. Aures arrige, & de persoluto pretio ne dubites. *Quando* hoc dixit? Dixit hoc, hausto à se aceto, & jam jam humanis valedicturus, in momento velut ultimo vitæ suæ, ut scias eum, nihil motum ingratitudine nostrâ, testamentum suum confirmasse, quod nulla hominum malevolentiâ infringatur; sed quisquis sanguinis hujus particeps esse voluerit, id integrum ei, sanctumque permanebit. *Quare* hoc dixit? Dixit hoc ad nostram consolationem, qui peccatorum gravitatem non ignoramus, quibus redimendis nulla omninò creatura par esse possit. Affirmat itaque Dominus hoc dicto suo: *Consummatum est*,

est, neque talem esse peccatorum enormitatem, neque tantam eorum copiam ac numerum; neque ulla omninò debita tam esse immensa, quibus cumulatissimè dissolvendis, nondum sit à se factum satis. Tu ora, ut & te illo verbo Dominus consoletur, ne debitorum magnitudine deterritus, ad Deum creditorem, proficisci pertimescas.

Denique: *Consummatum est*, non hoc vel illud, sed totum totum, quod antiquitùs, passionem Domini quod attinet, & præfiguratum & prædictum est. Promulgat hoc Dominus, ut scias, passione ejus, perfecta esse, & completa prorsus universa, tam in cælo, quàm in terra: tam quæ Deum respiciunt, quàm quæ ad homines spectant. Sicut enim peccatum violavit omnia, ita Christi sanguis vicissim omnia restituit, ut discas in Christi passione omnia quærere, & cum Apostolo Gal. 6. in nullo gloriari, *nisi in cruce Domini nostri* I. C. Ecce, quomodò Dominus tuus ad patrem migraturus, quasi gloriatur, nihil se reliquisse non consummatum, sed omnia, quæ jussus fuerat perficere, abundè se superque perfecisse. Utinam & tu, Christiane, in hora mortis tuæ, exemplo tui ducis, nihil te imperfectum reliquisse, gloriari possis. Dicit Apostolus 2. Tim. 1. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi &c.* Tu moriturus, atque in vicinia mortis constitutus, quid dices? Pauca fortè fecisti: pauciora fecisti rectè: plurima omisisti. Hæc præcogita, ut certes meliùs, cursumque consummes perfectiùs. Hæc Domini tui voluntas

est, hoc votum ejus, hunc in finem suis te instruit cumulatque gratiæ præsidiis. Huic ejus haud desis voluntati: gratiæ præsidiis rectè utere; ut sanctis te sanctifices operibus, teque ad felicem mortem ritè præpares.

Perpende iterum iterumque, fore aliquandò, ut dicere possis: *Consummatum est.* Finis aliquandò imponendus vitæ tuæ, & à te omnibus valedicendum. *Omnis consummationis* (Psal. 118.) *vidi finem.* Sed dicitur Eccli. 17. *Cùm consummaverit homo, tunc incipiet.* O te felicem, vitam hanc si ita consummes, ut alteram, cujus deinde nulla erit consummatio, obtineas.

MEDITATIO VII.

DE

Septimo Christi in cruce verbo:

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.
Luc. 23.

POstquam omnia jam erant consummata, spiritu à corpore jam demigrante, Dominus ipse illum commendat in manus sui Patris, dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, suo nos instruens exemplo, ut migraturi hinc, quò id securiùs fiat, animas nostras in manus Dei reponamus. Profectò animæ nostræ minùs securæ in manibus nostris sunt; securæ verò in manibus Dei: neque enim contra eas tunc assultus valent, aut insidiæ dæmonis, quas struit ille, ac præcipuè in mortis articulo. Et quidem ubi securiùs esse possint animæ nostræ, quàm in ma-

manibus Dei, qui illas creavit ad imaginem Divinitatis suæ, easque jam perditas lytro redemit sanguinis sui? Et ubi meliùs esse possint, quàm in manibus illis, quæ pro eis clavis cruci sunt confixæ? Quæ misericordiâ affluunt, distillantque illam? Quæ semper extensæ sunt ad benefaciendum nobis, & ad protegendum nos? Itaque dic & tu cum moriente Domino Patri Deo: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

I. Consideratio.

ECce, Domino nostro, qui est (Apoc. 1.) *Principium & finis*, ultimus adhuc supererat spiritus, sed illum commendat Patri suo. Spiritum illum à Patre suo acceperat in utero matris suæ, nunc eum in patibulo crucis reddit suo Patri; atque ita mundum (quod ipsi quidem longè difficillimum, nobis autem utilissimum, orbi verò universo longè optatissimum) redimit, ac non per antecessum jam, sed in præsenti, pretio non solvendo, sed jam soluto, à maledicto solvit. Dicit itaque sibi, velut tacitè in corde suo, (Joan. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum*: at nunc opere, ad quod veni, peracto, mundoque redempto, sublato ab eo maledicto, *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et quidem sicut ipse, utì filius, spiritum suum, quo nihil unquam præstabilius, pretiosius, sanctius creatum est, Patri commendavit, ita & Pater illum acceptavit. Spiritus iste spiritus est, quem debet laudare omnis spiritus; per quem spirant, & ad quem aspirant, & in quo respirant, & respira-

bunt omnes beati ſpiritus hominum & angelorum. Tradidit Dominus corpus ſuum poteſtati Judæorum, ut illud pro arbitrio ſuo omni crudelitatis carnificinâ, cruciarent, diſcerperent, lacerarent, ſed nullam eis in ſpiritum ſæviendi poteſtatem fecit: ſolum itaque ſpiritum ſibi reſervavit, ut eum traderet Patri, & Pater illi poſt triduum eundem redderet, & corpori reſtitueret.

Pater, inquit, *in manus tuas commendo ſpiritum meum*: non facit hoc Dominus eo modo, quo nos Deo commendamus ſpiritus noſtros, qui metuimus juſtum Dei judicium, ac ſeveritatem judicis in fine vitæ; aut qui dæmonem veremur, maximè tunc inſidiantem. Minimè, non habebat, ob quod ſibi metueret, aut vereretur. Spiritum Patri commendare, tantundem in Chriſto eſt, ac vitam Patri offerre, eâque oblatâ mundum redimere. Voluit ſic Dominus ſpiritum refundere ad Patrem, tanquam ad primum principium, non tantùm totius Divinitatis, ùt ait S. Auguſtinus lib. 4. de Trin. Cap. 20., ſed qui per appropriationem, dicitur etiam creator omnium; & inſpiravit ſpiraculum vitæ omnibus hominibus. Vitam igitur, quam accepit à Patre ùt creatore, eidem nunc eam committit, tanquam auctori & cauſæ primæ, quia ipſe eſt, ùt jam dixi, principium & finis, *ut ſpiritus* (quod ait Eccleſiaſtes Cap. 2.) *redeat ad illum, qui dedit eum.* Quemadmodum ergò totâ vitâ ſuâ honoravit Patrem, omnia ſua Patri adſcribendo, non ſibi, tanquam Dei filio (licèt hoc etiam facere poſſet) ſed Patri, omnia in illum, tanquam in primum

primum fontem refundendo, sic & facit moriens, spiritum suum in manus Patris committendo.

Perpende & tu, spiritum te, quo præditus es, à Deo accepisse, eumque & Deo aliquando reddendum fore. Reddis spiritum Deo, dum moreris. Accepisti eum, tinctum Christi sanguine: redde eum, sed & excultum virtute. Ora Deum, ut cum spiritu filii sui, tuum simul spiritum, habeat sibi commendatum.

II. Consideratio.

QUid audio? Dominus JESUS commendans Patri spiritum suum, & emittens illum, magnum edit clamorem. S. Matthæus dicit Cap. 27. *JESUS autem iterum clamans voce magnâ, emisit spiritum.* Observant pii, accuratique scriptores, Dominum JESUM, quoties Patri in cruce sua, pro se, aut in causa sua loquebatur, clamorem edidisse: ad alios verò, aut pro aliis loquentem eum voce usum communi, modestâ ac moderatâ. Hìc jam nunc, commendans Patri spiritum suum, dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, in causa sua loquitur, sed clamat, voce quidem magnâ. Variis de causis putatur Dominus, moriens, Patrem cum clamore interpellasse, & orasse, nempe 1. ut se vitæ mortisque Dominum indicaret, qui potestatem habet, ponendi animam suam, eamque iterum resumendi, si ita adlubeat. Inclamat itaque mortem, quæ nisi vocata (ut ait Nazianzenus) non ausa fuisset accedere. 2. ut

Deum Patrem, ad commiserationem flecteret. Enimverò, quia universum genus humanum, gravibus sceleribus oppressum, procul à Deo aberat, debebat is, qui illius personam sustinebat, Deum absentem, magnis vocibus, inclamare. Tu itaque non tàm vocis contentione, quàm cordis affectu, divinas aures pulsabis, ut hæc vox, quâ Dominus Patri spiritum, vitamque suam, pro redemptione mundi, offerebat, in universum mundum emissa, corda hominum commoveat, auditâque Dei sui, pro ipsorum flagitiis, morte, peccatorum dolorem concitet. O vocem, quæ meretur, ut audiatur ab omnibus, qui sunt, fuerunt, eruntque, hominibus: pro omnibus enim illis, saluteque omnium, spiritus Domini Patri commendatus est: pro omnium, inquam, salute, vita & à Domino ablata, & Patri oblata est.

Neque sanè clamor iste Domini, quo moriens ille ad Patrem ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, absque effectu fuit. Etenim ad clamorem illum, concussa est terra, scissæ sunt petræ, aperta sunt monumenta, ut saxeum cor præduri hominis, vi clamoris istius, aliquandò rumpatur. Non sine causa dicit S. Marcus Cap. 15. *Emissâ voce*, ut intelligas, eam, in orbem missam, etiamnùm in cordibus hominum operari. Ad vocem illam, cum clamore emissam, & mortui revixêre. Ad vocem Domini, Lazarum è monumento evocantis, infernus contremuit, & animam ejus sine mora in corpus remisit. Ad vocem illam Domini: *Pater, in manus*

tuas

tuas commendo ſpiritum meum, exultaverunt in limbo Patres, contremuerunt in inferno Dæmones. Vocem denique Dominus cum clamore in morte ſua edit, ut te doceat, homo mortalis, quânam ratione de morte tibi ſit meditandum, non oſcitanter, non remiſſè, quaſi de re, quæ ad te parùm pertineat: neque tardè, quaſi mors tua adhuc longè abſit; ſed ſeriò, ardenterque, ac indilatè, utpote, quæ & certiſſima eſt, & multùm vicina; eòque ardentiori deſiderio meditandum de morte, quòd janua ſit ſalutis. Perpende denique, Dominum horâ nonâ in clamorem illum erupiſſe, horâ, inquam, orationis & ſacrificii veſpertini. Vera enim tunc hoſtia in cruce mactabatur, atque in duas diſſecta partes, animam nempe & corpus, Deo Patri, à ſummo Sacerdote, magnis vocibus, magnoque conatu, immolabatur.

Tu preces votaque tua, cum Domini tui clamore & oratione conjungas, ut ſimul cum illis aures divinas penetrent, effectumque habeant ſalutarem.

III. Conſideratio.

SUnt plura, quæ docemur, ex magno Domini clamore, quo ille ſpiritum ſuum commendavit Patri ſuo. Docemur imprimis, nos cum Deo loqui debere, clamore magno, dum loquimur cum illo; clamore magno, id eſt, fervidè, attentè, ſedulò, quemadmodum Chriſtus hìc locutus eſt cum Patre ſuo. Et idcircò docuit orationem sìc nos inchoare: *Pater noſter, qui es in cœlis,*

lus, quo videlicet admonemur fortiter orare ; quia ad Patrem quidem loquimur, ſed exiſtentem in cœlis. Propterea ergò David toties attollit clamorē in ſuis orationibus, dicitque Pſ. 101. *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat*: quod & Eccleſia ad ejus imitationem facit. Debet verò hic clamor cordis eſſe potiùs, quàm oris, aut vocis, *ſiquidem in Dei auribus* (inquit S. Bernardus Serm. 16. in Pſ. 90.) *deſiderium vehemens, clamor magnus; è regione autem remiſſa intentio vox ſubmiſſa.* Et S. Auguſtinus ait: *Cùm oras, clama, non voce, ſed mente.* Tali clamore oravit Moyſes Exod. 14. ſine omni voce, ac ſono, & auditus eſt; cùm è contra populus voce ſonoque clamans, à Deo non auditur. Docemur deinde, providere nobis ipſis, antequam moriamur. Dominus ſe ante mortem Patri commendat, ſibique sìc providet. Et S. Petrus jubet, ut fideles (1. Petr. 4.) *In benefactis commendent animas ſuas fideli creatori.* Aliis ſolummodò committere illam providentiam, ſupina negligentia eſt. Et quidem illi, quibus providentiam illam, ſeu curam committis, oblivioſiores non raró ſunt, nec voluntatem tuam exequuntur: itaque ea illis non niſi periculoſè committitur.

Docemur &, mortis præſertim tempore, ſoliciti eſſe de ſpiritu, non ita de corpore. Si ſpiritus, ſi anima, inquam, benè habeat, benè etiam habebit corpus, quod tandem animam ſequitur. Urſus, cùm in anguſtias redactus, præcipitare ſe compellitur, anterioribus caput involvit pedibus, ut ſaltem id quod habet imbecille,

mem-

membrum interea potissimum, illæsum servet. Ad eundem modum, qui per mortis præcipitium ruere debet, prospiciat cumprimis animæ, eamque muniat, priùs de ea, quàm de corpore solicitus. Docemur denique, commendare nos in manus Dei, in rebus & dubiis & periculosis, utì ultimus vel maximè hominis ex hac vita discessus est. Dic in eo cum Domino ac duce tuo Christo, Patri Deo: *In manus tuas*, ô Creator, ac Redemptor Deus, *commendo spiritum meum:* commendo animam meam, à te creatam & redemptam. S. Basilius dicit in Regul. fusiùs explicata: *Facilè fieri potest, ut mors inopinata nos opprimat. commendemus itaque animam nostram Domino, ut si fortè subitanea mors nobis adveniat, non adveniat improvisa.* Quid? Frater mortis somnus est: nec nisi intutè ei fidimus. Ante somnum itaque & spiritum nostrum in manus Dei commendemus. Nec te hìc retineat, quod contingat rarò, dormientem repentè extingui: contingit tamen aliquando. Excubiæ in castellis continuantur semper, tametsi nullum appareat de hostibus periculum. Certè, nisi vigiles sint excubitores, nocte unâ perdi potest, quod nunquam dein recuperetur.

Domine JESU, tu commendasti spiritum tuum in manus Patris tui: ita & nos facimus. Sed & commendamus animas nostras in manus tuas. Animas nostras tu, animarum amans, ut salvares eas, de cœlo venisti, naturam nostram induisti, præter innumera, inauditaque crudelitatis tormenta, ipsam acerbissimam mortem oppetiisti: quid

quid ni & animas noſtras commendemus in manus tuas? Sunt quidem manus tuæ cruci ſuffixæ, apertæ tamen ſunt, ut in illas animæ noſtræ recipiantur. Oramus te itaque, ac per tua te tormenta, mortemque tuam, obſecramus, ut eas tibi commendatas habeas, earumque curam geras, ut bona potius cæleſtia ſpiritui, quàm terrena corpori tribuantur.

Paſſio Domini noſtri JESU Chriſti dicenda in die Paraſceves.

DOminus noſter JESUS Chriſtus auſpicaturus ſuam Paſſionem contendit in Jeruſalem, orbis univerſi Metropolim. Tempus advenerat auſpicandæ Paſſioni à divina providentia deſtinatum: vel, (ùt Apoſtolus dicit, Gal. 4.) advenerat plenitudo temporis, quo humanum genus redimendum, Paſſione nempe ac morte filii Dei: quid ni ergò ille eam auſpicetur? Contendit verò in Jeruſalem, aſſumptis ſecum, in hoc iter, diſcipulis ſuis, quos & iſtius certiores reddit. S. Lucas ita dicit Cap. 18. *Aſſumpſit JESUS duodecim, & ait illis: Ecce, aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur & conſpuetur: & poſtquàm flagellaverint, occident eum.* Haud ignorat Dominus, quæ, ac quàm gravis ſe maneat Paſſio in Jeruſalem: quæ ei illic paretur mors; nihilominùs eò pergit, à nemine adactus, aut vel admonitus; adeòque ultrò & ſponte ſuâ. Argumento id cui non ſit evidentiſſimo, eum in Jeruſalem

&

& pati & mori velle? Post tormenta plurima, occident eum. Perinde est: equidem in Jerusalem contendit.

Quid hoc rei est? Dicit S. Marcus Cap. 10. *In via erant, ascendentes Jerosolymam, & praecedebat illos JESUS, & stupebant.* Præcedit JESUS in itinere hoc, versùs Jerosolymam, discipulos suos, quasi qui primus illic esse optet. Gressus accelerat ad stuporem usque: non ita discipuli: non adeò festinant illi, quiescere tantillùm optassent, lassi jam ex itinere longiore. Haud lassus Dominus, qui non minùs ac illi itineris confecerat; excussâ lassitudine, cursu quidem celeriore, eos in stuporem agit. Dicit S. Lucas Cap. 9. *Ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem.* In Jerusalem contendit Dominus, ac donec in via sit, obtutum in eam continuum conjicit: & vix ad gressum unum, eum ab illa avertit: obtutum in urbem fixum habet, velut statua immobilis. Jerusalem itineranti Domino in votis, ita & in oculis est, eosque in illam semel jactos non deinde avocat: oculos in Jerusalem, quò pergit, firmat, ac firmatos servat. Solemnes hæ, gravesque circumstantiæ sunt, quod adeò festinet in urbem illam, fixèque adeò in eam oculos ferat. Ex utraque non possumus non colligere, quin Dominus, non tantùm in Jerusalem, quâ in urbe Passio ejus peragenda est, pati morique velit, sed & pati morique amet & ardeat. Gratulamur inde nobis, Domine, quia cernimus in illis affectum tuum in nos summum, ardensque tuum in salutem nostram desiderium, cui & nostrum

nostrum addimus, quo salutem, quam tu patiendo, nobis paras, & ipsi nos ardentiùs procuremus.

Vobis nunc Auditores pientissimi, qui magno, auscultaturi me, numero confluxistis, ac pietati vestræ, Passionem Dominicam, quam pluribus nunc Meditationibus considerandam dedi, velut reductam in compendium, exhibere statui. Dominum JESUM patientem in suis singulis adibo stationibus, præcipua, quæ in illis ei obtigêre, expensurus. Et vestra audiendi aviditas, & in patientem pietas, meæ aut dicendi ruditati, aut enarrandi succurrat imbecillitati.

JESUS in Jerusalem.

JESUS Christus in Jerusalem, quam urbem jam ingressus erat cum discipulis suis, instituit Sacro-Sanctum S. Eucharistiæ Sacramentum. S. Matthæus dicit Matth. 26. *Cœnantibus autem illis, accepit JESUS panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite & manducate, hoc est corpus meum.* Mensæ accumbens cum discipulis suis, panem accepit, eumque vi ac virtute hujus sui dicti: *Hoc est corpus meum*, in corpus suum commutavit. O admirabile Dei consilium! O adorandum sapientiæ divinæ mysterium! Panem accipit, & corpus suum reddit, & manducandum dedit: *Accipite*, inquit, *& manducate*. O mirum ac ineffabile Sacramentum, quo alimur interiùs, ac nutrimur! Quid facis benignissime JESU? ut vilem terræ vermiculum, ut ingratum, inquam, hominem, & pascas & nu-

nutrias, te ipsum ei communicas. Est ille summus tuus in hominem amor, quem, dando te ipsum ei, manifestum reddis: das ei corpus tuum, carnem tuam, simul & tuum sanguinem, animam tuam, ipsamque & Divinitatem tuam. O quæ nobis, ac quàm suavis affectio hìc, & concitatio in animo oritur, affectio præsertim admirationis & gratitudinis!

JESUS in horto.

SAnct. Joannes dicit Cap. 18. *Egressus est JESUS cum discipulis suis, trans torrentem Cedron ubi erat hortus, in quem introivit.* In hortum? Capio: Adam in horto, comedendo, initium posuerat damnationis: opportunum itaque duxit Dominus in horto initium ponere Redemptionis. In hortum intrat, non voluptatis & lætitiæ, sed luctûs & tristitiæ.

Dominus, in eo existens, orat Patrem suum: & quidem iterum ac iterum & tertiò orat illum, suamque à trina oratione passionem auspicatur. O quàm demissè, quantâque sui humiliatione, se ad orandum componit! Defigit humi genua: prolabitur in terram: manus nunc attollit, nunc demittit, nunc eas plicat, nunc torquet: nunc & vultu suo terram ferit. S. Matthæus hujus narrator est ita ajens Cap. 27. *Et progressus JESUS pusillùm, procidit in faciem suam, orans & dicens.* Subditur; *& oravit tertiò eundem sermonem.* Ecquæ isthæc oratio Domini? ait: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* q. d. Tu Pater meus; ego

ego filius tuus: acerbiſſima paſſurus ſum: parceſne mihi? Oratio eſt deprecantis, calicem nempe paſſionis amariſſimum, à carne infirma proficiſcens. Sed carnem vincit ſpiritus, qui promptus eſt; ac ſe lubens Patris voluntati ſubmittit. S. Leo præclariſſimè Serm. 7. De Paſſ. *Hæc vox capitis*: Fiat voluntas tua, *ſalus eſt totius corporis*: *hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes Confeſſores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis poſſet perſecutorum tolerare terrores, niſi Chriſtus in omnibus, & pro omnibus patiens, Patri diceret, fiat voluntas tua?* Imitare ô Chriſtiane, JESUM ducem tuum, tuam voluntatem voluntati divinæ in omnibus ſubjiciens. Obmurmuret, ſi ita velit, infirma caro, nihil refert: non curabitur murmuratio, ſi modò ſpiritus promptus ſit, ſuâque in promptitudine perſiſtat.

Dominus in horto triſtatur. Dicit *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* O Triſte ſpectaculum! Dominus JESUS, qui gaudium eſt Angelorum & hominum, gravi ſanè immanique triſtitiâ obruitur. Dicit S. Matthæus: *Cœpit JESUS contriſtari & mœſtus eſſe.* S. Marcus: *Cœpit pavere, & tædere.* S. Lucas: *Factus eſt ſudor ejus, ſicut gutta ſanguinis ejus, decurrentis in terram.* Afflictus corpore, afflictus & animo. Quid hoc rei? ſanguinem eſudet Dominus? Ita eſt: ſanguinem eſudat, & verè eum copioſèque eſudat, ſanguine, velut facto illius profluvio, in terram uſque defluente. Una gutta ſanguinis Dominici, ſtilla una abundè ſuperque ſatis eſt ad mundum uni-

universum peccato abluendum, & totum velut profluvium fundit. Pientissime Domine, redimere nos tibi fixum est: sed haud id tibi satis est, nisi nos tam copiosè redimas. Quid tibi, Redemptor noster, reddemus gratiarum, pro affectu in nos tanto, ac beneficio tam copioso? utinam singula, quibus constamus, membra, ora forent, ut vel tantulum quid gratiarum tibi referre possemus. Fluis, [illegible] sanguine, mades sudore, toto ubique corpore. At quid est, cui vis inest tanta, ut, apertis quaquà poris, sanguinem tibi undique excutiat? Non id naturæ attribuo: aquam illa quandoque excutit homini in angore constituto, non sanguinem: amori itaque id attribuere par est, amori in nos tuo. Vis ignis vehementioris, ex herbis rosisque rubentibus, sudorem educit aqueum; vis verò amoris tui educit ex te sanguineum. Dominus tuus, O peccator, sanguinem fundit, super peccata tua, atque adeò super peccata aliena, quo abluit illa; tu vel lacrymas funde super peccata propria. O felicem te, si vel lacrymula tibi una sit, pro peccatis innumeris! Et si oculi tibi tenaciores sint, quàm ut lacrymulam reddant, profluat ea ex corde, aut vel ex cordis desiderio. Efficax illa erit, in virtute sanguinei sudoris tui Domini adeò copiosè effusi & remissionem ea tibi impetrabit.

Dominus in tristitia sua ab Angelo confortatur. S. Lucas ait: *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum.* Videmus in hoc curam Dei singularem ac paternam, quâ confortet suos ac soletur eos, in necessitates & angustias si inciderint.

 An-

Angelus proponit Domino voluntatem Patris ſui, quæ eſt, ut Paſſionem ſuam auſpicetur & conſummet, amariſſimam ſibi licèt. Quando Dominus rogabat Patrem, ut, ſi poſſet fieri, calix Paſſionis à ſe tranſiret, addebat, non ſuam, ſed Patris voluntatem fieri debere: quid ni nunc intelligens ab Angelo, Patris ſui voluntatem eſſe, ut calicem illum acceptet, facto ſibi animo, ſe voluntati illi ſubmittat? Habes hìc, Chriſtiane, quo te animes. Amara omnia faſtidis, dulcia concupiſcis. Sed paſſio te manet: paſſio quandoque gravior: gravior calamitas, & miſeria. O quàm hæc frequens eſt! Sed paſſio, graviſſima licèt, ſi tibi contingat, cogita, recogita, Dei eſſe voluntatem, ut eam feras: confortaberis inde & feres eam cum patientiâ.

Angelus proponit Domino Paſſionis ſuæ neceſſitatem. Actum eſt, inquit ei, de ſalute mundi, niſi Paſſio acceptetur à te. Statuit enimverò Deus, non redimere humanum genus, niſi per Paſſionem tuam. Juſtiſſimus furor eſt Patris tui, tui ſolius ſanguine exſtinguendus. Verum eſt, potuiſſet Deus, vel verbo tollere à genere humano maledictionem: aut vel exteriore vel interiore nutu; at copioſiorem homini voluit Redemptionem: voluit in te ei copioſiſſimam. In manu jam tua mors & vita omnium: Paſſio tua & omnibus ſimul & ſingulis ſeorſim neceſſaria. Hoc dicto Dominus, qui ne vel unam vult perire animam, animatus, Paſſionem libenti lubentique animo acceptavit. Gratias, Chriſtiane, age maximas Domino tuo, quòd Paſſionem acceptet

longè

longè amarissimam, ad quam & ipsa ejus horret natura, cujus & sòla recordatio, eum horrere & contremiscere facit, quia tibi ea, pro salute tua, necessaria est. Gratias si agere nequeas ore, age mente: tanti memor erga te amoris, ab offensâ tanti amatoris cave.

Angelus denique proponit Domino Passionis suæ fructum: fructum nempe uberrimum, & in omnes omninò homines diffundendum. Non quòd omnes, vi ac virtute Passionis Domini, re ipsâ salvandi sint, sed quòd omnes ex ea salvari possint, soluto jam pro eis salvationis pretio: salvandi reipsâ, si gratiæ sibi commeritæ, collatæque, pro loco & tempore ritè collaborent. O fructum Passionis nunquam satis æstimandum! O fructum & omnibus communem, & cuique singularem! Dominus quippe, sicut pro omnibus in communi, ita & pro quolibet in particulari passus est. Animus Domino haud deerat ad patiendum: & si quid defuisset animi, auctus fuisset ex hoc, si vel una anima salvanda foret, alioquin peritura: tantum vel unius apud eum animæ pretium est, tanti animam vel unam facit. Rectè itaque Angelus Domino, ut confortet illum, fructum proponit Passionis suæ. Sed Dominus libentissimè Passionem quantumvìs licèt amaram, acceptavit amore nostri: & nos Domine, acceptabimus libenter, amore tui, quidquid nobis dederis patiendum.

JESUS in domo Annæ.

DOmine JESU, video te in domo Annæ, qui est Socer Caiphæ summi Sacerdotis, & ipse Sacerdos, qui & summo Sacerdotio jam pluries functus fuerat. JESUS à Juda proditus, comprehensus à militibus, vinctus ducebatur ad Caipham: in via autem habitabat Annas, atque sic, velut per occasionem, ad eum ductus est. Interrogatur hìc Dominus de discipulis ac de doctrina sua. Respondet, se palàm fuisse locutum; atque adeò eos esse interrogandos, qui audierunt, quid locutus sit: ad quod responsum, mite licèt ac modestum, unus ex adstantibus satellitibus, alapam ei impegit, gravem utique ac cruentam.

S. Joannes rem enarrat, dicens: *Unus assistens ministrorum dedit alapam JESU.* Exhorrescat cælum, contremiscat terra cæli terræque Domino servilis homo alapam impingit. Quod ad injuriam illam addit, vilis ille servus alapam illam impingit, inspectante & approbante Pontifice cum consessu suo; atque adeò impingit illam impunè. O grande sacrilegium! vile mancipium, vilis terræ filius, excussâ palmâ, os verberat filii Dei. Nihil miror, si dehiscat terra, & sacrilegum illum absorbeat Figuram hujus habemus in Michæa Propheta Domini, ubi coram Achab rege (3. Reg. 21.) veritatem dicens, à Sedecia regio ministro, percutitur in maxilla. Jeremias dicit Thren. 3. *Dedit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Et Job. Cap. 6. *Aperuerunt,*

runt ſuper me ora ſua, & exprobrantes, percuſſerunt maxillam meam. Fuit hæc percuſſio gravis ſanè ac crudelis, quia facta eſt ab irato ac furibundo homine, præſertim ſi facta ſit (ùt veroſimiliter putatur) manu ferro armatâ, aut vel ictu adeò forti, ut Dominus ex eo in terram corruerit.

Sed quid Dominus ſervo, percuſſori ſuo? Reponit ipſi voce mitiſſimâ: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, quid me cædis?* Domine, haud par eſt, ut tibi ſuccenſeamus, alioquin nimium putido illi ſervo, pro impacta tibi alapa, pro illata ab eo injuria, honorem reddis, dignando illum alloquio tuo. Stabula curent ſervi: non, benè quis an malè loquatur, judicent illi. Interea inſigne in te videmus exemplum patientiæ. Nullam tu, de tanta injuria, per gravem illam cruentamque alapam, tibi illata, ſumis aut vel cogitas vindictam: amicè percuſſorem alloqueris: non corripis illum niſi modeſtiſſimè. Dicitur Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Non præbes quidem alteram maxillam ad novam alapam, ſed ad novas percuſſiones, quin & ad plagas & vulnera, præbes totum corpus.

O Chriſtiane, inſigne hoc in Domino tuo exemplar patientiæ propone tibi, ut imiteris. Reſpice in faciem Chriſti hâc alapâ percuſſam. Excepit Dominus illam, nec excanduit ad iram, nec linguam laxavit ad contumeliam, nec manum ad ultionem, nec animum ad indignationem. At tu impatiens, ad unicum ſæpè & leve ver-

bum, vindictæ spiritum concipis, fratri maledicis. Quid? Deum deseris, & animam perdis.

JESUS in domo Caiphæ.

HIc jam Dominus in domo est Caiphæ. Num melior illi sors in ea, quàm in domo Annæ? Minimè: in utraque nihil est, nisi iniquitas & injustitia. Plura gesta sunt in domo Caiphæ, quàm in domo Annæ: plura, inquam, sed omnia horrore plena. In domo Caiphæ JESUS

Accusatus est: sed testimoniis falsis. S. Matthæus: *Principes Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra JESUM.* De veris, non de falsis testimoniis circumspicere debebant. Sed fixum eis erat, occidere JESUM velut reum, ad hoc verò non alia testimonia, quàm falsa, ipsis servire poterant: falsa ergò quærebant. Videte, quid agatis, O vos Sacerdotum principes: inflati estis arrogantiâ, ardetis irâ, inflammati estis invidiâ. Videte, ne quod injustum ac iniquum est, in justum ac innocentem JESUM statuatis, & vel maximè, ne eum (sed eò vestra tendunt consilia) morti crucique addicatis, qui est vita vestra, salus, & gloria. Vide, Christiane, innocentiam ac puritatem vitæ Christi, quæ tanta fuit, ut vel mendacium de eo fingi non potuerit, quo innocentiæ aut puritati ejus vel quidquam derogaretur. Vive ad Christi imitationem, quantùm potes, ut nec fidei hostes in vita tua habeant, quod reprehendant, sed (1. Petr. 2.) *Ex bonis operibus te considerantes, glorificent Deum.*

Judi-

Judicatus est, sed sanè iniquissimè. Judicium hoc, quod componunt Sacerdotes, Caiphas cum cæteris sibi assidentibus, ex sua institutione sanctum est, sed in judicando Domino evasit omninò impium. Quot in eo erant judices, tot leones in eo erant: quot capita, tot viperarum genimina. Patet: innocentissimus in eo JESUS, iniquissimè judicatur. Conveniunt huic judicio hæ sacræ scripturæ. Eccl. 3. *Vidi in loco judicii, impietatem: & in loco justitiæ, iniquitatem.* Is. 59. *Conversum est retrorsum judicium, & justitia longè stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Et Cap. 5. *Exspectavit, ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor.* Hoc, sicubi visum sit, videmus id nunc in hoc sacratiore scilicet Sacerdotum synedrio, in quo ipse Dei filius, splendor ipse paternæ gloriæ, & qui purissimo sole purior est, iniquissimè judicatur. At quomodò fieri potuit, ut tanta in judicio illo commissa sit iniquitas & injustitia? Mirari desine, Caiphas Sacerdos summus, præses illius supremus, iræ cessit, & invidiæ, cæterique cum eo judices; quidni iis acti in injustitiam illam atque iniquitatem præcipitati sint? Cave tu Christiane, iræ & invidiæ, contra proximum tuum, præsertim si innocens sit, & non læserit te, ne locum des, ne & injusti reus reddaris judicii. Ora Deum, gratiam elargiatur, quâ vincas in bono malum, & proximum tuum, læserit te licèt, amore tamen prosequaris.

Condemnatus est. O impietas! ô sacrilegium! Ad falsam accusationem secuta est judicatio ini-

qua, ad iniquam verò judicationem impia & ſacrilega condemnatio ſubſecuta, condemnatio nempè, quâ JESUS, qui Auctor eſt vitæ, dictus eſt, ac declaratus, *reus mortis*. S. Matthæus dicit: *At illi reſpondentes, dixerunt: reus eſt mortis*. Vide, quid poſſit, in rebus præſertim malis, exemplum Principis, aut Superioris: errante eo, & in peccatum inclinante, errant, & peccant cæteri. Utinam exemplum eorundem & tantùm in bonis poſſit! Caiphâ dicente, *reus eſt mortis*, id ipſum & cæteri dicebant. *Qui omnes*, dicit S. Marcus, *condemnaverunt eum, eſſe reum mortis*. Deus immortalis! Quis deinde innocens erit, quando ipſa innocentia nocens ac rea declaratur? Tu, O Caipha, cum tuis, non eſtis Judices, ſed Latrones, qui innocentiſſimum, nocentem, & mortis quidem reum dicitis. O quid indignum adeò, adeò & impium ac ſacrilegum, quàm eum, qui Auctor ac fons eſt vitæ, vitæ omnis hominum & Angelorum, dici à toto Sacerdotum concilio: quid? proclamari: parùm eſt, damnari mortis reum? Admirabundus exclamat S. Leo Serm. de Paſſ. *Qui Auctor vitæ eſt, mortis reus dicitur*. Judicent, & condemnent nos alii pro libitu ſuo: judicent, ſi velint, nos indigniùs, nocentes nos habeant, cùm innocentes ſimus, pœnâ nos dignos dicant; haud id feramus moleſtè. Dominus noſter graviùs judicatus eſt, damnatusque reus & blaſphemiæ & mortis. Demimus de judicio iniquo ducis noſtri, ſi minùs moleſtè feramus noſtrum.

JESUS in domo Pilati.

AD te venio, Pilate, visurus, quid egeris tu cum tradito tibi JESU. Judex es, justitia à te administranda est. Gladium geris, quo plectere potes, & non plectere, occidere, & non occidere. Nôsti, Pilate, JESUM esse justum, totumque eum esse innocentem: & quidem post operosum examen, justum & innocentem eum invenisti. Confessio tua est, sub publica manuum lotione, prolata: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Quid? Pilatus liberare JESUM, & dimittere satagit, multis quidem modis. Misit eum ad Herodem: composuit eum cum Barabba, datâ Judæis facultate alterutrum ad libertatem postulandi: flagellatum eum, coronatum, consputum, illusum, judæis ipsis spectandum dedit, si fortè commiseratione tangerentur. Sed nihil illi moti sunt, contentis vocibus JESUM ad mortem, & ad mortem quidem crucis, postulantes. Verterat se Pilatus in omne latus, moverat omnem lapidem, sed oleum perdidit & operam.

Præcipua in JESUM accusatio à Judæis coram Pilato prolata hæc erat Luc. 23. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram: & prohibentem tributum dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* Aperta hæc mendacia, meræ calumniæ. Mendacium est, Christum subvertere gentem, convertit illam, nempe ad Legis observantiam. Matth. 5. *Non veni*, ait, *solvere Legem, sed adimplere.* Mendacium est, Christum prohibere

hibere tributum dari Cæſari. Matth. 17. ipſe ſolvit didragma tributi pro ſe & Petro. Et Matth. 22. interrogatus, *Licetne cenſum dari Cæſari, an non?* Reſpondet; *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo.* Mendacium eſt, Chriſtum ſe feciſſe Regem. Regnum, aut vel regni titulum nunquam ſibi arrogavit, aut uſurpavit. Joan. 6. cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum ipſe in montem ſolus. Hic genius eſt, hæc indoles hominum odientium & invidorum, ut iis, quos oderunt, ac quibus invident, omni quo poſſunt modo, nocere ſtudeant, & ubi veritatibus nequeunt, rem ſuam falſitatibus agant.

Quid putatis? An Pilatus ſtatim, Pontificibus JESUM accuſantibus aſſentiatur, confirmando ſententiam eorum, quâ eum mortis declarârant reum? Minime: conceperat Pilatus magnam de JESU opinionem: multa ab eo audierat patrata miracula, aliaque præclariora opera: multa audierat de doctrina ejus ac vitæ integritate. Erat Dominus in omnium ore & admiratione: ſolum ea latere poſſent Pilatum? Quarè parvi faciebat, quæ accuſatores adverſùs eum adferebant: eaque velut ex odio invidiâque conficta, negligebat. Perge porrò Pilate: At, quod dolendum eſt, cœpit ille benè, ſed malè finiit, utì viſuri ſumus, poſtquàm ex domo Herodis, in domum Pilati reverſi fuerimus.

JE-

JESUS in domo Herodis.

QUid hoc est, quod Pilatus mittat JESUM ad Herodem? Facit hoc, ut & ipse declinet iniquum hoc Judicium, & innocenti JESU viam velut aperiat ad libertatem. Rectè, si modò constet in hac mente sua. Deus immortalis, quàm variè hìc cum JESU luditur, quàm iniquè? Extrahitur ex horto, raptatur ad Annam, protrahitur ad Caipham, deducitur ad Pilatum, ablegatur ad Herodem. Hæc omnia tolerat patienter, atque ùt mansuetus agnus, vadit, quocunque eum ducunt, qui nullo resistere negotio poterat, solóque vel nutu ductores suos ac raptores à se abigere. En Christiane, Christus, dux tuus it, reditque velut agnus mansuetus, quòcunque ducitur, ut te nempè liberet ab illo, qui (1. Petr. 5.) *Circuit tanquam Leo rugiens, quærens, quem devoret*. I & tu, redique, quòcunque vocet te interior Dei inspiratio, aut revocet, sic nempe ducem tuum imitaris.

Herodes remisit JESUM ad Pilatum, indutum veste albâ, velut insanum hominem. Herodes JESUM interrogârat de variis: ad nullum ei responderat, nedum quòd signum aliquod coram eo fecerit. Non respexit Dominus purpuram hujus regis, cujus curiositatem noverat. Verba sua, signaque haud profutura sciebat: nolebat ergò sanctum dare canibus, aut margaritas mittere ante porcos: satiùs erat Domino tacere penitùs, quàm loqui inutiliter. O silentium JESU, omni eloquentiâ facundius, omni clamore

more vocalius, omni tubâ ſonorius! O ſilentium, dignum quod imitentur paſſim omnes; ad loquendum veloces, ſuâque loquelâ, graviſſimè non raro excedentes. Dicit S. Jacobus Cap. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus verò ad loquendum.* Et iterum: *Qui non offendit linguâ, hic perfectus eſt vir.*

Herodes tacentem JESUM ſpernit. Væ tibi, O Rex! ſpernis tu in terris, quem Angeli honorant in cælis: ſpernit illum publicè coram totâ aulâ ſuâ, totoque ſatellitio ſuo. Remittit Herodes JESUM ad Pilatum, ſed velut publicum Ludionem, hominemque inſanum, amentem, fatuum, veſte albâ, veſte ridiculâ indutum. Erat ipſe, *In quo* (Coloſſ. 2.) *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi*; qui & ipſa ſapientia Patris, & ſplendor ſubſtantiæ ejus; & hìc nunc velut inſanus, amens ac fatuus luditur. Herodes, intuere illum tantummodò, etſi non loquatur, videbis facilè in eo, quod humano majus eſt. Color ipſe frontis, vultûs amabilitas, dignitas oris, oculorum ſerenitas, corporis totius ſpecioſa conſtitutio, ex eaque ſublucens majeſtas, eum ſupra hominem eſſe loquuntur. Sed agnoſcere illum non vis, ut ſpernere poſſis, & velut inſanum ad Pilatum remittere; quod & facis, dum remittis illum veſte albâ indutum. Tu ſuperbe, quàm tuo id moleſtum animo, ſicubi ſpernaris, aut vel putes ſperni te, præſertim ſi id coram aliis tibi contingat? excandeſcis vehementiùs: & ſi ſpernentem impedire nequeas, concidit tibi animus & exeditur. In JESUM reſpice ab Herode, im-

impio & ſacrilego rege, coram totâ aula & ſatellitio ſuo, ſpretum, & ſperni, publicè licèt, non adeò perſentiſces.

JESUS iterum in domo Pilati.

Pilatus, remiſſum ab Herode, recipit. Nata hìc Pilato nova occaſio JESUM defendendi, & dimittendi, quia ab Herode nihil capitale in eum ſtatutum eſt, ſed occaſione illâ non rectè utitur. Plura hìc contingunt, quæ, ut tempori parcam, compendio referam. Pilatus hìc pro Jesu dicit ad Judæos: pro eodem dicit ad plebem, comparato Barabbæ; plebs poſtulat Barabbam præ Jesu: poſtulat JESUM crucifigi: inſtat, ut crucifigatur. JESUS flagellatur: Jesus coronatur: illuditur à militibus: oſtentui Judæis habetur: rurſus poſtulant JESUM crucifigi. Pilatus rurſus examinat illum, & dimittere quærit. Monetur ab uxore ſua. Ultimò pro Jesu perorat. Lavat manus ſuas, & denique illum in mortem tradit.

Quid agis, Pilate? Minas ille pertimeſcens Sacerdotum, JESUM ad crucem poſtulantium, ac clamores vulgi: &, quod majus eſt, conſcientiam tuam deſerens, innocentem JESUM, ipſam, inquam, innocentiam cruci addicit. Dicit S. Joannes: *Tunc tradidit eis Pilatus JESUM, ut crucifigeretur.* O Te arundinem vento agitatam! ô te judicem inſtabilem ac impium. Verè hìc ac præclarè S. Leo Serm. De Paſſion: *iiſdem labiis Pilatus mittit JESUM in crucem, quibus eum pro-*

pronunciavit innocentem. Christiane! pronunciatam à Pilato exhorresce sententiam. Videbat ille redactum se in angustias, nesciens in quod se latus verteret. Alterutrum fore videbat, vel Cæsaris excidere gratiâ, populique amicitiâ, vel incidere in manifestam injustitiam: illud timens, hoc contemnens, prolatâ injustissimâ sententiâ, Auctorem vitæ condemnat ad mortem. Diu hactenùs laboratum est à te, Pilate, ut JESUM liberares, & Judæis eriperes, at nunc inopinato subitoque ruis impetu, & JESUM tradis ad crucem. Proh, quanto id Judæorum gaudio, eum obfirmatissimè & obstinatissimè ad mortem postulantium! Machina, quâ expugnatus Pilati est animus, hæc fuit: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Hæc machina, humanus, inquam, respectus Pilatum in gravissimum impulit malum, quo nempe innocentem condemnat ad mortem. Vide tu, probe pieque Christiane, humanus respectus ne irrepat in te, illum defuge. Ne timeas adeò excidere gratiâ hominis; time excidere gratiâ Dei, ut vel bonum opus omittas, aut malum perpetres. Agat te respectus Dei, & quando ages animam tuam, securus eris. Pilatum egit respectus hominis, gratia Cæsaris, eumque in æternum præcipitavit exitium.

JESUS in Via ad montem Calvariæ.

SPectaculum hìc videmus, cui simile hactenùs non vidit orbis. Dominus cœli & terræ, lignum portat humeris suis, quod mox, velut thro-

thronum conſcendet, non ex eo regnaturus, ſed in eo moriturus. Qui orbem univerſum tribus appendit digitis, ſub ligni illius pondere in terrum deprimitur. *Ferebat*, ait Euthymius, *crucem, tanquam ſtrenuus miles lanceam, quâ dejecturus erat adverſarium.* Domine JESU, dixiſti Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Sed onus tuum, quod modò fers, non eſt onus leve: onus grave & graviſſimum eſt. Graviſſimum in te onus ſumis, ut onera noſtra graviſſima, levia nobis, & leviſſima reddas. Onus tuum, quod modò fers, graviſſimum eſt, quia illi affixa ſunt peccata noſtra. 1. Petr. 2. *Qui peccata noſtra ipſe portavit in corpore ſuo ſuper lignum.* De peccatis dicit Pſaltes regius Pſ. 37. *Sicut onus grave, gravata ſunt ſuper me.* Ne miremur, onus hoc Domino grave adeò eſſe, annexum ei erat ipſum peccatum Adæ, quod erat graviſſimum, velut quod ſe, in omnes illius poſteros extendit. Domine JESU, grati tibi ſumus, gratique æternùm futuri, quod & tuleris peccata noſtra, eaque & ferendo abſtuleris, ſi modò & nos illa pœnitentiis noſtris ablata velimus.

Ad quid hìc? En vir quidam gentilis, Simon nomine, angariatur à Judæis, humeros ſuos cruci ſupponere, eamque cum illo bajulare. Dicit S. Matthæus: *Invenerunt hominem Cyrenæum, Simonem nomine, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* An fortè ex commiſeratione? Non mirum id fuiſſet, erat enim Dominus laſſus totus, totusque exhauſtus viribus, repebat magìs quàm incedebat, ut vel ſilici commiſeratio

eli-

eliceretur. At nulla hìc in Judæis commiseratio: illi, visâ JESU imbecillitate, quâ tanto impar oneri, metu ne ante ipsum crucis supplicium, concideret & exspiraret, alium angariant, & substituunt, ut vicariam operam impendat, simulque cum lasso nimis exhaustoque JESU, crucem bajulet. O ter felicem te, Simon, qui lasso exhaustoque Domino in ferenda cruce, socius datus es! quanta tibi ex hoc accedit gloria? & quàm gratularetur sibi primus in orbe Monarcha, Imperator, Pontifex, ei si liceret, suam in hoc JESU navare operam, suosque cum illo humeros cruci submittere?

Christianus quilibet crucem post JESUM, ferre debet. S. Augustinus dicit: *Nullus servus Christi sine cruce est. Si putas te non habere crucem, nondum cœpisti esse Christianus.* Dicit Dominus ipse Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Quilibet debet ferre crucem *suam*: & quidem cuilibet crux propria est, ac cujusque commensa viribus, imposita cuique à Deo. Status quilibet in hac vita suam habet crucem: homines singuli, summi infimi, probi improbi. Neque alia ad cælum via est, quàm via crucis: hæc via ad cælum regia est. O quàm pauci sunt crucis amatores, amatores tamen regni, sed vani. Domine JESU, nos libenter feremus crucem nostram, & quid ni feramus eam libenter, qui te habemus ante nos crucem tuam ferentem, & cum cruce tua nobis præeuntem? Degener miles est, servus ignavus, qui præeuntem ducem ac dominum, non nisi illibenter sequitur.

JE-

JESUS in monte Calvariæ.

JESUS hoc in monte crucifigitur, S. Lucas dicit: *Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvaria, ibi crucifixerunt eum.* O plùs quàm immane, plusquàm horrendum spectaculum! JESUS, mox montem illum conscenderat, suâ onustus cruce, & illum in montem dejiciunt, crucemque ab eo tollunt, parantque, ut suum jam ipsa recipiat bajulum. Vestem ei, etiam interiorem, tunicam inconsutilem, truces sævique carnifices magnâ detrahunt insolentiâ, vulnera, quibus toto concisus corpore, crudeliter renovando, corpusque totum novo sanguine cruentando. In lignum crucis, humi positum, eum petulanter dejiciunt, lignoque clavis ferreis, per manus pedesque adactis suffigunt. Arborem crucis, tam solemni hostiâ vestitam in altum elevant, in fossam demittunt magno impetu. Sic nempe erigitur in deserto serpens æneus, in quem, qui aspexerint, vivent: sic & exaltatur filius hominis à terra, ut omnia trahat ad se. O quàm copiosi sanguinis rivi, ex transfixis manibus pedibusque, ac toto ex corpore ubique sauciato, in terram defluunt: sanguinis, inquam, pretiosissimi, cujus vel una stilla mundum adæquat & superat universum, ut eâ salvus fiat. Vos alloquor impii pessimique Judæi, postulastis jam ante JESUM ad crucem, nunc illum actum in eam videtis: num jam vobis, aut, ut veriùs dicam, invidiæ vestræ, ac rabiei factum satis? Minimè: calumnias, subsannationes, impropera-


tiones, sannasque ac scommata in eum conjicitis. Dicitis vos: *Si filius Dei es, descende nunc de cruce*; quâ in re imitamini Diabolum patrem vestrum. Dicebat ille Matth. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* At non se tunc deorsum misit, neque nunc de cruce descendet: in cruce mansurus est, in cruce moriturus. Sufficit ad confusionem vestram, si, quod fore dixit, mortuus resurgat vivus.


Sanct. Augustinus dicit: *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magistri docentis.* Docemur ex hoc ligno summum Dei in nos amorem, ardentemque charitatem, dum eum pro nobis & pati & mori in cruce videmus. Docemur ex illo omnem virtutem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, fortitudinem, mansuetudinem, patientiam, mortificationem &c. Tu Christiane, dignum te, tali tantoque Magistro, exhibe discipulum, & virtutes disce ab eo traditas, non verbo tantùm, sed & exemplo, quâvis voce multò fortiore.

Denique dicit S. Matthæus Cap. 27. *JESUS autem iterum clamans voce magnâ, exspiravit.* Itaque, JESUS in monte hoc, & crucifigitur & moritur. Horrescat dæmon, cujus imperium morte illâ evertitur: gaudeat homo, cujus vita illâ revocatur. *Clamat* JESUS, ut ostendat, spiritum in eo adhuc esse integrum: *voce magnâ* clamat, ut prodat magnum suum in nos affectum, quo moritur pro nobis: clamat, ut audiant omnes, quòd pro omnibus moriatur. S. Joannes di-

dicit Cap. 19. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Inclinat caput, quò commodiùs nos posset audire & consolari. Inclinat nobis caput, cor nos ei inclinemus, & gratias agamus, quòd redemerit nos. Inclinat caput, *Ut observet*, (inquit S. Bernardus Serm. De Pass.) *si quem inveniret*, *qui sanguinem abstergeret*, *& de cruce depositum*, *mundâ sindone, non panni, sed cordis, obvolveret.* Heu, Heu, mortua est vita nostra, sed ex morte illa (gratulemur nobis) reviviscimus, si in eo vivere velimus & mori, victuri æternum.

FINIS.





INDEX MEDITATIONUM.

DE

UNIVERSA PASSIONE DOMINICA.

MEDI-

MEDI-

ME-

De ſeptem verbis à Chriſto in cruce prolatis.

Amen

FINIS.

15



S